This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

B. LUDOVICI CHRISTIANI MIEGII,

S. THEOL. D. ET PROF. IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI &c.

MELETEMATA SACRA DE OFFICIO PASTORIS EVANGELICI PUBLICO ET PRIVATO.

AZ 6867

BIBL: STUD: ACAD: LAUS:

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO

FRANCOFURTI AD MOENUM
TYPIS TOBIÆ CONRADI LANDGRAFII.
ANNO MDCC XLVII.

Digitized by Google

R 00311765
Dom 5:1:1:1
Digitized by Google

ILLUSTRISSIMAE

SOCIETATI LONDINENSI

DE

PROPAGANDO IN PARTIBUS TRANSMARINIS EVANGELIO

DICTAE

SACRUM!

Digitized by Google

VIRI
NATALIUM SPLENDORE
MUNERUM MERITORUMQUE MAGNITUDINE PRAEFULGENTISSIMI
DOMINI ET IN CHRISTO PATRES FRATRESQUE COLENDISSIMI!

EX quo dignum me judicaſtis, Illuſtriſſimi Digniſſimique Viri! quem Patris τȣ̃ μακαρίτȣ vice pio amplecteremini affectu, unanimique ſuffragio inclytæ Veſtræ adjungeretis Societati, nihil æque curæ cordique mihi fuit, quam ne vel Vos collati, vel me ſuſcepti pœniteret Honoris & Officii. Itaque haud ſufficere videbantur; Patria quæ facio pro Eccleſia, ni

&

Digitized by Google

& quacunque ratione poſſem, inſervirem Univerſæ: meliori autem non poteram, quam communicatâ optima hæreditatis portione, Scriptis nempe Paternis, quæ publici & juris & uſus ut fierent, Viri optârunt Eruditi. Præmiſſos ergò Tractatus Homileticos, præſens de Officio Paſtoris Evangelici excipit, quem Commentarii in Veteris Novique Teſtamenti libros, hujus cum Hiſtoria Eccleſiaſtica ſequentur. D. O. M. piis noſtris adſpiret conatibus, Veſtros autem Viri Summi! labores plusquam Herculeos proſperet porrò, propoſitam ut attingamus metam, commune Eccleſiæ Chriſtianæ bonum, Purioriſque tam plantatæ quam plantandæ incrementum. Ita optat, ita intimo cordis affectu vovet, qui cum Transmarina Anglicanam, qui ſecum Eccleſiam Patriam, illam hodie, utinam ſempiternè! hanc

Digitized by Google

olim, utinam & hodie! florentiſſimam Omnituenti Divinæ Gratiæ, & reſpectivè Paterno Fraternoque Veſtro commendat Patrocinio & amori

REVERENDISSIMIS DIGNITATIBUS VESTRIS

Dab. Heidelbergæ D. XXVIII. *Junii* MDCCXLVI.

Ad quævis obſequiorum genera addictiſſimus obſtrictiſſimus Conſocius

JOHANNES FRIDERICUS MIEGIUS. CONSIL. ECCLES. ARCHI-PALAT.

Kayſer-

Digitized by Google

Kayſerliches Privilegium.

WIr CARL, der Siebende, von GOttes Gnaden, erwehlter Römiſcher Kayſer, zu allen Zeiten Mehrer des Reichs, in Germanien und Böheim König, in Ober- und Nieder-Bayern, auch der Obern Pfaltz Hertzog, Pfaltz-Graf bey Rhein, Ertz-Hertzog zu Oeſterreich, und Land-Graf zu Leuchtenberg &c. &c.

Bekennen offentlich mit dieſem Brief, und thun kund allermänniglich, daſs uns des verſtorbenen Ludwig Chriſtian Miegs, geweſenen Chur-Pfältziſchen Reformirten Kirchen-Raths, auch Doctoris & Profeſſoris Theologiæ Primarii auf der Univerſität zu Heydelberg, nachgelaſſene Söhne in Unterthänigkeit zu vernehmen gegeben, welchergeſtalten ſie erſtgedachten ihres abgelebten Vaters in Manuſcriptis hinterlaſſene Evangelien und Catechiſmus-Predigten, *ſamt übrigen Schriften*, dem Publico auf ihre eigene Koſten in Quarto mitzutheilen, begriffen wären, mit unterthänigſter Bitte, daſs wir ihnen über ſothanes Werck unſer Kayſerl. Privilegium Impreſſorium auf zehen Jahre mitzutheilen, gnädigſt geruhen wolten &c. Wann wir dann gnädiglich angeſehen, jetzt angedeutete gehorſamſte Bitte, auch die Unkoſten, Fleiſs, und Arbeit, ſo bey ſolchem Werck anzuwenden ſeynd; ſo haben wir ihnen die Gnade gethan, und Freyheit gegeben, thun auch ſolches hiemit wiſſentlich, in Krafft dieſes Briefs, alſo und dergeſtalten, daſs Eingangs gedachte Miegiſche Söhne, vorermelte ihres verſtorbenen Vaters hinterlaſſene Predigten *und Schrifften*, in offenen Druck auflegen, ausgehen, hin und wieder ausgeben, feil haben und verkauffen laſſen, auch ihnen ſolche niemand ohne ihren Conſens, Wiſſen und Willen, innerhalb denen nächſten zehen Jahren, von dato dieſes Briefs an zu rechnen, weder im Heil. Röm. Reich, noch Unſeren Erblanden, in keinerley Format, noch unter anderem Titul, oder mit anderer Schrifft, weder ganz noch zum Theil, oder vermehrter, wie das alles Namen haben mag, nachdrucken und verkauffen ſolle. Und gebieten darauf allen und jeden Unſeren und des Heil. Röm. Reichs, auch Unſerer Erblanden Unterthanen und Getreuen, inſonderheit aber allen Buchführern, Buchdruckern, Buchbindern und Buchverkauffern, bey Vermeidung zehen Marck löthigen Goldes, die ein jeder, ſo offt er freventlich hierwider thäte, uns halb in

unſere

Digitized by Google

unſere Kayſerl. Cammer, und den andern halben Theil obgedachten Miegiſchen Söhnen ohnabläſſig zu bezahlen verfallen ſeyn ſolle, hiermit ernſtlich, und wollen, daſs ihr, noch einiger aus euch ſelbſt, oder jemand von euretwegen obangeregte Predigten und Schrifften, innerhalb denen beſtimmten zehen Jahren nicht nachdrucket, diſtrahiret, feil habet, umtraget oder verkauffet, noch auch ſolches anderen zu thun geſtattet, in keine Weiſe noch Wege, alles bey Vermeidung Unſerer Kayſerl. Ungnade und obbeſtimmter Straffe der zehen Marck löthigen Goldes, auch Verliehrung deſſelben eures Drucks, den vielgedachte Miegiſche Söhne, oder deren Befehlshabere mit Hülf und Zuthun eines jeden Orts Obrigkeit, wo ſie dergleichen bey euch und einem jeden finden würden, alſo gleich aus eigenem Gewalt, ohne Verhinderung männiglichs zu ſich nehmen, und damit nach ihrem Gefallen handeln und thun mögen; doch ſollen offternannte Miegiſche Söhne fleiſſige Obſorg haben, daſs dieſem Werck nichts einverleibet werde, was dem Religions-Frieden und dem Inſtrumento Pacis auf einige Art und Weiſs entgegen ſeyn möchte, auch ſchuldig und verbunden ſeyn, von vielgedachten Werck die gewöhnlichen fünf Exemplaria zu Unſerem Kayſerl. Reichs-Hof-Rath bey Verluſt dieſer unſerer Kayſerl. Freyheit, zu liefern, wie nicht weniger dieſes Kayſerl. Druck-Privilegium dem Buch, anderen zur Nachricht und Warnung, voran drucken zu laſſen. Mit Urkund dieſes Briefs beſiegelt mit Unſerem Kayſerl. hervorgedrucktem Secret-Inſiegel, der geben iſt zu Franckfurt am Mayn, den achtzehenden Septembris, Anno Siebenzehenhundert, Vier und Vierzig, Unſerer Reiche des Römiſch- und Böhmiſchen im dritten.

CARL mppr.

(L.S.)

Vt.

JOH. GEORG, Graf zu Königsfeld.

Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.

MATTH. WILHELM HAAN.

Digitized by Google

Σ. Θ.

Caput I.

De Neceſſitate Cultus Publici, & Miniſterii Sacri.

Σύνοψις.

Colendus eſt *Deus*, §. I. *in Spiritu* & *Veritate*, §. II. etiam extûs *Corpore*, §. III. tum *privatim*, tum *publicè*, §. IV. idque *ordinatè*, §. V. Unde in Eccleſia inter *Dirigentes* & *Dirigendos* diſtinctio, §. VI. Dirigentium *Caput Chriſtus* eſt, §. VII. *Sub quo ſunt* Membra dirigentia א) *Miniſtri extraordinarii*, §. VIII. An detur Miniſterii extraordinarii continuatio? §. IX. X. XI. XII. ב) *Miniſtri ordinarii*, §. XIII. Horum functiones & *Neceſſitas*, §. XIV. XV. XVI. quæ & *probatur* Argumentis, §. XVII. & *defenditur* adverſus *Objectiones* & Calumnias. §. XVIII. XIX.

§. I.

Colendus eſt Deus.

O*fficiorum humanorum Compendium quoddam, atque Summa rectus Dei Cultus eſt.* Nihil enim æquius, quam ut is, qui à Deo eſt, etiam ad Deum ſit; qui à Deo ita conditus eſt, ut ſit animal religioſum, ſcopo ſuæ Creationis quoque faciat ſatis. Sic ex

Digitized by Google

Actibus Cultus, tum elicitis, tum imperatis, tota Religio conſtat. Unde & Εὐσεβείας nomine nunc ſpecialis ille, ex rectè conſtituta Mente derivatus, & in Charitatem Proximi tendens, Dei Cultus 2. *Petri* I, 5. 6. 7. *Tit.* II, 12; nunc tota Pietas. 1. *Tim.* IV, 7. & univerſalis Juſtitia venit. 2. *Petr.* II, 8. 9.

§. II.

in Spiritu & Veritate.

Cum verò Spiritus Perfectiſſimus Deus ſit, in Spiritu quoque primùm & Veritate eſt adorandus. Joh. IV, 24.

1.) Colendus enim eſt convenienter *Naturæ* Ejus, ideoque *in Spiritu.* Non ambulant unà qui non conveniunt. *Amos* III, 3. Conveniunt autem maximè, qui ſibi ſimiles ſunt. Cultus ille potiſſimùm decet illos, qui Mente Dei Genus, Mente Dei Filii ſunt. Poſtulent Homines à *Servis* tantum *Corpora* (unde & hi σώματα vocantur *Apoc.* XVIII, 13.) à *Filiis* ſuis *Cor* poſtulat Pater Spirituum, & Deus Spirituum omnis Carnis. *Prov.* XXIII, 26. Quem colimus *Scrutator* eſt *Cordium*, proinde ut Cogitationum, ita Sanguinis in primis ſui Motus initiis; Scrutator item *Renum*, adeoque ut Cogitationum quaſi ſecundarum, ex imis natarum; ita Progreſſus & Diſtinctionis omnis ſanguinei Motus. *Pſal.* VII, 10. Ut itaque Motus interior ille omnis à Deo oritur; ſic etiam ad Ipſum meritò tendit, qui proin non intimo tantum Senſu *percipit*; ſed etiam, præ Sacrificiis & Fertis optimi odoris aut ſaporis, *approbat*, & hoc utroque ſenſu *Odoratur Timorem* Domini. *Jeſai.* XI, 3. Spiritu æterno Filius etiam Dei Unigenitus *ſeſe obtulit* ſine Macula, ut noſtras Conſcientias purificaret, ad ſerviendum Deo vivo. *Hebr.* IX, 14. Ergo Spiritu etiam, eoque purificato, colendus eſt, niſi velimus, ut Mors Chriſti ſuo careat fructu. Ita vero pura Mente, & Naturæ Ipſius convenienter colitur, *in genere* equidem, quando Mens Hominis ad Deum tanquam Ens perfectiſſimum, Auctorem ut omnium ita Patrem Spirituum, unicum Dominum, optimum Exemplar, ultimum Finem, ſummum Bonum, per Religioſos Actus elevatur; *in ſpecie* verò a) quando Legem Domini cum ſubmiſſione meditatur, b) ad Opera Naturæ, Gratiæ & Gloriæ ſedulò attendit, c) *inde* ſuam Originem, Lapſum, Miſeriam,

hinc

hinc Perfectiones, Virtutes, Majeſtatem, Divitias, Beneficia Dei Triunius, ad Ejus Amorem, Timorem, Gloriam cum nemine communicandam agnoſcit & veneratur; atque ideo d) ſe cum Abnegatione ſui, & filiali Fiducia in Ejus Gratiam in Chriſto oblatam, inter continua Fidei, Charitatis & Spei Exercitia committit, & propterea etiam Animam Deo, ad Interdicta vitanda, Mandata præſtanda, Caſtigationes paternas ferendas, obſequio lubenti, prompto, univerſali & conſtanti ſubmittit, inque hunc finem per quotidiana *Conſcientiæ* ἐπερωτήματα i. e. tum *Interrogationes*, quid, in omnibus & ſingulis Vitæ Circumſtantiis, facto ſit opus, quærit, quidque, ut poſſimus, τῷ Θεῷ ἀρεστῷ nos *Deo commendare*, factum ſit ſolicite explorat; tum, per *Poſtulationes*, quæ ad ulteriorem perfectionem etiamnum deſunt, ſubmiſsè petit, quæ promiſſa ſunt, cum Acquieſcentia & Gaudio Cordis, exſpectat, &, de illis, quæ data ſunt, ſerio Gratias agit. 1. *Petr.* III, 21. ſicque ſpiritualia ſacra facit.

2.) Colendus etiam eſt convenienter *ſuæ Voluntati*, maximè ut illam manifeſtavit in N. T., & hoc ſenſu IN VERITATE, adeoque ut 1) ratione *Principii*, actiones noſtræ, citra Ambages Umbrarum, ex Fide conſummatæ per Chriſtum Salutis fluant, quippe ex quo omnem Vitam ſpiritualem trahimus, & cujus Amore nos conſtringente, etiam quidquid Vitæ naturalis reſiduum eſt, in Dei cultum & obſequium dirigitur & impenditur. *Gal.* II, 20. ut, 2) ratione *Regulæ*, juxta Verbum Veritatis & ex illo, quid *bonum* ſit, ad Juſtitiam & Vitam, & *quid* animi grati teſtandi cauſa, *Deus à nobis requirit*, *Mich.* VI, 8. magis in dies & diſcamus & præſtemus. Nec enim *Præſumptionibus humanis*, ut *Auguſtino* vocantur, in Cultu Dei Locus datur; Habeant enim Actiones noſtræ λόγον, *Speciem* σοφίας *Sapientiæ* ſive, reſpectu Dei, ἐν ἐθελοθρησκείᾳ, נדבה libera bonorum Oblatione, ſive, reſpectu Proximi, ἐν ταπεινοφροσύνῃ ſubmiſſione, ſub Imperium hominum, cœca; ſive, reſpectu noſtrorum, ἐν ἀφειδίᾳ σώματος quod corpori non parcamus, revera tamen hæc omnia ſunt, οὐκ ἐν τιμῇ τινι *nullius pretii*, ſed tantum πρὸς πλησμονὴν τῆς σαρκός *ad augendas Concupiſcentias Carnis.* *Coloſſ.* II, 23. Verus Dei Cultor, cum *Anania*, eſt εὐσεβὴς κατὰ τὸν νόμον, *pius ſecundum Le-*

gem, *Actor.* XXII, 12: cujus חסד ὁσιότης, ut illa *Joſiæ*, eſt *ſecundùm Scripturam in Lege Dei.* 2. *Chron.* XXXV, 26. Porro, ut, 3) ratione *Modi*, omnia fiant ſine fuco, per plenam Actionum ſacrarum internarum cum externis Convenientiam, abſque qua, ſi Labiis adeatur, remoto Corde *Matth.* XV, 8. & Atria calcantur, ſed Manibus ſanguinolentis, totus ille Dei Cultus nihil eſt, niſi Munus Vanitatis, Suffitus Abominationis. *Jeſai.* I, 13. 15. decollatio Canis, & oblatio porcini Sanguinis. *Jeſai.* LXVI, 3. Corpus ſine Anima, Sacrificium ſine Adipe, Cultus ſine Religione. Tandem, 4) ratione *finis*, ita colendus eſt in veritate, ut, ſine proprii vel commodi, vel honoris noſtri reſpectu, *verè Deus* actionibus noſtris *glorificetur*, atque omnia, quæ agimus, tendant unicè ad Dei Gloriam. 1. *Cor.* X, 31. Quæ Pietas proinde à *Moralitate*, quam vocant, *civili* cum maximè diſtinguitur, uti quidem *verum*, in iis, quæ Medii rationem habent, cum primis cum reſpectu ad Finem dicitur.

§. III.

Etiam externûs Corpore.

Nec tamen animo ſaltem & mente pura, ſed corpore etiam externûs glorificari vult, & coli debet. Sic enim a) juſtum eſt, ut non ex uno tantum, ſed ex omni ſuo opere Deus fructum ſuæ laudis capiat. Unde, cum & corpus hominis, vel à primis initiis, ſingulari & glorioſiſſimo artificio condiderit. *Job* X, 8-12. conditum multis, inde ab utero, dotibus inſtruxerit. *Pſal.* CXXXIX, 13-16. ſingulari cura, non obſtante tanta membrorum multitudine, conſervet. *Pſal.* XXXVI, 8. 9. pretioſiſſimo impendio, non minùs quam animam, redemerit, & ſaluberrima operatione in templum Spiritus S. erexerit. 1. *Cor.* VI, 19. 20. æquiſſimum eſt, ut de tanto Dei beneficio Eidem etiam בנדבה liberaliter omnibus, corporis non minùs quam animi, facultatibus ſacra faciamus. *Pſal.* LIV, 8. Porro & b) hoc decet nos, ut quæ mente volvimus, explicemus ore, ita Deo ſimiles reddimur, cujus inviſibilia, æterna potentia, & Deitas, ſive quod prima rerum cauſa & ſummum Bonum ſit, per opera perſpicua redduntur, Rom. I, 20. atque hoc etiam ad *Imaginem Dei* pertinet, ad quam indè equidem & primariò *ſimilitudo*, hinc verò etiam *illius viſibili-*

Digitized by Google

viſibilitas & demonſtratio, per opera externa, requiritur. Unde de Angelis equidem, quod Filii Dei ſint, nuſquam verò dicitur, quod ad imaginem Dei conditi ſint, dum è contrario de Chriſto, tanto majori cum Emphaſi, dicitur, quod ſit εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου *Imago* (viſibilis quaſi ſimilitudo) *inviſibilis Dei. Coloſſ.* I, 15. Accedit, quod, c) ſaltem quandoque, per religioſas externi cultus actiones, interna pietatis officia, quaſi ſubditis facibus, inflammentur; quod per corporis motus, virtute mutui nexus, cordis affectus creſcant, unde etiam mentis actus per corporis geſtus in Scriptura S. exprimuntur, dum illorum non modo Indices, ſed quandoque etiam fomites eſſe ſoleant. Et ſi noſter *Amor*, per externos actus, non ſemper intenditur, idem tamen d) viſo noſtro zelo, auditis ſuſpiriis, reliquisque animi officiis per externa demonſtratis, *in proximo incenditur*, qui per illa εἰς παροξυσμὸν *ardorem* (quaſi febrilem) *charitatis*, & *bonorum operum* abripitur. *Hebr.* X, 24. conf. *Matth.* V, 16. quâ de cauſa ſponſus etiam voluit, ſponſa altè vocem ſuam edat, ut non ipſe tantum, ſed etiam ſocii illam audiant. *Cantic.* VIII, 13. Unde e) illa veterum & recentiorum *Priſcillianiſtarum* inſtituta non poſſumus non improbare, qui corpus, ejusque membra, atque motus cultui Dei ſubtrahunt, veritatem animo continere, ore conticere volunt, atque iſtiusmodi animabus domi bonis, foris malis, de ſuo nihil profitentibus, omnia alia geſtibus ſuis extus ſimulantibus, pacem promittunt. Quaſi non ut *corde* creditur ad juſtitiam, ita *ore* fieri debeat confeſſio ad ſalutem. *Rom.* X, 10. Quaſi non ita ſit ſanctificanda Majeſtas Domini in corde, ut ex Illius Reverentia ſimul parati eſſe deberemus ad rationem unicuique reddendam de ſpe, quæ in nobis eſt. 1. *Petr.* III, 15. Hoc ſi licitum foret, poſſet quis bona arbor eſſe, & malos fructus ferre, contra *Matth.* VII, 15. 16. Ovis Chriſti eſſe, & alium paſtorem ſequi, contra *Joh.* X, 4. 8. Bonum ſemen recipere, & tempore perſecutionis deficere, *Matth.* XIII. atque ſic fide ſalvari abſque operibus, contra *Jacob.* II, 14. Quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet.

Digitized by Google

§. IV.

Tum privatim, tum publicè.

Vult autem Deus, ut ſic, animo pariter & corpore, non tantum à ſingulis privatim domi, ſed & ab omnibus publicè, in conventibus ſacris colatur. Vult enim 1) optimâ ratione coli; atqui ea eſt, quando veri Adoratores Dei, publicè etiam & conjunctim, omnibus luculenter oſtendunt, quâ Reverentia & Veneratione Deum colant, ſeque omnes ad Illius cultum mutuò excitent, uti quidem etiam Reges & Principes humani, à ſubditis ſuis, non privatum tantum ſervitium, ſed publicum etiam & univerſale homagium poſtulant. Juſtum eſt, 2) ut communia beneficia etiam in & à communione fidelium agnoſcantur, & communes hinc Deo laudes agantur; unde cum omnium vocatio eſt ad unam eandemque ſpem vocationis, hinc & una omnium fides, vinculum internæ communionis, & unum Baptiſma eſt, quod nos omnes in Eccleſia externa conjungit. *Epheſ.* IV, 4 5. Appetitus 3) quoque ut ſocietatis in genere, ita maximè religioſæ, hominibus ab initio fuit inditus; ſermo etiam, medium illius communionis, non minus atque ratio à Deo, in Dei laudes apud alios ebuccinandas, conceſſus fuit. Unde 4) ſimul atque plures extitêre in mundo homines, illi protinùs ad cultum DEI publicum convenêre. Vix duo erant *Adamo* filii, in ſacris nominati, & *Abel* etiam cum *Caino* communia Deo ſacra fecit. *Gen.* IV, 3. 4. Vix cum *Enoſo*, *Sethi* filio, familiæ in mundo multiplicari cœperunt, & multiplicatæ unà Nomen Domini invocarunt. *Geneſ.* IV, 26. 5) Per Oeconomiam *Veteris Teſtamenti* & unum ex pluribus tapetibus Deus conſtrui juſſit Tabernaculum, & ut in illo *omnes Maſculi* (fuerint pii, fuerint mali) coram Domino compareant, voluit, nec impediêre mali, quo minùs fidelium cultus Deo placuerit. Quodſi quis, ob prævalentem corruptionem, cœtibus publicis ſe ſubtrahere volebat, id adeo Deo diſplicuit, ut abdenti ſe *Eliæ* dixerit: *Quid hic Loci agis, Elia?* 1. *Reg.* XIX, 13. 14. Quinimo Spiritus S. fideles ad ſocietatem cum timentibus Deum, & propter hos etiam in cœtus ſacros excitavit. *Pſal.* CXIX, 63. Voluit ut Membra Eccleſiæ eſſent lapides compacti. *Pſal.* CXXII, 3. *Epheſ.* II, 20. Dedit mandatum, ut *paſcerent Capellæ apud Tabernacula Paſtorum. Cant.* I, 8.

Qui

Qui jungebantur DEO, ſuum etiam *locum* accepêre *in templo*: Vid. *Jeſai.* LVI, 5. 6. 7. Sic & 6) in *Novo Teſtamento*, quos ſalvare voluit Deus, Eccleſiæ, non tantum inviſibili, ſed etiam externæ & maturè malis & infirmis mixtæ, addidit. *Act.* II, 41. 42. *Chriſtus* ipſe 7) adeò non abſtinuit vel à cultu publico, vel qualicunque commercio cum hominibus mundi, ut cum publicanis & peccatoribus convixerit, additâ hàc ratione, quæ Separatiſmo nervum incidere videtur, *Miſericordiam malo quam ſacrificium*, i. e. Amorem peccatorum, eorumque ſalutem & ſalutis ſtudium malo, quam abſtinentiam ab illis, quæ ſacrificii loco à Phariſæis habebatur, dum ſe ſolos Deo puros & conſecratos eſſe putabant. *Matth.* IX, 13. Sic 8) improbantur ἑαυτοὺς ἀποδιορίζοντες, *qui ſe ipſos ſegregant. Jud.* ℣. 19. Prohibetur omne *Schiſma. Rom.* XVI, 17. Non deſerendam eſſe *Congregationem* τὴν ἐπισυναγωγὴν, vel *cœtum*, vel conveniendi *Actum*, 2. *Theſſ.* II, 1. & quidem vel inter hoſtium tentationes, & ideo, ut mutua quædam inſpectio, atque inde adhortatio & Conſolatio locum habeat, *Paulus* juſſit *Hebr.* X, 24. 25. Videtur Apoſtolus reſpicere ad invidiam converſorum è Judæis, qui nolebant conventus ſacros vel inſtituere, vel frequentare cum converſis è Gentibus. *Galat.* II, 11. 12. Ex qua æmulatione etiam peſſimum illud inſtitutum, primorum hæreticorum è Judæis, fluxit, qui ſolebant, ſe ſeparare à congregationibus fidelium è Gentibus. *Jud* ℣. 19. Adde, 9) incumbere unicuique ut audiat publicam *verbi prædicationem*, 1. *Cor.* XIV, 23. ex cujus auditu proficiendum eſt omnibus 1. *Tim.* V, 17. atque utatur *Sacramentis* à Chriſto inſtitutis, *Act.* XXII, 16. 1. *Cor.* XI. 24. Quilibet etiam tenetur ſe oſtendere tanquam membrum corporis in nexu ſuo, quale non agit & monſtrat, qui nulla ratione cohæret corpori. Sic & 10) illi, qui ſe ſeparârunt, & privata ſacra agere voluerunt, diſplicebant Eccleſiæ. Ita *Chryſoſtomus*, qui *Antiochiæ*, durante Schiſmate, nec cum *Flaviano*, nec cum *Paulino* communicavit. Errârunt διακρινόμενοι hæſitantes, à cultu publico abſtinentes Sæculo V. & ſequentes *Zenonis Henoticum*, ſive Edictum Pacificatorium.

Objicitur equidem ab illis, qui vitant communionem illam publicam, Imo: *Vitandam eſſe malorum communionem*, *Act.* II, 40. Objectio I.

2. *Theſſ.*

2 *Theſſ.* III, 6. 1. *Cor.* V, 11. & proin etiam *cœtus* publicos *Malis refertos.* Sed RESPONDEMUS:

Reſp. 1) Vitandum, intus & extus, eſſe *malum, Epheſ.* V, 11. *Jud.* ℣. 23. non per omnia *malos. Non,* quamdiu *ſpes ſupereſt, quod Chriſto eos,* vel in ipſa converſatione, noſtro exemplo, adhortationibus ad bonum, dehortationibus à malo, *lucrari queamus; Non* vitandos *in Mundo* & Negotiis hujus Seculi. Amor Patriæ virtus eſt, quem illi, vel inter malos, debemus. Datur communis amor, & varia ejus ſunt officia: *Non* in *Eccleſia,* & Cura ſeculi futuri. Ita Parentes ſemper, etiam inter Nævos filiorum, ad horum tamen converſationem & ædificationem illorum tenentur. *Ideo,* ſcribit *Auguſtinus, Epiſt.* 162. & 166. ad Donatiſtas, *Lucem te voluit ponendam non ſub Modio, ſed ſub Candelabro, ut luceas omnibus in Domo DEI; Matth.* V, 15. *Medicum iis, qui male ſe habent. Matth* IX, 12. Chriſtus ipſe, qui Animam habuit יחיד μεμονωμένην, *Pſal.* XXII, 21. *Juſtitiam prædicavit in magno Cœtu: Pſal.* XL, 10. 11. *Prov.* IX, 2. 3. etiam inter ſimplices & miſeros, ℣. 4. Hic prætextus, inquit THEODORETUS *Hiſt. Eccleſ.* Lib. IV. c. 20, plenus eſt ſuperbiæ, & è Phariſæorum Doctrina manans; Nam & iſti ſupremum animarum & corporum Medicum accuſant, dicentes SS. Apoſtolis: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter? Dixit Dominus, ut cum *Auguſtino* loquamur, præſente Juda, nondum mundi eſtis, ſed *jam mundi eſtis vos;* addit autem: *Non omnes,* quia ibi erat, qui mundus non erat, qui tamen ſi præſentia ſua ceteros pollueret, non iis diceret, *jam vos mundi eſtis. Joh.* XIII. 10. 11. XV, 3. Jubemur ςέλλεσθαι ἡμᾶς *ab omni Fratre inordinatè ambulante.* 2. *Theſſ* III, 6. 14. ſed non à communione Sanctorum. Paulus 1. *Cor.* V, 11. non in ſacram Synaxin, ſed δεῖπνον ἴδιον invectus eſt. Agit de vita communi, manducatione domeſtica, ex ℣. 9. 10. de commixtione cum Gentibus.

2) *Si ſpes* modo dicta *deficiat, vitandos eſſe malos, non pios propter malos.* Et

3) Si pii nunquam, omnium *minimè in Cultu publico,* vitandi ſunt. Sic enim ſolveretur *Communio Sanctorum* in ſuo *formali,*

ſive

Digitized by Google

ſive in illo opere, quod Sanctos reddit, & partem Sanctitatis conſtituit. Non accedere ad viri pii cœnam, cui mali interſunt, eſſet forſan negatio communionis Sanctorum, *Materialis* ad ſummum; ſed negare piis, propter præſentiam malorum, communionem precum, verbi, Sacramentorum, hoc eſſet ſolutio illius *formalis*. Et perpendantur

4) Quam contrarium illud ſit mandato Chriſti, qui vult, ut ne quidem *Zizanium* eradicetur, ex metu ne forte pii eodem fato involvantur, dum hi vel Triticum propter Zizanium eradicant, vel ſaltem ſemet ipſos ab illo ſeparant; & notetur ex illo loco, quod Chriſtus agat de Zizanio, quod non modo eſt in Agro, ſed cernitur, & quidem *in tanta copia*, ac ſi eſſet *ſeminatum*, nec caſu ſaltem, ſed incuriâ Paſtorum *dormientium*; quod per zizanium non leves ille nævos vel errores, ſed ſcandala & injuſtitias intelligat. *Matth.* XIII, ℣. 24. ad ℣. 30. & ℣. 37-43. Ratio in promtu eſt: Agrum ſine zizaniis, cœtum purum, quærenti exeundum erit è mundo. 1. Cor. V, 10. Separatio in die ultimo fiet.

Inſtant equidem II^do; *Participes* tamen *pios reddi alienorum peccatorum*, & hinc *judiciorum divinorum*, *quæ malos illos manent*. Object. II.
Sed *Reſp.* ſeparationem potius à ſocietate Eclesiaſtica illos alienorum peccatorum participes reddere, ſiquidem *ſchiſma*, citra ſufficientem cauſam, *Opus Carnis* eſt, quam ſchiſmaticis his deeſſe ſuperiora evincunt. Sic ſeparatione ſui, à Cultu publico, *ſcandalum* præbetur & *piis*, ut neceſſariò male vel de donis ſe ſeparantium, vel de Eccleſia judicent; & *Malis*, quibus miſericordia & debita correctio ſubtrahitur, quam admitterent mali à membro Eccleſiæ, non vero admittunt à ſe ſeparantibus ſive ſchiſmaticis. Si *obtendant*; Omnem *correctionem fruſtraneam* eſſe, *experientiâ* refelli poſſunt. Certiſſimum enim eſt, Pios in Eccleſia ſuo exemplo, monitisque multos in viam reduxiſſe, ad bonum ſaltem præparaſſe, aut ab uno alterove ſcelere, metu & reverentia retraxiſſe. 1. *Petr.* III, 20. 21. Reſp.

Inſtant III^tio *Parum tamen Fermenti totam Maſſam inficere.* 1. *Cor.* V, 6. *Gal.* V, 9. *Reſpondemus:* Inflatorum, tumidorum, de quibus Paulus egit. Id vero Piis non eſt metuendum verſantibus Object. III. Reſp.

tibus in officio ſuo, ſed ſperandum, quod potius Deus malos ad illos, ut ad Jeremiam, converſurus ſit, quam ut ipſi ſe ad malos ſint averſuri.

Object. IV. *Inſtant* IV^to, ſocietatum Eccleſiaſticarum eam nunc eſſe conditionem, ut *Mali multùm prævaleant*, & Numero & Auctoritate.

Reſp. *Reſpondemus*, hoc temerè dici, ſi ſub *Malorum* nomine *ſceleratos* intelligant; Eſſe, non equidem ratione Dei, ſed hominum, medium quoddam hominum genus, de quo judicium ſoli Deo relinqui debet. Non ita *prævalent*, ut *corrumpant Eccleſiam ipſam*, & vel idololatriam vel ſuperſtitionem introducant. Preces, Cantica, Conciones, Catecheſes, Eleemoſynæ nihil mali ſunt. Quam *corrupti* fuerant *Corinthii*, in Sectas ſciſſi, carnales in judicio ſuo, litigantes coram gentibus, cum illis Idolothyta comedentes, inordinatè agentes in S. Cœna, Paulus tamen hos ipſos, pueros tantum in Chriſto docuit, quibus etiamnum lac præbeatur. 1. *Cor.* III, 1. 3.

Object. V. *Urgent* V^to. diſerta *Pauli Mandata*; Nihil eſſe cum peccatoribus Commercii inſtituendum, non cum illis edendum. 1. *Cor.* V, 9. 11. 2. *Theſſ.* III, 6. 14.

Reſp. *Reſp.* 1) Paulum in illis locis agere de vitandis ſceleratis, non agere de vitanda Eccleſia, in qua tolerantur ſcelerati; 2) De vitando convictu civili non ſacro; 3) De convictu cujus privatio cedat in pœnam nocentis, non innocentis; ſed ſi convivia ſacra & Euchariſtica eſſent prohibita inter malos, hoc magè tenderet in pœnam innocentis. Civile convivium eſt arbitrarium, ſacrum vero à Deo præceptum; periculum infectionis locum habet in convivio civili, nullum vero in ſacro. Ad convivium civile accedimus ex amore perſonarum invitantium aut invitatorum, ad S. Cœnam vero ex amore Chriſti, qui niſi eſſet, cum illis non ederemus; ita ut ad illos, qui nobiſcum edunt, ſi mali ſunt, dicere poſſimus, quod Chriſtus dixit ad eos, qui coram ipſo comederant; *Non novi vos. Luc.* XIII, 26 27. 4) Hæc Mandata dari cœtui, *non ſingulis*, prorſus ut *Matth.* XVIII, 17. *Si ſinguli* tamen id ſibi dictum credant, id eo usque ſaltem extendi debere, ut moneant cœtum, ſive illius Præpoſitos, de excludendis; ut, ſi non excluduntur, & odio habeant illorum malitiam, & hoc odium, negato familiari commercio,

cio, improbatis ſceleribus, declarent, ut pateat ipſo facto, ſe in uſu S. Cœnæ communionem cum Eccleſia & piis, nullam autem cum talibus, quamdiu vitiis his conſpurcati manent, fovere velle, ita ſe potius ſeparant ab illis, quam ut edant cum illis.

Urgetur tandem VIto, ex 2. *Corinth.* VI, 14. 17. *Non eſſe ſubeundum jugum cum infidelibus, ſed exeundum. Reſp.* Clarè loquitur Apoſtolus de gentibus non converſis. 1. *Cor.* VI, 6. VII, 12. 13. 1. *Timoth.* V, 8. & loquitur de non ineunda communione cum illis in actionibus malis, hinc nullam, in ſequentibus, dicit eſſe communionem *injuſtitiæ*, non *injuſtorum*, cum ἀνομία. Prohibet communionem cum Idololatris in eſu idolothytorum, (unde addit: *Quæ conſenſio templi Dei cum idolis?*) cum luxuria Corinthiorum ſimilibusque, unde totam ſuam adhortationem hoc monito concludit, *ut ſe purificent ab omni pollutione corporis & ſpiritus.* 2. *Cor.* VII, 1. 2. ita ut prorſus conveniat cum *Epheſ.* IV, 17. 20. Object. VI. Reſp.

§. V.

Ut autem Deus in cœtibus publicis ritè colatur, omnia ordine fiant & decenter, neceſſe eſt. Eſt enim 1) Jehova *Deus Zebaoth*, Deus ordinatiſſimi *Exercitus*, qui, ut quondam *Iſraelem*, velut exercitum in multas turmas, ſecundum XII. tribus diviſum, ex Ægypto eduxit; (unde nomen Zebaoth ei videtur tributum, *Exod.* VII, 4. XII, 41.) ita non minus Eccleſiam ex *gentibus* ordinatiſſimè exſtruxit, (hinc dicebantur צבאות גוים) *Jer.* III, 19. & inde *Deus* non confuſionis, ſed *ordinis.* 1. *Cor.* XIV, 33. 40. Sicuti in toto orbe omnia ordine, menſura, numero fecit, ita 2) cumprimis *Eccleſiam ordinatiſſimam* eſſe voluit *compagem*, hinc vocatur *ſanctuarium*, cui *robur* & *ornatus* eſt, ſive inde *vis* per Spiritum S. *in verbo*, tanquam cauſa, hinc *decus* in membris Eccleſiæ, & eorum ordine, tanquam effectus. *Pſ.* XCVI, 6. *Regnum* Dei *civitas* ordinata vocatur. *Pſal.* XLVIII, 1. & CXXII, 3. 4. Sub confuſione 3) nihil eorum, quæ dicuntur, certo uſui inſervit, unus alterum ſaltem impedit. Hinc 4) ſicuti de ordine gaudebant Apoſtoli; *Coloſſ.* II, 5. ita inordinata vitabant, 2. *Theſſal.* III, 7. & aliis etiam prohibebant, *ibid.* ℣. 6. 11. Idque ordinatè.

Digitized by Google

atque ſub illo nomine *vitæ inordinatæ* in ſpecie *otium* & *περιεργίαν*, hincque ortam *circumcurſitationem* intellexerunt, cujus fructus, ſecundum verba *Cocceji* ad 2. *Theſſal.* III, 11. §. 36. 37. notatu digna, eſſe ſolent, *velle noſſe aliena ſecreta, venditare proximi æſtimationem, velle videri neceſſarium multis, faciem pædagogicam aſſumere, ſuſpirare & ingemiſcere ſuper aliorum peccatis, queri de omnibus, accurationem & ἀκρίβειαν exigere, &, ſub eo prætextu, aliquid facere, quod vulgus non facit, in geſtu, habitu, & quadam abſtinentia.* Ideo etiam 5) in Eccleſia, per modum conſilii, inde ab initio, pro cujusque Eccleſiæ conditione & ſtatu, præſcriptus fuit ordo, ſecundum quem externa Sacra dirigi & adminiſtrari debeant. Quomodo *liturgiæ Jacobi* mentio fit, ad indicandam ordinationem Eccleſiaſticam, qua Eccleſia Hieroſolymitana & Credentium ex Judæis, uti cœpit, ſenſim tamen in eam formam aucta, quæ hodie extat. Is ordo à Patrum memoria ſub nomine *Politiæ Eccleſiaſticæ* venit, quam, omnium inſtar, *Wilhelmus* ZEPPERUS & *Giſb.* VOETIUS explicuêre.

Object. I. *Objicitur* equidem ab illis, qui omni ordini externo dicam ſcribunt, *ſpiritum flare, quo & quomodo vult. Joh.* III, 8. unde leges ei, etiam in conventibus publicis, homines nec poſſint nec debeant figere, id quod cumprimis *Robertus* BARCLAIUS in *Apologia* urget. *Reſp.* 1) *Flare* equidem, ſed *ordinatè*, ut in recto tramite homines contineat. *Jeſai.* XXX, 21. ita ut non unum tamen ejus donum refragetur alteri, non zelus manſuetudini & modeſtiæ. *Luc.* IX, 1. 7. Sic ut nec perſona, ſpiritu prædita, aliam impediat in functione ſua, ſed *ſpiritus* ipſe *Prophetarum*, dans & fidem & revelationem & zelum, ad docendum & redarguendum, *Prophetis* ſit *ſubjectus*, ut conſilio illorum decenter, ſuo tempore & loco agat, quod, cum obſervatione ordinis externi, Paulus conjungit. 1. *Corinth.* XIV. 2) Proin *flare, ut non diſſlet ordinem.* Nunquam potentius egit, quam in initio N. T &, non obſtante tamen illa virtute ex alto, quæ homines ad proferendum τὰ μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ impulit, exemplo tamen Chriſti *Joh.* XX, 19. approbatione ſpiritus ipſius. *Actor.* II, 1. Apoſtoli ad cultum ſtata tempora conſtituêre. *Actor.* XX, 7. 1. *Cor.* XVI, 1. Stata loca. *Actor.* XVI. 13. *Jacob.* II, 2. ex condicto,

Reſp.

non

non impulſu, convenêre. *Matth.* XVIII, 19. & paſtoribus, etiam Spiritu S. præditis, ſecundum præſcriptas regulas in Domo Dei erat ambulandum. 1. *Tim.* III, 15. Imo 3) ordinati cultus exercitia ſtata, probè obſervata, media fuêre implendi ſe ſpiritu. *Col.* III, 16. *Epheſ.* V, 19. & reſuſcitandi dona Spiritus. 2. *Tim.* I, 6.

Objicitur ſecundò, *nos* continuò *urgere ordinem* minus neceſſarium, *& omittere*, quod rei eſſentiam conſtituit, *pietatem.* Sed *reſpondemus: a*) Non urgere nos ordinem propter ordinem, ſed propter pietatem, & nequidem tanquam actum vel ſpeciem ejus, ſed tantum ut medium facilitandi pietatem; itaque, ſaltem in doctrinis noſtris, urgeri *illud*, omitti *hoc*, ad calumnias ſpectat. *b*) Urgere nos maxime ordinem illum, qui divinæ inſtitutionis eſt, quem & Paulus urſit, haud dubiè, quod ad pietatem, Deique gloriam inſerviat. *c*) Ordinationes autem humanas non præſcribere nos ut præcepta, quæ conſcientiam obligent, 2. Cor. I, 24. quod potius aliis vitio vertimus, qui faciunt ſeu permutant Ἐντάλματα ἀνθρώπων in Διδασκαλίας, *Matth.* XV, 15. ſed commendare tantum ut conſilia, quæ tamen innixa generali præcepto & ſtatui præſenti convenientia, hac de cauſa, quod ordinationes humanæ ſint, non protinus procaciter ſunt rejiciendæ, quod ſaltem contra modeſtiam & reverentiam eſſet paſtoribus debitam, *Hebr.* XIII, 17. ubi πείθεσθε ad ea, quæ traduntur, ex verbo Dei, ὑπείκετε vero ad conſilia & ordinationes reſpicit, ne, ob reverentiam paſtoribus & concordiam fratribus debitam, boni ordinis ergò inſtituta facile mutent; quod oſtendatur, quid in ejusmodi ordinationibus verbo Dei contrarietur. Sic & *d*) videre in Eccleſia unanimitatem atque *ordinem*, cum profeſſione Nominis Chriſti, & promtitudine recipiendi doctrinam Chriſti, ſine diſceſſionibus in partes, ſaltem tanquam bonum externum, unà *cum fide*, pro argumento ſui gaudii Paulus habuit in Coloſſenſibus. *Cap.* II, 5. Minus utique *e*) periculum eſt imminutionis pietatis, ſi ſecundum præſcriptum ordinem ſeriò agatur, quam ſi agenda in cultu Dei, etiam publico, ſingulorum arbitrio relinquantur; id, quod illi agnoſcant, juſtum eſt, qui, præ aliis vitiis, ſecundum myſticum terminum, die Eigenheit, ex proprio arbitrio agendi modum abnegandum eſſe judicant, & hactenus

Object. II.

Reſp.

nus quidem rectè. Ipſa etiam *f*) experientia evidenter docuit, vel hiſce noſtris temporibus, quod ab ordine recedere pietatem non promoverit, ſed multis modis impedierit; quodque plura capita poſtremæ ſeparationis, cum vario & multiplici dolore, agnoverint, licentiam naſci ex defectu ordinis, mediante quo intra debitos cancellos homines contineri queant, unde & plures illorum ad noſtrarum Eccleſiarum ordinem rediêre; quod, cum *Eva Winteria* ſceleſtos ſuos fœtus extruderet, quæ ſuis idololatriam, omne genus pollutionis & infanticidia commendavit, non habuerint ſeparati, unde horrendo illi malo occurrant; quod, licet quidam ſegreges manſerint, plerique tamen iterum in novos cœtus coiverint, ſimulque ſibi novos in externis agendi ordines præſcripſerint, qualem in ſpecie *Baptizantes*, die Täuffer, habent, & hodie inſpirati ſuis denuò commendant, qui, in cœtibus ſeparatis, in id juxta incumbunt, ut ſuos à mentali oratione, ad precationes orales, & externos conventus revocent, qua de re *Epiſtolæ Neumanni* & aliorum, in denen Erfahrungs-vollen Zeugnüſſen von denen Inſpirirten, legi poterunt.

§. VI.

Unde in Eccleſia, inter dirigentes & dirigendos, diſtinctio.

Ordo vero requirit, ut non omnia omnes tractent; ſed etiam in ſocietate eccleſiaſtica membra ſint, tum dirigentia, tum dirigenda. 1) Quia, ſi omnes Domini, nemo ſervus, omnes imperantes, nulli parentes eſſent, mera inde naſceretur confuſio, nec vel docere, vel diſcere, vel corripere, vel ſolari locum obtineret. 2) Eccleſia corporis rationem habet, at in corpore unum membrum non poteſt organon eſſe omnium ſenſuum & omnium actionum. Hac de cauſa 3) etiam, Dei nutu, *diſtinctiones* ſunt *charismatum*; & *Miniſteriorum*, ut ſi quis vel plura charismata ſimul poſſideat, eam tamen nonniſi illo ordine & loco, quem Deus per vocationem ipſi aſſignavit, exerceat, id quod ex profeſſo Paulus 1. *Cor.* cap. XII. probavit. Idem quoque 4) diſertè tradit, quod Deus (paſtorum munus non eſt ἀνθρωπίνη κτίσις) QUOSDAM, non omnes, dederit ſive POSUERIT, non jam hunc jam illum impulerit, & quidem non, ut ſemel iterumque loquantur, ſed *ut ſint Apoſtoli,* quoſdam ut ſint *Prophetæ, Paſtores, Doctores; Epheſ.* IV, 11. in ſpecie

cie vero 5). mulieres, à docendo in Eccleſiis, excluſas voluit. 1. *Tim.* II, 12. & 1. *Corinth.* XIV, 34. 35. adjunctis argumentis emphaticis, quæ evincunt Verbum Dei, non ad hos illosve ſeparatim veniſſe, aut ab illis exiiſſe, ut alios à juſto ordine revocare queant, petens ſimul à mulieribus, ut & ordinem à Deo in natura inſtitutum & decus ſui ſexus, in Sacris etiam, illum ſubmiſſione, hoc modeſtia & pudore, utrumque ſilendo declarent.

Objicitur equidem *primò*: *Incumbere* tamen *omnibus* fidelibus, *ut verbo & exemplo* proximum *doceant*, lapſos erigant, laxantes firment, ſegnes excitent, mœſtos ſolentur, 1. *Theſſ.* V, 14. & *ſpirituale* quoddam *ſacerdotium exerceant*, nec precibus tantum & beneficentia, ſed etiam *annunciatione virtutum Domini.* 1. *Petr.* II, 9. Object. I.

Reſp. Officia illa Chriſtianorum mutua non modo non improbari, ſed maximopere etiam commendari à noſtris. Vid *Spenerus* in ſeinem geiſtlichen Prieſterthum. Quæſt. 54. & 64. Ahasv. *Fritſchius* von der Erbauung des Nächſten durch gottſeelige Geſpräche. Sed *functio* particularis *paſtorum* ab officio communi Chriſtianorum *differt* ET *origine*; non vocati ſe non ponunt in honorem hunc, *Hebr.* V, 4. ET *objecto*; Chriſtiani docent ſingulos, vel paucos, paſtores cœtum integrum, ſanguine Chriſti emtum. *Act.* XX, 28. ET *munere* ipſo; paſtoribus incumbit cura animarum, de quibus illis maximè reddenda eſt ratio. *Hebr.* XIII, 17. & diſpenſatio myſteriorum Dei; 1. *Cor.* IV, 1. tandem ET *circumſtantiis*; Chriſtiani privatim, paſtores etiam in cœtu docent, *illi* data occaſione, & ita ut ne quidem in privatis congreſſibus unus idemque ſemper verbum facere debeat, *hi* vero & ἀκαίρως & εὐκαίρως, ſtatis maxime temporibus, idque etiam, quod illis deeſt, μετὰ πάσης Ἐπιταγῆς. *Tit.* II, 15. Reſp.

Objiciunt ſecundò, *Non eſſe defodiendum talentum.* *Reſp.* Inde non ſequitur, quod eo quis inordinatè uti debeat. Poteſt ſervus plus ſpiritus & ſapientiæ habere quam Dominus, ideo tamen non uſurpabit dominium. Habet per illud ſuam ἰδίαν πρᾶξιν, *Rom* XII, 4. in qua maneat. 1. *Corinth.* VII, 24. Si ſuperet alios petat Epiſcopatum, 1. *Tim.* III, 1. ſubjiciat ſe examini, & ordinetur. ℣. 10. Obj. II. Reſp.

Objicitur

Object. III. Reſp. *Objicitur* tertiò: Etiam *Principes* Benhail, Obadiam, Zachariam &c. *miſſos fuiſſe ad docendum*. 2. *Chron*. XVII, 7. *Reſp*. ללמד ibidem non ſignificare *ad docendum*, ſed reddendum eſſe *ad faciendum diſcere*, quo ſenſu redditur à Chaldæis & in verſione Judæorum germanica. Quomodo id fieri debebat, indicatur, ℣. 8. 9. ſcilicet, non informatione privatorum publica, ſed excitando, monendo, loquendo. Conf. 2. *Chron*. XIX, & cap. XX. ℣. 20.

Object. IV. Reſp. *Objiciunt* quartò, exemplum *Eldad* & *Medad*, qui *prophetabant* in caſtris. *Numer*. XI, 26. 27. coll. ℣. 29. ſed prophetabant modo quodam extraordinario, *& non addebant*, ℣. 25. id eſt, non prophetabant amplius. Vid. *Deut*. V, 22. *Votum Moſis*, ℣. 29. non omnes in munus ponit. Etiam *Paulus* optat: *Velim autem omnes vos* loqui linguis, magis tamen ut prophetis. 1. *Cor*. XIV, 5. Interim tamen & idem quærit: *Num omnes Apoſtoli? Num omnes Prophetæ? Num omnes Doctores?* 1. *Cor*. XII, 29. 30. Quia illi prophetabant *de facto*, qui, ob ſpiritus impulſum, non poterant aliter, an ideo quilibet idem poteſt de jure? Dona ſpecialia non idem ſunt, quod impulſus. Aliud ſunt dona, aliud miſſio. *Joh*. XX, 21. *Rom*. X, 15.

§. VII.

Dirigentium ſummum, & unicum Caput Chriſtus eſt. *Ut membrorum corpus humanum dirigentium ſummum eſt caput; ita Eccleſiæ ſummum & unicum caput Chriſtus eſt.* Ille ſolus ὁ πρωτεύων caput eſt ſui corporis, Eccleſiæ. *Coloſſ*. I, 18. 1. *Cor*. III, 11. *Epheſ*. I, 22. 23. IV, 11. 12. Sicuti enim, juxta obſervationem Anatomicorum (vid. *Niewentiit Werelt-Beſchouwinge*, cap. XVII. §. 16. XXX, §. 6.) in Embryone trium hebdomadum, τῦ גלם, ſive maſſæ illius tertiam partem *caput* conſtituit, à quo deinde reliquæ ei involutæ partes ſenſim evolvuntur, & evolutæ ſuis humoribus implentur, ita *à capite Chriſto* membra derivantur, ita ut *ex illo totum corpus* ſit συναρμολογούμενον *congruente ratione & proportione conſtructum*, *& compactum per omnem commiſſuram* ſive juncturam τῆς Ἐπιχορηγίας *ſuppeditationis* à capite factæ. *Epheſ*. IV, 16 *Coloſſ*. II, 19. Ille ſolus Eccleſiam verbo & ſpiritu, ut caput corpus nutu ſuo regit; Ab illo omnis vita in credentibus. *Gal*. II, 20. Ut in capite ſedes eſt rationis, ita in Chriſto

Digitized by Google

Chriſto omnes theſauri ſunt ſapientiæ & cognitionis. *Coloſſ* II, 3. ſine Chriſto & ejus Spiritu ſola ſumus ἄλογα. Ut velle capitis eſt annuendo; ita Chriſtus, quidquid vult, in Eccleſia facit. In capite loquela eſt; os noſtrum apud Patrem Chriſtus eſt. Capite recumbente recumbit, reſurgente reſurgit corpus; cum Chriſto ſumus mortui & vivificati. *Rom.* VI, 4. Coronato capite decoratur corpus; Gloria Chriſti eſt, eritque gloria Eccleſiæ. *Nec* præter illum *aliud caput* datur. *Nullum* eſt *ſecundarium* caput. Non poteſt illud fieri. Nemo ſufficit tanto oneri. 2. *Cor.* II, 16. Etiam Apoſtoli operas partiebantur, *Gal.* II, 7. 8. nec defectibus mederi, nec ſchiſmata tollere poterant. Pontifices non debebant fieri. Obſtat mandatum Chriſti *tum* negativum, *Luc.* XXII, 26. major & minor, Dominus & ſervus ſint vobis eadem res, *tum* poſitivum. *Matth.* XVIII, 1. 2. Si ſecundario capite viſibili opus eſſet, id inde flueret, quod *vel* operationes capitis non pertineant ad omnia membra, ſed contrarium videtur, *Epheſ.* IV, 15. 16. *vel* quod membra non recipere poſſent, quod datur à capite, fit vero Ἐνέργεια ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου. *Epheſ.* IV, 16. Non etiam factum fuit; tempore enim erectæ Eccleſiæ Chriſtianæ nullum erat munus, in quo non habuerint collegas, & gradus illi, qui *Epheſ.* IV, 11. indicantur, ſufficiebant, ut ad ædificationem Eccleſiæ, ita ad coagmentationem Sanctorum, ſive miniſterio conſecratorum; atque ita nullum ab initio Eccleſiæ caput fuiſſe, *tum* ex æqualitate Apoſtolorum, maximè *Petri* & *Pauli*, cumprimis in Eccleſia Romana, *tum* & Politia primarum Eccleſiarum patet.

§. VIII.

Sub hoc *Capite* ſunt *membra dirigentia*, quæ *miniſtrorum* nomine veniunt. Eorum *alii* fuerunt *extraordinarii*, *alii ordinarii.* *Extraordinarii* dicebantur illi, qui vocatione immediata, impulſu & donis Spiritus S. extraordinariis, vel ad Eccleſiam plantandam, vel ad plantatam, ſed collapſam potenter reſtituendam, inſtruebantur. *Illius* generis erant quondam *Apoſtoli*, *Prophetæ* & *Evangeliſtæ*, *hujus* generis vero *Reformatores*, qui non ſine ductu immediato, licet donis ordinariis, impulſi, ad inſtar domus *Stephanæ*, 1. *Cor.* XVI, 15. ſemetipſos poſuêre ad Miniſterium

Sub quo ſunt membra dirigentia. Scil. א) Miniſtri extraordinarii.

rium Eccleſiæ, de quorum vocatione plures, contra pontificios egerunt ſcriptores Evangelici.

§. IX.

An detur miniſterii extraordinarii ſub N. T. continuatio, examinatur.

An vero *tale extraordinarium miniſterium*, in ſpecie *propheticum, vel* ab initio Eccleſiæ ad hæe usque tempora *continuârit, aut* ſaltem, ſingulari Dei gratia, *hiſce poſtremis temporibus, revocatum fuerit*, ad meliorem Eccleſiæ ordinem? Quæſtio eſt gravioris momenti; Si enim legatos ſuos denuo miſiſſet Deus, non ſine aperto Dei contemtu verbum illorum inſuper haberetur; Si vero ſatanas ſe in angelum lucis transformaret, metuenda omnino eſſet tentatio graviſſima, &, quidquid Inſpiratorum defenſores in contrarium dicant, majus multo periculum ex parte ejuſmodi extraordinariorum, quam ordinariorum, ſi non equidem numerum tentationum, ſed rem ſpectes, exſpectandum, quia ordinarii miniſtri, cujuscunque illi ſectæ ſint, auditores ſuos remittunt ad ſcripturam, unde quidquid illi doceant, id pio & circumſpecto auditori non nocebit, nec enim alia vel plura admittet, quam de quibus convictus eſt, quod ea cum verbo Dei conveniant, è contrario vero in illis, qui immediatam miſſionem & revelationem jactant, medium evitandi tentationem prope nullum ſupereſt, vi enim muneris extraordinarii, quod tales agnoſcunt, tenentur ad eorum verba pari authoritate recipiendum atque ſcripturam ipſam; & augetur periculum inde, quod apertè doceant, nova Deum hodie fidei dogmata non minus quam olim per Apoſtolos tradere, & cum ſimul abolitionem regiminis civilis & Eccleſiaſtici, ut ſe hodie habet, prædicere ſolent, evidenter patet, quam facilis hinc ad *Munzerianas* & *Monaſterienſes turbas* deſcenſus ſit. Ad rem ipſam autem pauca, ut notemus, operæ pretium erit.

§. X.

Quænam pro illa faciant.

(I) Concedimus, non eſſe abſolutè impoſſibile, quo minus Deus hodie voluntatem ſuam æque atque olim mentibus hominum immediatè patefaciat. (II) Improbabile non eſſe, pro conditione temporum, menſuram donorum Spiritus S. auctum

iri,

Digitized by Google

iri, & maxima ſpiritûs incrementa poſtremis temporibus exſpectanda eſſe, in quibus cognitione Domini terra, ſicuti aquis mare, replebitur, & in quibus maxima illa opera, Judæorum & gentium converſiones, majus omnino cognitionis, fidei, zeli pondus requirunt, quam quidem in Eccleſia externa, ſive apud miniſtros, ſive apud populum cernitur. Vid. *Zach.* XII, 10. 11. Nec (III.) fortè etiam dona illa ſoli tum erunt miniſterio illius temporis propria, ita certe clamor ille in media nocte exoriturus, quod ſponſus veniat, ab opere invitantium & evocantium miniſtrorum peculiare & diverſum quid eſſe videtur. *Matth.* XXV, 6 Confer. *Dan.* XII, 4, ubi verba: ישטטו רבים *Percurrent multi*, ותרבה הדעת, & *multiplicabitur ſcientia*, non videntur ſolum ad permanens quoddam, in certis Eccleſiis, miniſterium referenda eſſe; שוט enim idem eſt, ac διαπορεύεσθαι *circumvagari. Num.* XI, 8. *Job.* I, 7. *Zach.* IV, 10. ut ſic ad tales reſpici queat, qui non tantum inter credentes circumvagari debeant, ſed & egresſuri ad alias gentes, ipſarum convertendarum gratia. Sic & (IV.) ſtricturæ quædam luminis prophetici, per omnia ſæcula N. T. obſervatæ fuêre, id quod *Micrelius* in *ſyntagm. Hiſt. Eccleſ.* Lib. II. & III. pluribus probavit. Et tandem etiam (V.) hoc addi poteſt, quod quicquid à quocunque, etiam ab illis, quorum miſſio non usque quaque explorata eſt, de viis & voluntate Dei, convenienter verbo ejus, dicitur, illi, non equidem propter dicentem, ſed ob æquitatem rei & reverentiam verbo Dei habendam, morem gerere debeamus, edocti: cogitandum eſſe ſemper, *non quis* loquatur, *ſed quid* dicatur.

§. XI.

Interim hic non ſubſiſtimus, ſed & ex altera etiam parte notamus, א) quod quidquid vel in poſtremis temporibus, futurum eſt, non modo in verbo Dei contineatur, ſed & quod etiam homines, quos Deus mittit, illud non tam ex propria revelatione, quam ex ipſo illo verbo tradituri ſint, ut prophetia poſtremi temporis argumento à priore non ſit futura diverſa. Ita certè lex *Moſis teſtis ille Iſraëlis*, etiam myſtici, *eſt usque ad finem*, proin & norma futuræ converſionis Judæorum. *Deut.* XXXI, 19. 26. Quænam verò contra illam ſint.

19. 26. *Jeſai.* LIX, 21. 2. *Corinth.* III, 15. 16. *ultimis temporibus locutus eſt Deus per Filium. Hebr.* I, 1. & *de hisce* filii *verbis* ab Apoſtolis datis *ſumit Spiritus*, & id annunciat hominibus. *Job.* XVI, 13. 14. Etiam in poſtremis temporibus *teſtimonium JEſu*, per Prophetas & Apoſtolos latum, *eſt Spiritus prophetiæ. Apoc.* XIX, 10. Ipſa *nova Hieroſolyma per* verbum 12. Apoſtolorum, ceu per totidem *portas*, *gentibus patet. Apoc.* XXI, 12. Et certe ב) inde à primis ſæculis, poſt Apoſtolorum tempora, nec unus quidem propheta oſtendi poteſt, cui vi ſuæ miſſionis fides in Eccleſia habita fuit. Referuntur equidem teſtimonia quædam de Prophetis, etiamnum in ſecundo & tertio ſæculo extantibus. Sed nemo fuit vel tum qui ſcripta eorum cum ſacris literis comparaverit. Et fuerint prædictiones illorum non equidem malignè confictæ, quod tamen divinæ fuerint, evinci non poteſt. ג) Pertinet munus Prophetarum ad extraordinaria munera N. T. quæ, quatenùs immediatæ inſpirationis erant, nunc ceſſant. Illi, de quibus 1. *Corinth.* XIV, 29. 32. agitur, ad Doctores extraordinarios non ſpectant, nec eos infallibiles fuiſſe dicitur. Sermo Dei non erat ab illis profectus. ✝. 36. Mulieres ab illo munere docendi arcebantur, cum tamen à dono prophetiæ, veluti ex exemplis Mirjam, Deboræ, Huldæ, &c. conſtat, non per omnia fuerint remotæ. ✝. 34 Vid. omnino Voetius *Polit. Eccleſ.* Lib. II. Tract. III cap. II. & Bullinger *contra Anabapt.* Lib. III. c. III. IV. *ſeqq.* Sic ד) poſt conſignatum canonem, & fundatam, verbo Prophetarum & teſtimonio Evangeliſtarum, Eccleſiam, integrum quoddam Prophetarum munus etiam neceſſarium non eſt. Non ad *dogmata*, quia jam Apoſtoli locuti ſunt ſapientiam, etiam inter perfectos. 1. *Cor.* II, 6. Non ad *fata Eccleſiæ* indicanda, quia jam omnia in ſacris literis ſunt conſignata. Data eſt Apocalypſis eorum, quæ futura ſunt Johanni. *Apocal.* I, 1. 19. Nec etiam ad *excitationem* hominum abſolute neceſſarium eſt. Argumenta, quæ excitant, Chriſtus dedit, & protulerunt Apoſtoli ſufficientia. Nec utique plus præſtare poterunt Prophetæ poſteriores, quam quidem illi, quorum verbum ut quibusdam odor vitæ ad vitam; ita certe pluribus odor mortis manebat ad mortem. Non proponi poterit *nova veritas*, quæ efficacius

Digitized by Google

eaciùs faciat ad pietatem, quam verbum veritatis, Evangelium ſalutis; Non etiam *alius illam* veritatem efficacior *proponendi modus*, nam & Spiritus per Ἔλεγχον mundi egit in Apoſtolorum verbo. Et quo magis alius quidam modus recederet ab ordinaria & in S. Literis fundata agendi ratione, eo minus ſe ille commendabit malis, qui revocari nollent, & in hac novitate novum potiùs obdurandi cor ſuum obtentum quærent. Nec etiam η) tale Prophetarum munus, poſtremis temporibus futurum, in S. Literis usquam innuitur. Allegatur equidem *Joël* II, 28. 29. & *Actor.* II, 16. 17. 18. ſed evidentiſſimum eſt, nihil aliud promitti, quam 1) dona Spiritus extraordinaria cum Apoſtolis & primis Chriſtianis communicatum iri, & donorum ordinariorum menſuram abhinc uberiorem ſecuturam, idque inde patet, quia verba poſteriora expoſitio ſunt membri prioris. Id, quod in priore membro ſub *ſpiritus* nomine venit, in poſteriore per *Prophetiam*, *viſionem* & *ſomnia* exponitur; id quod in *illo* Joël *omnem carnem* vocavit, hoc in *poſteriore* membro ſpecialius explicat per *filios*, *filias*, *ſenes*, *juvenes* &c. Cum autem Spiritus S. in omnem carnem non fuerit effuſus cum donis extraordinariis, evidens eſt, quod, præter hæc Apoſtolorum dona, ſub nomine *Prophetiæ* &c. etiam dona Spiritus ordinaria & communia, uberiorem notitiam, ſermonem, zelum, indicaverit, prorſus ut vox Prophetiæ hoc ſenſu ſumitur. *Rom.* XII, 6. coll. cum 1. *Petr.* IV, 11. eſtque eadem loci illius ratio, quæ 2. *Sam.* VII, 14. 15. 16. ubi ſub iisdem verbis diverſiſſima Chriſti & Salomonis fata continentur. Atque licet 2) ſtricturas luminis Prophetici, ſingularem quorundam zelum, ſimiliaque, poſtremis temporibus abnegare nolimus, videtur tamen omnino Chriſtus *Matth.* XXIV. clarè ſatis indicaſſe, communionem & manifeſtationem ſui non fore quibusdam, præ reliquis, per iſtiusmodi dona extraordinaria, particularem, quando præſentiam ipſius non deſertis, non ſacellis alligatam fore, ſed futuram dicit ſicuti fulgur ab oriente ad occidentem. *Obj.* *Reſp.*

§. XII.

Tandem & hoc ſubjungimus: Ipſis illis inſpirationibus, noſtris temporibus, jactatis non deeſſe, unde illarum falſitas evinci, *Inprimis adverſus inſpirationes*

noſtrorum temporum.

evinci, aut graves contra illas ſcrupuli formari poſſint. E gr. Quod 1) exacte inſiſtant veſtigiis & verbis etiam *Chriſtoph. Kotteri* Cerdonis, *Chriſtinæ* Poniatoviæ & *Nicol.* Drabitii, quorum revelationes tanta ſtyli majeſtate gaudent, quanta nulla hodiernarum, & tamen ipſe *Drabitius*, ante ſupplicium ſuum, fraudes publicè confeſſus eſt, & quod ſpiritus in illis ad rebellionem homines, & ad defectionem ipſos à Domo Auſtriaca excitaverit; quodque fruſtraneus eventus clarè ſatis docuerit, eos non fuiſſe Prophetas divinitùs miſſos. 2) Quod inſpirati noſtri in ſpecie *Sevennenſibus*, *Cavallerio*, *Alluto*, &c. ſuam videantur originem dediſſe; & de illis tamen iterum ſecus ſuſpicari licet, quia arma arripuerunt contra Magiſtratum ſuum, quia ſingula prœlia ad totidem inſpirationes inſtituerunt, de quibus ſucceſſus, quo tamen deſtituebantur, promiſſus fuit; ut, quæ de termino malorum. An. 1706. ſcripsêre, ſimiliaque, tranſmittamus. Ita 3) quod nullam inſpirationem præ ſe ferant, quam non extraordinarii corporis motus præcedant. Spiritus Prophetarum in plerisque juſtæ rationis uſum, ſine ſingulari motu, conſervavit, ſique aliquando in Ecſtaſin abripiebantur, id rariùs contigit; unde jam in ſæculo ſecundo, ubi tamen veri Prophetæ vix & ne vix quidem deſierant, id in *Montaniſtis* pro nota falſæ inſpirationis habitum fuit, quod ad omnes ſingulari corporis tremore laboraverint. Vid. *Tertullianus de Anima*, c. IX. *Origenes contra Celſum* Lib. II. pag. 62. & Lib III. pag. 124. *Epiphanius in Hæreſ.* XLVIII. Tandem 4) quod ſeparatis maximè faveant, & Eccleſiam viſibilem, etiam quoad doctrinam veram, Babel vocent, ex quo exeundum ſit, contra *Apoc.* XVII. quod in ſpecie miniſterio ſacro infenſi ſint; quod tamen inſpirationes, tempore Apoſtolorum, non aboleverunt, ſed confirmarunt, quod variis erroribus, cumprimis *dogmati Origeniano, de ſalute dæmonum* faveant; & tandem, quod hucusque equidem, quantum nobis conſtat, nihil in eorum elocutionibus extet, quod ab humana ratione & ordinario ſtudio non potuerit profluere. Cumque nusquam in S. Literis obligemur, ad recipiendas revelationes tanquam divinas, quibus Deus teſtimonium non præbuit ut prioribus, & ſignis & prodigiis, variisque virtutibus, & Spiritus S. diſtributionibus; *Hebr.* II, 4.

acquieſci-

Digitized by Google

acquieſcimus omnino in verbis Cl. *Witſii*, qui *Miſcell. Sacr.* Lib. I. c. XXIV. §. XXXVII. ait: *Ego ſic ſtatuo: Perſonas iſtas committendas eſſe Deo, neque mihi neceſſitatem eſſe impoſitam determinandi, utrum improbè hæc omnia finxerint, quod tamen ſuſpicari vetat charitas, an illuſiones fuerint Phantaſiæ; ſive ex Melancholia, ſive alia quacunque causa; An vero divini aliquid adfuerit, quamvis non ſine mixtura illuſionum, quibus melancholica ingenia facile ſunt obnoxia. Non tamen mihi crimini à Deo meo verſum iri confido, ſi ſcripturarum revelationibus contentus, prophetias omnes recentiores ſuo relinquam loco, ab eventu comprobandas aut refutandas; nulloque me tali vaticinio impelli patiar ad aliquid vehementer vel metuendum, vel ſperandum, nedum ut, vocationis terminos prætergreſſus, periculoſo operi manus admoveam.* Unum tamen addimus, ſæpe majorem donorum ſpiritus ſpeciem in talibus extare, quam quidem in hodiernis exorciſmis, confirmatione, extrema unctione chariſmatum priorum veſtigia ſunt.

§. XIII.

Interea extraordinario miniſterio ſucceſſit ordinarium, cui non minus Deus, in illis, quæ ad Eccleſiæ jam conſtitutæ ædificationem pertinent, ut poſito fundamento in ædificium ſpirituale porro ſurgat, proſpexit, quam illi, cum prius erat conſtituenda. Si præpoſuerat olim Eccleſiæ Apoſtolos, Prophetas & Evangeliſtas, huic dedit ſuos miniſtros tot tantisque ordinariis donis ornatos. Huc faciunt & *χάριτες gratiæ ſanctificantes* Paſtorum, etiam ad excitationem aliorum inſervientes, quod ſi non ut proprius finis, ſaltem ut utilitas hinc efficaciter emergens, & *χαρίσματα gratiæ ædificantes, ſive* jam illa, in ordinariis donis, *ad* Διακονίαν ſive *miniſterium* ſpectent; qualia ſunt, per quæ bona ſive ſpiritualia, ſive corporalia Eccleſiæ curantur, ut *ſermo ſapientiæ*, qui optimum finem, & media & connexionem eorum omnium docet, *ſermo cognitionis*, qui debitam circumſpectionem tradit, *ſpiritus precum* &c. *ſive* ad Ἐνεργήματα operationes, quibus diabolus & Eccleſiæ hoſtes, corruptiones mundi carnisque ſuperantur & pudefiunt. 1. *Corinth.* XII, ℣. 4-6. In quo duplici donorum genere mira equidem eſt varietas, ET *quoad ſpeciem*, eminente *in his*, ut in *Tertulliano*,

ב) Miniſtri ordinarii.

tulliano, *Hieronymo*, *Luthero*, θέρμῳ ζήλῳ, *in illis*, ut in *Chryſoſtomo*, *Auguſtino*, *Calvino* δεινότητι & ingenii acumine, ET *quoad gradus*, ubi tamen, & qui pluribus donis pollent, eò illa dirigent, ut & tanto mage in vinea Domini laborent, certi quod, dum creſcunt dona, creſcant etiam rationes Deo reddendæ. *Luc.* XII, 48. & *multum* equidem, ſed *non altum* ſapiant. *Roman.* XII, 3. Certi, quod majorem illam donorum copiam non à ſe, 1. *Corinth.* IV, 7. ſed à Deo Patre ſpirituum omnis carnis habeant. *Num.* XXVII, 16 & menſuram donorum ſuorum non regulam conſtituant, *vel* ſuæ ſufficientiæ, 1. *Corinth.* XII, 21. *vel* actionum & judicii de actionibus proximi; quibus conſiderandum eſt in hocce corpore συμφωνίαν non ὁμοφωνίαν eſſe, ita & quibus minor donorum menſura conceſſa eſt, non protinus animum deſpondebunt, aut munus abjicient, ſed conſiderabunt, donorum diſtributionem non tam juſtitiæ, quam arbitrii divini eſſe; *Matth.* XX, 15. quod etiam membris maximi dedecoris ſuum tamen honorem debeant; 1. *Corinth.* XII; 22. 23. quod de illis, quæ non conſecuti ſunt, etiam ratio non reddenda ſit; *Matth.* XXV, 27. cum mercatoribus contra, quibus maxima negotiatio eſt, ſæpe minima ſecuritas ſit, quod in minimis donis maxima occaſio *humilitatis* ſit, quæ virtus omnes reliquorum perfectiones, ſi illâ, ut fere plerumque fit, deſtituantur, niſi angelum ſatanæ nancjſcantur, qui ipſis ad latus ſit; 2. *Corinth.* XII, 7. ſuperat, ut vel hac ratione illa minor etiam menſura in ſalutem cedat, & quod maximum mediocris ingenii ſubſidium *diligentia* ſit, *Eccleſ.* X, 10. & *zelus*, in quo ſæpe præ illis, qui nimium ingenii donis confidunt, altiùs progrediuntur.

§. XIV.

Miniſterii ordinarii

Qualiacunque vero ea dona ſunt, *datur beneficium propter officium*, & *donum propter miniſterium*, cum ſpiritus manifeſtationes in nobis hunc unum ſcopum habeant, ut proſint corpori Eccleſiæ, 1. *Corinth.* VII, 17. XII, 7. prouti è contrario abſconſione magè minuuntur, quæ communicatione, ut oleum viduæ, non in vaſe, ſed in effuſione 2. *Regum* IV, 4. multiplicantur; hinc *Paulus* etiam juxta chariſmata miniſteria ordinaria diſtinguit. 1. *Corinth.* XII, 28. Ordinarii autem illius *miniſterii partes* eſſentiales

a) Functiones.

tiales in compendio videntur deſcribi; *Rom.* XII, *6. 7.* ſuntque in genere *prophetia* & *Διακονία.* Illius *ſpecies* ſunt *doctrina* qua fides, & *exhortatio* cum *conſolatione*, qua charitas & ſpes inculcantur; Hujus autem miniſterium in menſis ſeu cura rei Eleemoſynariæ; *προστασία* in regimine cœtus, *et* ſpecialis erga pauperes ægrotos *miſericordia.*

§. XV.

Hujus Prophetiæ, à Paulo loc. cit. ſic dictæ, ſeu muneris pastoralis (quæ *functio eſt, à Chriſto in Eccleſia ad id inſtituta, ut, mediante præconio verbi & adminiſtratione ſacramentorum, ſub benedictione efficaci Spiritus Sancti, electi ædificentur ad ſalutem*) Necessitas *non abſoluta* equidem eſt, ut citra orale præconium, vel nemo ſalvari, vel Eccleſia viſibilis externa, in cœtibus quibuſdam particularibus, ſubſiſtere nequeat. Neque enim ea eſt præconii publici ratio, quæ verbi eſt, quia verbum etiam lectum fidem, gratiâ Spiritus Sancti, ingenerat, ſicuti voluntas Principis non minus ex diplomate, quam per vocem præconis cognoſcitur; Nec potuiſſet ceteroquin *error* Eccleſiæ viſibilis cathedras occupare, ubi tamen fundamentalis ille *Arianus*, de negata conſubſtantialitate & æternitate filii, per complures annos, cœtuum viſibilium cathedras occupavit, quo tempore patres idem prorſus Arianis repoſuerunt, quod hodie Eccleſiæ Romanæ dicendum eſt; ſolum Chriſtum illum eſſe, a quo ſe nemo ulla ratione ſeparare queat. Si objiciatur, *fidem* tamen *eſſe ex auditu. Rom.* X, 14. 17. Resp. Vocem *auditus* & ad verbum Scripturæ S. quod Apoſtoli audiri fecerant, reſpicere, & certiſſimè Paulum Cap. X. ad *Romanos*; ut ex contextu patet, tantum agere de neceſſitate miſſionis Apoſtolicæ, & primi præconii inter gentes.

b) Neceſſitas, quæ non equidem abſoluta,

§. XVI.

Interim habet excellentiam ſingularem miniſterium. Poſt dona Spiritus de miniſterio agit *Paulus Epheſ.* IV. Dat illi Deus, quod nullis dedit, *claves regni cælorum. Matth.* XVI, 19. *Verbum reconciliationis 2. Corinth.* V, 19. *æconomiam myſteriorum.* 1. *Cor.* IV, 1. *Vigiliam animarum. Hebr.* XIII, 17. Confert miniſtros ſuos

ſed conditionata eſt.

cum eo quod eſt præſtantiſſimum, cum *luce mundi*, *ſale terræ*, *ſtellis* & *angelis* cœli, *legatis*, *curribus* & *equis*. 2 *Regum* III, 14. *Ezech.* III, 17. Et in *cætibus particularibus*, ubi veritas doctrinæ illibata conſervatur, *miniſterium* & præceptum à Deo, & utile & *conditionatè neceſſarium* eſt ad ædificationem corporis Eccleſiæ. Et in *Eccleſia univerſali*, deficiente miniſterio vero in cathedra cœtuum, aut, per falſum etiam, Deus ſuos aliquamdiu conſervabit, *per* mirabilem illam *ſeparationis viam*, qua facit, ut *aures populi* ſæpe *caſtiores* ſint, quam *corda* & *ora ſacerdotum*; prouti Hilarius obſervavit, populos, ſub *doctoribus Arianis*, quando *filium* nominarunt, non creatum ſed *genitum*, non ſimilem ſed *conſubſtantialem* intellexiſſe: aut dabit, qui ſemetipſos, ſicut *domus Stephanæ* 1. *Cor.* XVI, 15. conſtituent.

§. XVII.

Et probatur argumentis.

Hanc *neceſſitatem miniſterii ordinarii* hoc uno *argumento generali* probamus, quod munus hoc evidenter à Christo inſtitutum ſit, ut curam habeat gregis ſanguine Chriſti coëmti, non ad tempus ſaltem, ſed in perpetuum, cum videamus id omne, quod poſitivam Dei inſtitutionem perpetuam eſſe, demonſtare ulla ratione poteſt, hîc concurrere.

א) Deſignare perſonas particulares ad certum opus non eſſet, ſi omnium illud eſſet, ſed 1) *deſignati* erant ad miniſterium certæ perſonæ ſub V. T. *Totus Iſrael* erat *Sanctitas Jehovæ*, electione Patris, *regnum ſacerdotale*, merito Chriſti, *et*, ſanctificatione Spiritus, *gens ſancta*, *Exod.* XIX, 6. 1. *Petr.* II, 9. *Apoc.* I, 6. ſed ſeparavit ad *miniſterium* Deus *Domum Aharon*. *Exod.* XXVIII, 1. *Num.* I, 50. *Deut.* X, 8. XXXIII, 8 *Hebr.* V, 4 IX, 6. Sic in N. T. vid. Jeſai. LXVI, 21. LXI, 6. 1. Pet. II, 9. Sicuti quidam immediatè Luc. IX, 1. 2; ita mediatè alii per Apoſtolos ad miniſterium hocce deſtinabantur. 2. Tim. II, 2. *Coloſſ.* I, 7. 1. *Corinth.* XII, 28. 29. Epheſ. IV, 11. 2) *Diſtincta nomina* miniſtrorum ſupponunt diſtincta munia, qualia ſunt *paſtorum*, utique à grege diſtinctorum, *Epheſ.* IV, 11. 1. *Petr.* V, 2. *Actor.* XX, 28. *doctorum*, 1. *Cor.* XII, 28. *Gal.* VI, 6. *gubernatorum*, *præfectorum*, 1. *Tim.* V, 17.

Digitized by Google

V, 17. *Hebr.* XIII, 17. 24. *œconomorum* myſteriorum Dei, 1. *Cor.* IV, 1. *Tit.* I, 7. *Gal.* VI, 10. *Luc* XII, 42. 1. *Petr.* IV, 10. *Luc.* XVI, 2. *Præconum*, *Rom.* X, 14. *Legatorum*, *Act.* XX, 18. *Epiſcoporum*, 1. *Petr.* IV, 15. V, 2. *Angelorum*, *Apoc.* II, 2. 3. 3) Idem innuunt diſtinctæ *qualitates*, 1. *Tim.* III, 2. 2. *Tim* II, 2. *Tit.* I, 9. 2. *Tim* II, 15. ὀρθοποδεῖν omnium, ὀρθοτομεῖν quorundam eſt, qui probati per alios. 1. *Tim* III, 10. Diſtincta 4) itidem *vocatio* & *confirmatio* 1. *Tim.* V, 21. 22. Quis idoneus ad hæc? 2. *Corinth.* II, 16. III, 5. 6. Vocatorum 5) porro diſtincta *officia*, qualia *cura ſpecialis*, 1. *Tim.* III, 5. 1. *Petr.* V, 2. etiam donorum ad id acceptorum. 1. *Tim.* IV, 14. 15. *Act.* II, 4. *Publica opera*, ut *prædicatio*, 2. *Tim.* IV, 2. II, 15. 2. *Cor.* XII, 15. 1. *Corinth.* IX, 16. 17. *Adminiſtratio Sacramentorum*, *Matth.* XXVIII, 19. 1. *Corinth.* X, 16. 17. XI, 24. ſeqq. *Hebr.* XIII, 17. Diſtincta hinc 5) quoque *populi officia* reſpectu ipſorum, *agnoſcere eos pro talibus*, 1. *Theſſ.* V, 12. ut *memores eorum* ſint; *Hebr.* XIII, 7. *æſtimare* eos. 1. *Tim.* V, 17. 1. *Theſſ.* V, 13. *Hebr.* XIII, 17. *Gal.* VI, 6. 1. *Corinth.* IX, 7. Ita

ב) *Perpetua inſtitutio* eſt, *ubi* inſtitutionis *ratio in perpetuum manet.* An vero paſtores & doctores tum equidem fuêre ſtellæ, inſtituta ut ducerent ad Chriſtum, *Apocal.* I, 16. & ductoribus iſtiusmodi hodie non amplius indigeremus? An præpoſitis, qui adductum populum regerent, & animarum curam haberent tum equidem opus fuit, *Hebr.* XIII, 17. & nunc illa rudium multitudo ſibimet ipſi relinqui poſſet? An contradicentes tum erant per doctores convincendi, *Tit.* I, 9. & nullis hodie fraudibus, argutiis fideles tentantur? An tum erat à paſtoribus, ſub obteſtatione divini judicii, prædicandus ſermo; inſtandum tempeſtivè, intempeſtive, homines arguendi & monendi erant; 2. *Tim.* IV, 2. & non eadem hodie neceſſitas eſt? niſi forte, quod Paulus ibi addit, agnoſcamus, eſſe jam tempus, ubi ſanam doctrinam homines non ſint toleraturi. ℣. 3. Num illo tempore, quo prævalebant dona Spiritus extraordinaria, perſeverandum erat in doctrina Apoſtolorum, & jam, ubi dona hæc ceſſarunt, non amplius erit attendendum lectioni, doctrinæ & adhortationi. 1. *Tim.* IV, 13.?

 ג) *Ob-*

ב) *Objectum miniſterii* verſatur circa iſtiusmodi *res*, *quæ perpetui uſus* in Eccleſia *ſunt*. Talis eſt PRÆCONIUM VERBI. *Matth.* XXVIII, 20. Cum *viſio deeſt*, *nudatur populus*. *Prov.* XXIX, 18. Ita *verbum veritatis* non tantum in ſingulis, ſed & in tota Eccleſia, *incorruptibile ſemen regenerationis* eſt, & ſaltem ubi id purè audiri poteſt, ex illius auditu proficiendum. Tale quid SACRAMENTA cum verbo conjuncta, quæ non ſaltem teſſeræ profeſſionis, ſed ſymbola & ſigilla ſunt fœderis gratiæ ex parte Dei confirmantia bona promiſſa, usque dum veniat. 1. *Cor.* XI, 16. *Luc.* XXII, 16. Tale quid *Baptiſmus* adminiſtratus inter *Judæos*, *Matth.* III, 13. 15. XXI, 25. *Luc.* VII, 30. inter *gentes*, *Matth.* III, 6. *Joh.* IV, 1. *Act.* II, 38. 41. X, 48. XVI, 33. 1. *Cor.* I, 13. 14. conf *Gal.* III, 27. *Rom.* VI, 3. 4. 1. *Petr.* III, 21. Tale quid *Euchariſtia S.* quæ adminiſtranda eſt usquedum Dominus veniat. *Act.* II, 42. 46. 1. *Cor.* XI, 26. 2. *Theſſ.* I, 7. 8.

ד) *Promiſſiones* inſtitutioni adjunctæ, *miniſterii* quoque *perſeverantiam* clare ſatis evincunt. Ex illis eſt promiſſio perpetuæ *præſentiæ* divinæ. *Matth.* XXVIII, 20. coll. *Matth.* XIII, 40-49. cumque ea perpetuæ *aſſiſtentiæ*, *Phil.* I, 19. 2. *Cor.* IV, 1. *protectionis*, *Apoc.* I, *ratificationis* in cœlo factorum in terra, *Matth.* XVI, 19, *Joh.* XX, 27. *ſympathiæ* & *compenſationis*, *Matth.* X, 40. 41. *Luc.* X, 15. *Joh.* XIII, 20. *Vindicta* in hoſtes miniſterii. *Apoc.* XXII, 16. 19. Promisêre quidem ſibi medio Sæculo XIII, quidam *Sæculum Spiritus S.* rejecto verbo. Sed hic fatuus ignis ab *ordinibus Dominici* & *Franciſci* ſtudiò pauperibus de Lugduno, S. Scripturæ lectionem urgentibus, objectus fuit ut ſtratagema, quo vaticinia *Joachimi*, Abbatis, & *Cyrilli* Monachi viſiones, ipſi ſedi Romanæ ingrata, extolli poſſent. Graviſſimorum, è contrario, judiciorum divinorum indicium eſt, ubi miniſterium hocce deficit. 2. *Chron.* XV, 3. *Pſal.* LXXX, 13. *Prov.* XXIX, 18. *Jeſ.* XIII, 20. *Amos.* VIII, 11. 12. *Matth.* XXI, 43. *Apoc.* II, 5.

ה) Eſt porro inſtitutio hæc *officii*, *cujus*, ad conſervationem perpetuam Eccleſiæ, *uſus evidens* eſt. Contigit enim καταρτισμὸς ille τῶν ἁγίων *Sanctorum*, Apoſtolorum ſcil. Prophetarum & paſtorum, *Epheſ.* III, 5. εἰς ἔργον διακονίας, (quorſum codex Complutenſis comma rectè refert) ut faciat εἰς οἰκοδομὴν *ad ædificatio-*

nem

Digitized by Google

nem Corporis Chriſti, quod utique totam Eccleſiam notat, & quidem *ut* πάντες *omnes* fideles, ab initio Eccleſiæ usque ad finem, *perveniant ad unitatem fidei*, ſicque *creſcant in virum perfectum*, cujus *caput Chriſtus* eſt, *membra* vero *omnes fideles* ſunt, quomodo demum tota illa univerſalitas menſura eſt juſtæ *ſtaturæ plenitudinis Chriſti. Ephes.* IV, 11. 12. Hac ratione etiam

1) Inſtitutionem Miniſterii ipſi Apoſtoli intellexerunt, quippe quorum, poſt fundationem Eccleſiarum, non major cura fuit, quam ut oppidatim presbyteros conſtituerent. *Act.* XIV, 23. *Tit.* I, 5.

§. XVIII.

Quæ in contrarium *objiciuntur loca*, oppoſita ſunt non miniſterio ordinario, ſed *vel* oraculis gentilium, *Deut.* XVIII, 15. *aut* ſimul traditionibus hominum, Phariſæorum, doctorum Anti-Chriſti verè muſſitantium ex terra, *Jeſai.* VIII, 19. 20. *aut* magiſterio, quo quidam fidei ſe dominos, vel cathedræ viſibilis ſucceſſores, vel dogmatum auctores ferunt, *Matth.* XXIII, 8. 10. *aut* modo tradendi V. T. rigido, difficili, obſcuro, particulari, *Jerem.* XXXI, 31. *vel* inſtitutioni externæ, prouti illa ab omni Spiritus illuminatione ſejuncta, & non ei ſubordinata eſt, ut *Jeſai.* LIV, 13. *Jerem.* XXXI, 34. collat. cum *Joh.* VI, 45. 1. *Joh.* II, 27. Nec enim electio & vocatio Dei tollit miniſterium hominum, *Jerem.* III, 14. 15. nec ceſſat vel Scriptura. *Joh.* V, 39. vel privata informatio. *Hebr.* X, 24. *Coloſſ.* III, 16. 1. *Theſſ.* V, 14. & defenditur tum adverſus objectiones,

§. XIX.

Calumniantur equidem adverſarii 1) MONOPOLIUM MINISTERII; ſed ſic cadunt in ἀντιλογίαν Core, *Jud.* ℣. 11. & ſociorum ejus, qui ſe congregarunt adverſus Moſen. *Num.* XVI, 3. 31. Calumniantur 2) QUÆSITIONEM LUCRI. Miniſtros pejus agere atque *Paulum*, 2. *Theſſ.* III, 8. 9. *Act.* XX, 34. ſed *reſp.* a) peculiaris eſt caſus *Pauli* & *Barnabæ*, 1. *Cor.* IX, 6. coll. ℣. 5. *vel* ob extremam neceſſitatem Eccleſiarum, ob quam & matrimonii uſus ceſſabat. 1. *Cor.* VII, 26. 27. *vel* ob tum adverſus calumnias.

Digitized by Google

malitiam falſorum Prophetarum. 2. *Cor.* XI, 7. X, 12. 13. b) *Laboravit Paulus ſuis manibus*. ſed & hoc ſuis *afflictionibus* accenſet. 1. *Cor.* IV, 11. 12. c) Utut ipſe abſtinuerit à recipiendo ſalario à Corinthiis, docuit tamen, iſtiusmodi nutritionem paſtoribus eſſe debitam, 1. *Corinth.* IX, 7. 14. 15. d) ſi non ab ipſis, tamen ab aliis accepit. 2. *Corinth.* XI, 8. *Phil.* IV, 10.

Caput II.
De Difficultate Miniſterii Sacri.

Σύνοψις.

Miniſterium S. ſuas habet *difficultates*, §. I. *tum* in *docendo*, §. II. *tum* in *paſcendo* gregem, §. III. eumque *totum*, §. IV *tum* in *modo* docendi, §. V. *tum* ob varia *obſtacula* ex *parte paſtoris*, §. VI. VII. VIII. ex parte *cœtus*, §. IX. X. *tum* in cura tanti regiminis, §. XI. *Teſtis* eſt *S. Scriptura*, §. XII. atque *experientia*, §. XIII. Miniſterium S. interim abſolutè non eſt refugiendum. §. XIV. Diluuntur *objectiones* & *inſtantiæ*. §. XV.-XX.

§. I.

Miniſterium S. ſuas habet difficultates,

IN *nulla actione*, nedum in toto vitæ genere, *licet ambulare* בְּקֶרִי ſive *caſu*, & *absque* matura, tum in inſtituendæ *actionis*, tum *intentionis*, ſeria *conſideratione*, *Lev.* XXVI, 21. proinde *omnium minime in ſuſceptione miniſterii ſacri.* Ut enim appetitum tanti muneris timor temperet, nec pondus miniſterii ſacri juſto levius æſtimetur, id omnino præmittendum, quod, uti res ſe nunc habet, munus hoc *difficultatibus* laboret, tantum non inſuperabilibus.

§. II.

tum in docendo,

Si vel ex eo latere conſideretur, quod hodie proh dolor! plerisque, tantum non unicè, in oculis verſatur, pro quo *munere populum è cathedra docendi publicè* habetur, neminem latere poteſt,

Digitized by Google

poteſt, quod *regimen linguæ*, vel in communi converſatione, ſi *difficillimum*, quia omnis *ſermonis* PRINCIPIUM eſſe debet *ratio*, non affectus; *amor*, non invidia aut odium, *gratia*, non acumen: MATERIA, quod *verum* & *bonum*, quod *Deo gratum*, *proximo* & *nobis*, ad hujus & futuræ vitæ *commodum*, *utile*: MODUS, ut ſermo inſtituatur, prouti convenit *circumſtantiis*, perſonarum, loci & temporis, utque ſit *manſuetus*, *modeſtus*, *prudens* & ſingularis conſtantiæ: FINIS denique *Dei gloria* & *proximi ædificatio*. Clarum itaque eſt, quod hæc tanto mage requirantur in ſermonibus, ad cœtum integrum, nomine Dei, de rebus ſacris, ad ædificationem in fide, charitate & ſpe directis, ut hîc omnia ſanctè, fideliter, graviter, gnaviter, & ita proponantur, ut ἀξιοπιςίαν ſuam, in ore paſtoris, non perdant, cum ceteroquin, per vanos miniſtrorum ſermones, infinita ſcandala proveniant, & *labia* iſtiusmodi, *vel* quoad materiam, *vel* quoad ſcopum, *perverſa* loquentia *extirpentur. Prov.* X, 31. *Jerem.* XXIII, 31. unde præſtat, hîc cum maximè, *celerem* eſſe *ad audiendum*, *tardum* vero *ad loquendum*, *Jac.* I, 19. & non dedignari per alios *doceri* potius, quam *ſolum* velle *loqui*, in quo imago eſt beſtiæ *Pſal.* LXXIII, 9. *Apoc.* XIII, 5. 6. Difficultas hæc tanto major eſt, ſi perpendatur, *regnum Dei non conſiſtere in verbis*, *ſed in virtute* convincendi & convertendi. 1. *Corinth.* IV, 20.

§. III.

Id vero etiamnum vel in minimis muneris Eccleſiaſtici partibus eſt ponendum, verba facere ad *populum*; multò majoris momenti eſt illum tota die *paſcere*, & *animarum curam habere*, per informationem rudium, correptionem malorum, excitationem bonorum ad ulteriora, conſolationem afflictorum. *Hoſ* IV, 9. 10. *Ezech.* III, 17. 18. 19. *Hebr.* XIII, 17. Hîc vel ars artium eſt *regimen animarum*, noſſe omnia vulnera conſcientiæ, noſſe remedia, quæ illis vulneribus ſunt applicanda, unde qui hæc neſciunt, *cordis medicos* ſe dicere merito pudeant, dum qui pigmentorum vim ignorant, videri *medici carnis* erubeſcunt, ut loquitur *Gregorius* M. *in paſtorali* Lib. II, c. 11. tum in paſcendo gregem,

§. IV.

§. IV.

cumque ſo- tum,

Auget periculum, quod, qui miniſterium docendi ſuſcipit, *Eccleſiam* totam *in fidem ſuam recipiat*, & Deo *ſpondeat pro illa*, ſaltem qnod per ipſum non ſit ſtaturum, quo minus omnes credant & ſalventur, unde, ad huic ſponſioni ex aſſe reſpondendum, non ſufficit ut vera & ſalutaria publicè doceantur; ſed etiam requiritur, ut paſtor vigilet, ne quid gregi noceat, & ut nemini, ex iis, quæ ad ædificationem faciunt, quicquam deſit. 1. *Petr.* V, 2. 3.

§. V.

cum in modo docendi & paſcendi,

Sed & *modus in docendo & paſcendo* difficultatem illam auget, quia non conjunctus eſt *cum dominio* in fratres, nec paſtoribus poteſtas data, cum imperio præcepta præſcribendi; ſed tantummodo per demonſtrationes, quæ perſuadendi ſaltem efficaciam habent, agendum, ſic ut hìc cumprimis nihil cum fructu agatur, niſi prius paſtor ipſe affectuum ſuorum Dominus ſit. Ipſa charitas enim cœco affectu ducta nocet mage, quam prodeſt.

§. VI.

tum ob varia obſtacula; a) ex parte paſtoris; 1) extus.

Efficacia autem illi, ſi vel adjumenta paſtor in promtu habeat omnia, infinita propemodum *obſtacula* obſunt; *inde* ex parte *paſtorum*, *hinc* etiam ex parte commiſſi *cœtus* & *aliorum*. In ILLIS, optato miniſterii ſucceſſui, obſtant EXTUS *ineptitudo docendi* varia atque multiplex, dum paſtor *vel* non, *vel* ſaltem non ſolidè & ſufficienter ea omnia didicit, quæ docenda ſive publicè, ſive privatim, dum, in infinitis prope caſibus, danda ſunt conſilia vario modo afflictis & lapſis, ad expedienda prudenter Eccleſiæ negotia: *vel* etiam ea, quæ didicit, ex defectu perſpicacitatis, non clare & perſpicue proponit. Obeſt inprimis paſtori nondum regenito vitæ perverſitas, laqueus ruinæ populi ſacerdotes mali, nec enim in Eccleſia plus nocet, quam qui perverſe agens nomen, vel ordinem ſanctitatis habet. Vid. *Hoſ.* IV, 4. *Matth.* XVIII, 6.

§. VII.

§. VII.

a) & intus veluti vanitas cordis,

Intus vero obeſt ſalutari miniſterii efficaciæ *vanitas cordis* humani, quodque inter qualiacunque, ſæpe etiam exigua, dona, puritatem *intentionis* corrumpat paſtor, ut ſuam potius, quam Dei gloriam quærat, quod iterum vel optimos etiam tentationibus graviſſimis ſubjicit, in pejoribus autem eo tendit, ut per dignitates ad vitam carni acceptam unice tendant, in utrisque autem, ut, ſi non quoad applauſum, tamen quoad ædificationem, ſummam rei, fruſtraneo in miniſterio ſucceſſu puniantur.

§. VIII.

nimia meticuloſitas,

Obſtat illi porro *nimia meticuloſitas*, plerisque fere perquam naturalis, qua φιλαυτίᾳ ſuâ motus paſtor, partem tantum divinæ veritatis docet, optima & neceſſaria, etiam in particulari converſatione, non indicat, admonitionem neceſſariam ſupprimit, ita ut multiplici illo modo labatur, quem *Franckius* in Tractatu germanico, von der Menſchen-Furcht, refert.

§. IX.

b) ex parte coetus, vel malitia hominum,

Jam & eidem, *ex parte auditorum*; tota die, utut non omnium ſaltem multorum ratione, non tam cum hominibus, quam cum beſtiis pugnandum eſt, cum hominibus, qui in miniſtros emittere non erubeſcunt, quod *Epheſii* olim *Hermodoro* dixêre: *Nemo noſtrum frugi eſto*, *aut alibi id eſt inter alios*. Vid. *Cicero Quæſt. Tuſc.* c. V. cum talibus, qui *inde* in ſuis λογισμοῖς totidem ὀχυρώματα ſive *munimenta* erigunt, quibus dominium peccati defendunt, *hinc* vero in cogitationibus *vel* Atheiſticis contra Scripturam & Dei providentiam, judicium ultimum, *vel* ſimilibus erroribus, fere totidem ὑψώματα ſive *altas turres*, e quibus Chriſtianiſmum oppugnant, exſtruunt, contra quæ nulla arma carnalia, ſed ſola ſpiritualia, id eſt, verbum cum efficacia ſpiritus conjunctum, quicquam valent. 2. *Cor.* IV, 4. 5.

§. X.

vel conſuetudines malæ,

Sic & porro tot *conſuetudines malæ* in *Eccleſiam externam* irrepsêre, ut perquam difficile ſit, inter eas regnum Dei promo-

vere; e. g. quod non excludantur, qui excludendi, e contrario admittantur, qui non admittendi, aut quod numerus curandorum juſto major, & curam habentium juſtò minor ſit: quod magiſtratus civilis miniſterio, in iis, quæ ad ædificationem faciunt, manus auxiliatrices non præbeat: quod, dum vitiis pii paſtores ſe opponunt, odia, ſi non omnium ſaltem multorum, quandoque etiam collegarum & fratrum, in ſe concitent, ut *Jeremias* ſuum *Paſchurem* atque *Semajam*, *Amos* ſuum *Amaziam* ad latus habeat, uti nec in quenquam alium plura calumniarum & inſectationum ſpicula quam in paſtores diriguntur. Et tamen, his omnibus non obſtantibus, de omnibus ratio eſt reddenda, *Hebr.* XIII, 17. & in id incumbendum eſt paſtori, ut dicere queat cum *Paulo*: *Liber ſum à ſanguine omnis hominis. Act.* XX, 26.

§. XI.

rum in cura tanti regiminis.

Cura etiam tanti regiminis cor per diverſa diverberat, ut paſtor, totus extra ſe hærens, ſæpiſſimè multa ſciat, multa cogitet, ſe autem, & ſuum opus faciendum ignoret, ut juſtiſſimum ſit illud *Syracidæ Cap.* XI, 10. *Eccleſiaſt. Fili! ne in multis occupentur actiones tuæ.* Notandum hinc, quod in voto epiſtolarum ad *Timotheum*, 1. *Tim.* I, 2. *miſericordiæ divinæ* mentio fiat, quia nemo eâ magè indiget, quam paſtor, ſcil. ut *vigilet in omnibus, tolleret afflictiones, opus peragat Evangeliſtæ, & miniſterii ſui plenam fidem faciat.* 2. *Tim.* IV, 5.

§. XII.

Teſtis eſt ipſa Scriptura S.

Atque hinc adeo ipſa Scriptura Sacra ſuadet, ut *non facile ſiamus* Διδάσκαλοι, quippe qui *tanto gravius judicium* ſint accepturi. *Jacob.* III, 1. Quod judicium ſi metuere debet, qui & intùs & extùs à Deo vocatur, quantò gravius erit illi, qui ſemetipſum ultrò ingerit, & neſciens, quæ docenda ſunt, tamen docet & docere vult, & quidem, ob hanc quandoque cauſam unicè, ut habeat unde vivat, ut ſic ſcopus ejus ſit, quemadmodum in *ordine Saxonica* deſcribitur, Nicht eine Seel- ſondern Korn- und Mehl-Sorge; Qualis defectus ſcopi ſanctioris, in iſtiusmodi homuncionibus, ferè plerumque in vitam ſceleratam deſinit, uti factum in *ſacerdotibus Jerobòamicis. Hoſ.* VI, 9.

§. XIII.

§. XIII.

Solent equidem hæc omnia, antequam miniſterium ſubeatur, ex amore cœco vel lucri, vel gloriæ, rariùs perpendi, ubi tamen deinde conſcientia evigilat, talis, dum ſalvatam cupit conſcientiam, ſe miniſterium conſervare poſſe facillimè deſperat. Notabile hujus rei exemplum, in *Sixtini Amamæ Anti-Barbari Biblici* præfatione ſiſtitur, paſtoris qui ultrò etiam à ſynodo vocatus, alacri equidem animo miniſterium obiit, ſed cum ſua ſimul illi ſemet & Eccleſiæ ſuæ proderent peccata, & videret ſe νεόφυτον eſſe, & imparem tanto oneri, & ad tantos, quibus cœtus ſcatebat, abuſus reformandos ineptum, preſſus graviſſimo mœrore, non modo languebat ad omnem curam Eccleſiaſticam, ſed & ad concionandum inutilis reddebatur; unde ad amicos allegabatur, qui malum meram eſſe melancholiam rati, in patriam iter ſuasêre, ſed nec ſic ejus angores tollebantur, qui erant: quod certitudo internæ vocationis ipſi defuerit, quod præcipua miniſterii pars, nempe quid ſit vigilare pro animabus gregis, ipſum latuerit; quod, cum cura illa ſine judicatione adhiberi nequeat, quomodo judicium illud de quo, 1. *Cor.* V, 12, & qua norma præſtandum ſit, neſciat. Nec poteſt non horrorem omnino incutere; ſæpe per tot annos tot millium animarum curam non habuiſſe, ſed neglexiſſe. atque experientia.

§. XIV.

Quod vero in levioribus ingeniis gravius crimen eſt, priusquam munus ipſum ſubeant, muneris officia & pericula non perpendere, id aliquando in vaſis à Deo electis, ut nomen Ejus glorificetur, diviná providentia ita dirigitur, ne omnia nimio rigore conſiderando, oneri ipſi ſe ſubtrahant. *Neque* enim omnes *illæ difficultates impedient, quo minus is, cui Deus neceſſaria* naturæ & gratiæ *dona conceſſit*, quique, in ſeria cordis ad ſerviendum Deo propenſione, internæ vocationis criterium habet, & extrùs etiam legitimè vocatur, *miniſterium ſacrum* & ſalvâ conſcientia *obeat.* Ita enim 1) certum eſt, quod *nemo ſibi naſcatur*, ſed ut ad gloriam Dei ſit, & ſalutem etiam proximi promoveat, in quibus ſumma præceptorum Dei conſiſtit. Non alia 2) autem major Miniſterium S. interim non eſt refugiendum abſolutè.

jor vel Dei vel proximi *charitas eſt*, quam *velle prodeſſe Eccleſiæ Dei*, quod hac de cauſa *bonum opus hominis Dei* vocatur, 2. *Tim.* III, 17. uti quidem ipſa *opera miniſterii* id evincunt. E. gr. In verbum Dei, in gloriam Dei, diu noctuque inquirere, illud loqui in nomine Chriſti, monere ſingulos, vigilare, Eccleſiæ cauſam ſuſcipere, infirmos confirmare, inordinatos increpare, errantes reducere, docere rudes, &, per paternam ſolicitudinem, omnes in juſtitia continere, quod, ut ipſiſſimam charitatem, Chriſtus in Apoſtolis laudat. *Apoc.* II, 2. 3. Sic & 3) Chriſtus diſertè voluit, ut, ab ejus diſceſſu, *ſanandorum hominum curam*, in peculiari munere, *gerant homines*. E. g. In parabola de *Samaritano*, *Luc.* X, 30-37. ubi nomen *hoſpitis*, teneri quosdam ex *munere*, mentio *duplicis* denarii, emblema ſcil. Verbi & Spiritus, teneri ex *depoſito*, atque verba Chriſti: *Cura ipſum*, teneri ex *præcepto* indicant. Quæ vero obſtat difficultas 4) in communi, Dei gratiâ tolli poterit, *tum* per ſincerum *amorem Chriſti.* Unde *Petro* dixit *Chriſtus*: *Amas me? paſce oves meas.* *Joh.* XXI, 15. ſeqq. Ubi notandum hanc unam qualitatem, ad totum illud munus, requiri, examen hujus Candidati de ſolo amore inſtitui, ſcil. quia *amor Chriſti nos conſtringit.* 2. *Corinth.* V, 14. ut ſupremus etiam difficillima, *tum* per *amorem cœtus* & commiſſarum ovium, 2. *Corinth.* XII, 14. 15. qui facile omnia vincit; *tum* per *fidem* & fiduciam, qua ut Chriſtus vivit, ita loquitur & paſcit in nobis, *Galat.* II, 20. ut omnia valeamus efficere per illum, qui nos fortes reddit, tum etiam per *Spiritum Dei*, qui Verbo junctus eſt, ſicuti Apoſtoli, pleni Spiritu, magnifica prorſus loquebantur. *Actor.* II. Omnia hæc, ſimulque Σύνεσις ἐν πᾶσι obtinentur *precibus*. Pius utique paſtor, quæ laboribus præſtare nequit, fervidis & indeſinentibus precibus obtinebit, ſi jugiter id Deo commendat, ut & ipſum regat & cœtum, ut det gratiam agnoſcendi voluntatem Domini de præſenti annuntiandum, ut corda præparet & apperiat, quæque in ſuis creaturis nosmetipſi efficere non poſſumus, ipſe præſtet, &, quidquid gloriæ & regno Ejus obſtat, removeat. Ita paſtor fidelis pietate orationum plus quam oratorum facultate obtinebit. Addamus 5) quod occupentur fidi miniſtri in iis, quæ ipſos, ad ritè obeundum miniſterium,

Digitized by Google

ſterium, quotidie magis idoneos reddunt. Permanent in lectione, 1. *Tim.* IV, 13. quæ potentes facit in Scripturis, *Act.* XVIII, 24. attendunt ſibi & Eccleſiæ, unde & de ſtatu ſuo, & de ſuorum in dies magis informantur. Sic 6) ſint diverſa talenta, etiam qui duo tantum accepit, tantum tamen cum illis lucrari poterit, ut, gratioſo Patri cœleſti ſatisfaciat. E contrario autem 7) ſi quis falſam libertatem à labore cognitionis & praxeos affectans, hac de cauſa miniſterium vitare vellet, etiam extra miniſterium fidei naufragium facere poteſt, cum nullum ſit vitæ genus, nulla vocatio externa, quæ non mille difficultatibus cingatur, eritque etiam hæc conſcientia gravis, ſi vel non illam pro certo Dei cultu habeat.

§. XV.

Diluuntur objectiones & inſtantiæ.

Object. I.

Quodſi jam *objiciatur* 1) *nos* ſaltem, etiamſi ſeria quædam Deo ſerviendi propenſio adſit, & primaria dona non deſint, *ad tam grave munus non eſſe idoneos*, reſpondemus; a) Id etiam *Paulum* dixiſſe, 2. *Corinth.* II, 16. & tamen omni alacritate miniſterium ſubiiſſe. b) Ineptitudinis illius ſenſum, ſi probè inſpiciatur, quandoque aut carnalem quandam puſillanimitatem, Spiritu Dei & precibus ſuperandam, aut merum ſaltem obtentum eſſe, ut majori otio & peccandi licentia fruantur. c) Non valuiſſe iſtiusmodi excuſationes olim, quas hodie valere debere, quis judicare poſſet, qualis erat μογιλαλία, ſ. difficultas loquendi in *Moſe* & juventus in *Jeremia*. d) Agnitionem ineptitudinis utilem eſſe ad non ambiendum ſummas quaslibet dignitates, ſed non eò usque, ut Deo omne miniſterium, in Eccleſia & ſchola, negetur. e) De aptitudine & ineptitudine ad munus alios ſæpe melius, quam nosmetipſos judicare, quia Deus frequenter ſuos, ad ipſorum humilitatem, ſibi incognitos eſſe vult, aliis autem oſtendit, quid valeant humeri, quidque ferre recuſent. f) Manere regulam Chriſti, multiplici experientia comprobatam, quod *qui habet*, & in exiguo, quod habet, fidus eſt, & *huic plura* etiam *dentur. Matth.* XXV, 29. g) Quo gravius onus hoc, eo præſtantius eſſe præmium. *Dan.* XII, 3.

Ad *inſtantiam*, *refugiſſe* tamen *tam arduum opus* optimos: *Jeremiam*, *Nazianzenum*, *Calvinum*, reſpondemus 1) non tamen *Paulum*, 1. *Cor*. IX, 16. 17. non *Jeſaiam*, vid. Cap VI, 8. 2) Initio equidem *Jeremiam*, non ſemper. *Jer*. cap. XX, 7. 8. 9. Tentationes carnis fuiſſe, ſed ſuperatas; 3) *Nazianzenum* non in omnibus excuſandum eſſe; 4) *Calvinum* equidem id feciſſe, ſed non ſine lucta.

§. XVI.

Object. II. Si 2) *objiciatur*, *omnia* tam *corrupta eſſe*, ut boni nihil in Eccleſia præſtari queat, ſicque *miniſterium hodiernum abſque omni fructu eſſe*, Reſp. reſpondemus 1) has cogitationes, ut in ſuis membris ita in piis miniſtris, refutaſſe Chriſtum. *Jeſai*. XLIX, 4. 2) Si probi miniſtri metu corruptionis univerſales vocationes refugiant, tum corruptioribus miniſtris, atque proin etiam majori corruptioni in Eccleſia locum datum iri. 3) Vix major corruptio fuit in Eccleſia, quam tempore Jeſaiæ & Apoſtolorum, ubi tamen verbum etiam ad illos erat proferendum, ut auribus audiant, & non percipiant, & tamen vel tum, quærente Domino, quis mittendus ſit, ſponte *Jeſaias*, & hîc ut Apoſtolorum primorumque Chriſti miniſtrorum typus, *mitte me*, dixit. Sicut & Judaico - Chriſtianæ Eccleſiæ, quarum Petrus, Judas & Jacobus meminêre, corruptiſſimæ erant, & tamen eapropter à miniſterio ſubeundo neminem dehortabantur; 4) Fructum, quem paſtor quærit, non eſſe omnem fructum & in omnibus, ſed illum, pro conditione ſtatus ſui temporis, contentum eſſe debere, ſi ſaltem qualemcunque *fructum* conſequatur, qui multiplex ſemper manebit *in piis*, qui confirmantur, *in electis*, qui ex mundo evocantur, *in malis* etiam, quando malitiæ majori ſaltem obſtacula ponuntur, ne tam impudenter peccent. Addendum 5) quod, hisce divinorum judiciorum temporibus, hoc etiam velit Deus, ut judicandi, verbo paſtorum, inexcuſabiles reddantur, unde quibus eorum verbum non eſt odor vitæ ad vitam, erit ſaltem odor mortis ad mortem, idque etiam in Chriſto.

Digitized by Google

§. XVII.

Si *metus* oriatur *de tot pereuntibus animabus*, quas Deo olim purgatas ſiſtere nequeant, conſiderandum, quod ille, qui vocavit nos in miniſterium, fidem equidem ſinceram, ſtudiumque ſecundum menſuram conceſſæ gratiæ, non vero id, quod virium noſtrarum non eſt, requirat, unde, ſi modo conſcientia nobis teſtimonium præbeat, quod ex propoſito nihil omiſerimus, quidquid ad ſalvandas animas conducit, Deum, ſi labor in multis fruſtraneus ſit, non nos puniturum, ſed qui nos audire noluere, *Ezech.* III, 19. cumprimis quia prævalens illa corruptio non noſtrorum demum temporum ſit, ut ſaltem in ſenioribus culpa neglectus in nos conjici nequeat. Inſtit. Reſp.

§. XVIII.

Si *objiciatur*, *quod* evidenter tamen *indignis ſigilla gratiæ danda ſint*, ſicque paſtores ſe peccatorum illorum participes reddant, id quod cumprimis in illis locis, ubi diverſitas religionis viget, prorſus impediri non poterit; *reſp.* 1) quod, in hoc caſu, paſtor ſedulò & frequenter, indignè edentibus judicium in genere declarare debeat, 2) etiam id ſigillatim talibus inſinuare, de quibus, ne indigni accedant, juſtam metuendi cauſam habet, quibus, ſi non abſolutè ſaltem conditionatè, ſi non in ſpecie ſaltem in genere, judicium annuntiabit: 3) ſi quis vitæ mutationem promittit, & pœnitentiam teſtatur, niſi publici & agniti ſcandali reus ſit, admitti debebit, quia cordis non ſumus conſtituti judices. 4) Si quis vero temerariè dicit, ſe nolle ab hoc vel illo peccato, e. g. odio, voluptatibus illicitis &c. deſiſtere, illi ſacra pignora abſolutè neganda ſunt, nec obligabitur paſtor ad talem admittendum. Jam equidem plures admittuntur mali, ſed partim quia ſcandala illorum probari nequeant, partim ex defectu ſpecialioris explorationis, quæ ab ipſo ſæpe inſtitui non poteſt, ita ut hujus rei defectus quandoque & culpa magis in univerſam Eccleſiam, de membris ſuis minus ſollicitam, quam in paſtorem recidat, nec enim paſtor ſolus omnes diſciplinæ Eccleſiaſticæ defectus tollere poteſt. Object. III. Reſp.

§. XIX.

Digitized by Google

§. XIX.

Obj. IV. Si *obtendatur*, nimis *exactam à paſtoribus* requiri *vitam*, ut gregi exemplo ſint. *Reſp.* Studium bonæ conſcientiæ omnes & Reſp. ſingulos decere, nec aliud requiri à paſtoribus, quam ut illud, ſuis actionibus, ſincere declarent; nec enim *præciſitas*, ut quidam loqui ſolent, ab illis major requiritur, quam quæ poſſibilis eſt, ipſumque decet. Suadet omnibus *Paulus*, ἀκρίβειαν, *ſingularitatem*, ſed illam *non* ὡς ἀσόφων *inſipientium* inſtar, qualis erat ſingularitas *Phariſæorum. Epheſ.* V, 15. Si jam odia mundi ipſos maneant, gratiam tamen à Deo exſpectabunt, qui in munere fideliter peracto, & clypeus eorum de præſenti, & magna olim merces erit. *Dan.* XII, 3.

§. XX.

Object. V. Si *regeratur* forte; *vix*, ex omni ſuo munere, *tantum emolumenti conſequi* miniſtros, *ut familiam ſuſtentent*, tum his, qui-Reſp. bus talis Eccleſia contingit, conſiderandum erit; 1) non protinus ad conſequendam familiam currendum eſſe, ſed hîc regulam *Pauli* obſervandam. 1. *Cor.* IX, 5. 6. Hoc pertinet ad conditiones anguſtiæ præſentis, in qua quandoque expedit *non nubere.* 1. *Corinth.* VII. 2) Frugalitatem, cum humilitate conjunctam, optimum eſſe contra penuriam antidotum. 3) Cui propriæ opes & ſubſidia vivendi ſuppetunt, etiam ejus eſſe, ut ex amore Chriſti, ad promovendum regnum ejus, ultrò expenſas faciat, ſicuti diſcipuli Chriſti, propter Chriſtum, omnia deſeruêre; & tandem 4) fideli miniſtro vivâ, in paternam Dei providentiam conjectâ fiduciâ acquieſcendum eſſe, uti quidem, quantum conſtat, nullus hactenus fidelis miniſter, cum ſuis, ex inedia mortuus fuit. De hiſce & aliis difficultatibus interim videri poteſt *Voëtius Polit. Eccleſ.* Part. II. Libr. II. Tract. I. Cap. 3.

Caput

Digitized by Google

Caput III.
De Poteſtate Miniſterii Sacri.

Σύνοψις.

Datur *poteſtas* aliqua *Eccleſiaſtica.* §. I. Suprema *Chriſti* eſt. §. II. Sub Chriſto aliqualis etiam ſingulorum *fidelium.* § III. Major *paſtorum* & Eccleſiæ præpoſitorum. §. IV. *Qualem* poteſtatem paſtores *non habeant.* §. V. *Qualis* illis competat, *tum in genere*, §. VI. *tum*, in cœtu particulari, *in ſpecie*, §. VII. ubi datur *poteſtas*, א) quæ *ſolis paſtoribus*, licet non ſine reſtrictione, *propria*, ſcil. 1) *docendi*, ex verbo Dei, non traditionibus, §. VIII. IX. 2) *monendi* & *corripiendi*, X. XI. XII. 3) *refutandi* errores, §. XIII. 4) *viſitandi* cœtum *κατ' οἶκους*, §. XIV. 5) *confeſſiones privatas ſuſcipiendi*, commendandi, & ſilentio tegendi, §. XV. 6) *abſolvendi* à peccatis, & ea *retinendi*. §. XVI. ב) *Quæ* paſtoribus *cum Eccleſia communis* eſt, ſcil. *uſus clavium*, isque a) circa *perſonas*, §. XVII-XXIII. b) circa *res* & *actiones*, §. XXIV. cumprimis c) circa *ritus* & *ceremonias*; Ubi quædam *poteſtas* eſt *paſtorum*, §. XXV. quædam *Eccleſia*, §. XXVI. maxima penes *magiſtratum*. §. XXVII. XXVIII.

§. I.

Datur poteſtas aliqua Eccleſiaſtica.

Ut *Eccleſia* ab imperiis mundanis origine, ſcopo, partibus conſtituentibus, & agendi modo, realiter eſt diverſa; ita, etiam ſuam ſpecialem *tum ἐξουσίαν* ſ. *poteſtatem* & *jus*, *tum δύναμιν* ſ. *facultatem* dirigendi res ſuas, cum immunitate ab omni impedimento, habet. *Poteſtas* hæc *à civili* in his potiſſimùm *differt*, quod *hæc* in corpora, *illa* in conſcientiam ſe extendat, quod *hæc* in ſubditos ac ſervos, *illa* in liberos exerceatur, quod ſalus Eccleſiæ non, ut univerſi in Republica, exitio unius ac ulterius conſervari debeat.

§. II.

Summa poteſtas penes Chriſtum eſt.

Summa poteſtas, in Eccleſia, *penes Chriſtum* eſt, *Matth.* XXVIII, 18. *Quis enim ejus loco viſitat terram?* *Job.* XXXIV, 13. Mani-

feſtat ſe illa, *tum* in *actionibus utriusque termini*, *tum* in actionibus *intermediis*. In *termino à quo* ſolus Chriſtus eſt, qui Eccleſiam ſuo ſanguine acquiſivit, ſuo verbo atque Spiritu convocat, eique, ceu unicus legislator, leges, quæ conſcientiam obligant, præſcribit. In termino, *ad quem*, ſolius ipſius eſt jurisdictio, ut hos abſolvat, illos condemnet. Ipſius eſt executio omnium eorum, quæ *tum* ad τελείωσιν, *tum* ad πλήρωσιν Eccleſiæ faciunt, & quæ ad explendam promiſſionem, ac ſpem patrum pertinebant. Vid. *Coccej.* ad 2. *Corinth.* cap. X. §. 61-63. Apparet illa in *actionibus intermediis*, & quidem, quoad *internas*, tum in iis, quæ *in homine* fiunt; Ille ſolus eſt, qui mentem illuminat, cor convertit, conſcientiam ſolatur pleniſſimè. Ille ſolus etiam eſt, qui, tum in actionibus *de homine*, peccata remittit ac retinet, & ita in his ſolus omnia agit, ut vicarios nullos habeat, quorum eſt, congeneres actiones producere. Interim, quoad *externas*, aliis quædam committit, *miniſtros* admittit, qui verbum proponunt, ad quod ipſe cor convertit, qui ejus gratiam vel iram, ex verbo declarant; atque in iis, quæ ad ordinandam, ornandam, atque tuendam Eccleſiam ſpectant, partim *cœtui* ipſi, partim partim *Magiſtratui* Chriſtiano plura committit, de quibus vid. *Hugo Grotius* de *Imperio ſummarum poteſtatum.* Tom. I. Oper. Theol. pag. 288.

§. III.

Sub Chriſto quædam ſingulorum fidelium.

Sub Chriſto omnibus & ſingulis fidelibus quædam eſt poteſtas conceſſa, *tum ratione ſui*; ut ſe nunc, in Nov. Teſtamento, non tantum tanquam τέκνα liberos minores, ſed ὡς υἱοὺς ceu filios majorennes gerere queant Dei vivi, & ſic patrem immediatè adire, *Hoſ.* I, 10, *Rom.* VIII, 15. in ſpe gloriandi, vel in afflictionibus. *Rom.* V, 2. Ἐξουσίαν habent bonis ad ſui ſalutem utendi, & per ea proficiendi. 1. *Cor.* III, 22. 23. Ἐξουσίαν *in arborem vitæ*, ut à Chriſto petere queant omnia ſalutaria, 2. *Petr.* I, 3. & *per portas ingrediendi in civitatem*, *Apoc.* XXII, 14. oppoſitè ad *Hebr.* XIII, 10. Poteſtatem non ſubjiciendi ſe ulli homini, niſi per charitatem, ita ut nec ſerviant elementis mundi, nec à traditione humana, nimiaque in Adiaphoris reſtrictione, ſalutem ſuſpendant,

Digitized by Google

dant, ſed ita vivant, ut regula *Pauli* valeat; 1. *Cor.* X, 23. 24. *tum ratione aliorum*, qui vel *ſub* vel *cum* aliis ſunt; ita ut, qui ſub aliis ſunt, filii, ſervi, ſubditi, juniores *poteſtatem* eam habeant, quam *Heideggerus minimam* vocat, qua ita agunt, ut etiam majores vel in officio obſervando contineant, vel revocent ad illud, non auctoritate, ſed rei veritate, ſubmiſsè interim agentes, nec increpantes, nec quicquam facientes, quod pœnæ rationem habet. Qui *cum aliis* vero pari loco & dignitate vivunt, poteſtatem illam poſſident, quam vocant *minorem*, qua non equidem cum Imperio, ſed tamen cum charitate, *Jerem.* XXXI, 34. *Luc.* XXII, 24. 27. *Gal.* VI, 1. *Rom.* XV, 1. 7. & quidem ipſosmet obligante, *Lev.* XIX, 18. fratres deviantes monent, *Hebr.* III, 13. X, 24. 25. & quidem primò ſoli & in ſecreto, *Prov.* XXV, 9. *Matth.* XVIII, 15. ut fratrem lucrentur eum convertendo, *Jac.* V, 20. *Luc.* XVII, 3. eique remittant ultrò peccata ipſius, *Ephef.* IV, 32. *Coloſſ.* III, 13. nec vel aliis etiam poſtea revelent, *Prov.* XI, 13. nec vel illa in pudorem ipſimet ei objiciant; *Prov.* XVI, 28. XVII, 9. quæ poteſtas fundata eſt *tum* in mandato Dei, 1. *Petr.* IV, 10. *tum* in nexu mutuo membrorum. 1. *Corinth.* XII, 14-27. Quodſi frater ſequi nolit, poteſtatem habent id deferendi ad alios, *vel* ad majores, *Geneſ.* XXXVII, 2. 1. *Cor.* I, 11. *vel* ad amicos, *Matth.* XVIII, 16. uti ſic vel alterâ, tertiâque admonitione illius ſalus obtineatur, 2. *Corinth.* XIII, 1. 2. at ſi nec hos nec poſtea Eccleſiam audiat, poteſtatem habent, eum vitandi, ut Judæi evitare gentes & publicanos. *Matth.* XVIII, 16. Ignem devocandi in ejus caput, vel ad judicium, *Rom.* XII, 20. ſicque etiam ſatanæ tradendi ad interitum cárnis, ut ſpiritus ſalvetur in diem Domini. Videatur de hoc argumento *Heideggerus* in *Diſſertatione de delatione delinquentium.*

§. IV.

Paſtores autem & præpoſiti Eccleſiarum *majorem* habent *poteſtatem*, quam reliqui fratres, utendi ſcil. donis; vid. *Coccejus* ad *Corinth.* XII. §. 52. ita ut monere poſſint μετὰ πάσης ἐπιταγῆς. *Tit.* II, 15. Sed cum non ſint Domini fidei, *intra juſtos limites* ea poteſtas reſtringatur neceſſe eſt. Unde in quibus illa non conſiſtat, præmittimus.

Major paſtorum & præpoſitorum Eccleſiarum.

Digitized by Google

§. V.

Qualem poteſtatem paſtores non habeant.

1) *Non* habent poteſtatem *univerſalem.* Non habent omnem poteſtatem in cœlo & in terra, quæ, licet miſſionis Apoſtolicæ fundamentum fuerit, cujus virtute Chriſtus omnia facit, & facere poteſt, quæ ad τελείωσιν & πλήρωσιν Eccleſiæ faciunt, ſola tamen Chriſti eſt, *Matth.* XXVIII, 18. & in creaturam non cadit, quia eſt poteſtas faciendi omnia opera Dei, quæ Deus decrevit facere. Vid. *Coccejus* ad *Rom.* I, §. 110.

2) *Non* poſſident etiam poteſtatem *principalem.* Non illam habent, quam Principes exercent, *vel* ſupremi in ſuum populum, *Luc.* XXII, 25. nec enim licet illis κατακυριεύειν, 1, *Petr.* V, 3. (quod idem eſt ac κυριεύειν, vid. LXX, ad *Geneſ.* I. 28. *Pſal.* CX, 2. & conf. *Matth.* XX, 25. cum *Luc.* XXII, 25.) Nemo hîc pater eſt; *Matth.* XXIII, 8. Nemo Deus nominatus. 1. *Cor.* VIII, 5. 6. Olim equidem dixit: *Dii eſtis*, *Pſal.* LXXXII, non nunc. Eſt Eccleſia tantum domus Dei vivi. 1. *Tim.* III, 15. Regnum Dei & cœlorum, *Matth.* XXII, 2. excluſis omnibus vicariis, *Jer.* XXX, 21. 22. XXXI, 1. & 31. Nequidem illam habent, quam poſſident qui *vel*, ſub Principibus ſupremis Μεγάλοι, *magni* vel Εὐεργέται ſunt, ut tetrarchæ Judæorum vocari ſolebant. *Joſeph. Antiq. Jud.* Lib. XIII, c. 11. Neque eam Ἐξουσίαν ut à privato impediri non poſſint, quo minus poteſtate ſua utantur, vid. *Coccej.* in 2. *Corinth.* VIII. §. 64. Non illam quam ſeniores habebant in V. T., quibus, etiam ſi traditionibus ſuis onerabant populum Dei, Iſraëlitæ tamen, ſine pœna rebellionis refragari non poterant. Vid. *Coccejus* in *ult. Moſis*, §. 604. & 605.

3) Sic porro *nullam* in *temporalia bona*, *corpora*, *actiones* ullius, nedum in actiones Regum ſupremorum, 1. *Petr.* V, 3. *Luc.* XXII, 25. nequidem indirectè, quatenus illa ad finem ſpiritualem referri poſſent. id quod tamen multis limitibus circumſcribi deberet, cum notum ſit, quod, ſub tali obtentu, ex clavibus, Petro & Apoſtolis datis, enſes, ſceptra, coronæ etiam triplices cuſæ fuerint; quam poteſtatem propterea, ex ipſis Pontificiis, *Petrus de Marca*, Archi-Epiſcopus Pariſienſis, in præſtanti libro, *de Concordia Sacerdotii & Imperii* paſſim, itemque Elias *du Pin*

in

in *Diſſ. de antiqua Eccleſiæ diſciplina*, ex noſtris autem, Iſaacus *Barrow of the Popes ſupremacy*, ſ. *de ſuprematu Papæ* anglicè ſolidiſſime refutarunt: *Non* talem etiam vel *in ſpiritualibus*; non in alios ipſi jus habent, dum aliis nihil poteſtatis remaneat in illos. Non talem, qua *judicent omnes*, vid *Luc.* XXII, 14. dum interea ipſi à nemine judicantur, contra *Rom.* XIII, 1. Poteſtas judicandi non pendet ab arbitrio humano. Fuerit enim Apoſtolis conceſſa facultas vindicandi omnem inobedientiam, etiam extraordinariis pœnis, non tamen agebant pro arbitrio ipſorum, ſed ubi id ſuadebat charitas, ad ædificationem, non ad deſtructionem.

4) *Non* conceſſa illis eſt poteſtas *pœnalis* & *coactiva*: Non illa, quâ pœnis externis, vel carceribus, vel mulctis pecuniariis, homines in obſequium, reſpectu actionum ſpiritualium, redigant, „ idquod, inde ab initio, in Eccleſiis noſtris Palatinis improba„ tum fuit, atque jam anno 1580. teſtante protocollo illius anni, „ Superintendenti Sunzheimenſi, ejusmodi impoſitio mulctæ „ pecuniariæ vitio ferebatur, cum annexo: Er ſolle die Leute mit „ GOttes Wort ſtraffen.„ Et revera arma tantum ſpiritualia ſuppeditata ſunt miniſtris Evangelii; 2. *Cor.* X, 4. 5. *Epheſ.* VI, 17. nec convenit illud ſive cum ſpontaneitate, quæ populo Chriſti propria eſt; *Pſal.* CX, 3. nec cum munere Epiſcopi, qui non debet eſſe percuſſor. 1. *Tim.* III, 3. *Tit.* I, 7. „Si à fide fuerit „ homo abductus, optimè inquit *Chryſoſtomus*, multa imminet ſa„ cerdoti patientia induſtriæ, & adhortationis, quia non poteſt „ errantem vi reducere, ſed perſuadere conabitur, ut ad fidem „ rectam revertatur.„

5) *Non* habent etiam poteſtatem νομοθετικὴν, *qua leges ferre*, & *præcepta dare* queant, ut parens liberis, herus ſervis. Chriſtus ſolus in Eccleſia ſua non modo κύριος eſt, ſed & Ἐπιστάτης, qui non tantum ad ſuum, ſed etiam ad ſuorum bonum reſpicit. Auditores paſtorum diſcipuli, non ipſorum, ſed Chriſti ſunt, multo minus ipſos in conſcientia obligare poterunt. Contra mandatum Chriſti ſi ex ἐντάλματι ἀνθρώπων facerent διδασκαλίας Dei. *Matth.* XV, 9. *Jeſ.* XXIX, 13. conf. 1. *Theſſ.* II, 13. *Joh.* IV, 12. Omnium *minimè in Adiaphoris*, ut, quod eſt indifferens, faciant differens, quod Deus purificavit, inquinarent ipſi, id quod eſſet δογματίζεσθαι,

placitis hominum ſe pati obſtringi, *Col.* II, 10. ἐξουσιάζεσθαι ὑπό τινος à quoquam redigi in poteſtatem, 1. *Corinth.* VI, 12. contra *Gal.* V, 1. 1. *Cor.* VI, 23. uti quidem intolerabile omnino, non licere uti divinis donis propter interdictum hominum. Vid. *Matth.* XVIII, 4. XX, 25. ſqq *Coloſſ.* II, 18-23. 1. *Tim.* IV, 1-4. 1. *Petr.* V, 2. 3. Etiam illatio ex Scriptura S. ſi obligare debet, demonſtranda eſt ad conſcientiam, aut ſaltem non recipienda ab his, non urgenda ab illis, propter auctoritatem dicentis aut definientis. Quæ Paulus 1. *Cor.* VII. reſpectu certi temporis & ſtatus, præceperat, prudentes erant illationes ex verbo domini, & tamen ſolicitè præcepta hæc, per nomen γνώμην, ab ἐπιταγαῖς Domini diſtinxit. Imo nequidem eam poteſtatem habent, ut, in agendis, quæ cœtui Eccleſiaſtico, absque expreſſione modi, injuncta ſunt, ipſi quoad modum determinent ſine conſenſu Eccleſiæ. Quæ agenda ex præcepto generali, agenda ſunt ſecundum definitionem Eccleſiæ, ut quilibet pro ſe poteſtatem habeat determinandi modum ſui officii privati, ſed convenienter 1. *Cor.* XIV, 40. Cum Proteſtantibus eadem, ex pontificiis, hucusque tenuit *Eccleſia Gallicana*, quæ Pontifici Romano non concedit, ut leges condat Eccleſiaſticas, quæ non per conſenſum Eccleſiæ, vel univerſalis, vel ſaltem Gallicanæ, approbatæ fuerint. De quo laudatus ſupra *Petrus de Marca* Lib. III. pluribus egit.

§. VI.

Qualis illis competat in genere.

Interim, quia munus non eſt absque poteſtate, *manet* etiamnum multiplex, ipſis paſtoribus, *poteſtas*, ſed *miniſterialis*, curandi alios in iis, quæ ad eorum ſalutem pertinent, & utendi donis ſuis ad ædificationem, non ad deſtructionem, 2. *Cor.* X, 8. XIII, 10 quæ in multis convenit cum auctoritate, exiſtimatione & reverentia, quam filii patribus debent. Vid. *Matth.* X, 40 41. *Luc.* X, 16. *Joh.* XIII, 20. *Tit.* I, 13. Illa vero poteſtas ipſis alio modo competit, quâ *miniſtris Eccleſiæ univerſalis*, alio quâ paſtoribus hujus vel illius Eccleſiæ *particularis*. Non tantum Apoſtolatus, ſed etiam paſtorum & doctorum munus, primò & propriè inſtitutum fuit in bonum Eccleſiæ univerſalis, ut *Corpus Chriſti* ædificetur, quo nomine tota Eccleſia intelligitur;

Digitized by Google

tur *Epheſ.* IV, 11. 12. niſi velimus, tot eſſe corpora Chriſti, quot ſunt Eccleſiæ particulares, quæ nova quædam conſubſtantiationis ſpecies eſſet; unde qui baptizantur à miniſtris, inſeruntur toti Corpori Chriſti, 1. *Cor.* XII, 13. qui excommunicantur, ab omnibus vitari debent. Alligatio paſtorum ad cœtus particulares fit tantum ordinis, & melioris in ædificando corpore Chriſti convenientiæ ergo. Hoc fundamentum præbet ad diſcutiendos plures caſus, & ad diſtinguendum inter ea, quæ paſtori competunt in *Actu primo*, quatenus poteſtatem habet prædicandi verbum, adminiſtrandi Sacramenta, viſitandi gregem Domini; & inter ea, quæ illi competunt in *actu ſecundo*, quoad exercitium maximè ordinariæ illius poteſtatis: ita vel exploratus vel ordinatus concionari poterit, ubicunque ei occaſio ſuppeditatur, nec, niſi ubi obſtat obligatio ordinarii, ipſi negari poterit utendi donis ſuis, ut noluit *Paulus* prohibitum, ne quis linguis loquatur. 1. *Corinth.* XIV, 39. Sic ſi rudiores quis, tempore locoque, quo ordinario nihil præripit, privatim informare vellet, ſi modò debita circumſpectio habeatur, vix & ne vix quidem illi, reſpectu juris ac officii, quod quâ miniſter Corporis Chriſti habet, id negari poterit. Certè ſi ex donis ipſis, à Deo conceſſis, obligatio quædam fluit, ubi non impediuntur ordinarii idem urgendi, non negabitur ordinato in genere uſus donorum ſuorum; ſicuti inde etiam vocatio Reformatarum Eccleſiarum Proteſtantium defendi poteſt, ſcilicet quia Deus, per dona ipſis propria & aliis negata, illis vel jus conceſſit. Sic ſi hodienum ægrotus quidam alium etiam invitet paſtorem, quam ordinarium illius cœtus, commodum videtur, ut alter equidem ægrum etiam ad parochum ordinarium remittat, ſed tamen ægro ſimul officium charitatis non neget, quia officium ſolandi ægros ipſi in actu primo, ex inſtitutione divina, competit, reſtrictio autem exercitii illius ad alium quendam, melioris convenientiæ ergo inſtitutæ ordinationis eſt, unde, præmiſſis illis, quæ evincunt, nos ordinationem illam non contemnere, id quod potius eſt ſimul tamen obſervandum erit, ſcil. ut pro ſuis etiam viribus ſolamine adſit deſideranti. Vid. *Speneri Conſil. Theol. Germ.* Part. I. Cap. II. Art. IV. Sect. 18. p. m. 71. 72. 73.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

Qualis, in cœtu particulari, in ſpecie, ſcil. א) Poteſtas, quæ ſolis paſtoribus propria, veluti

Quoad *miniſterium* in hoc vel illo loco, atque *in cœtu particulari* in ſpecie, miniſtri *poteſtatem* quandam *ſibi ſolis reſervatam*, aliam *cum Eccleſia* illius loci *communem* habent. Sic poteſtas quibusdam propria eſt, quam non habent mulieres, 1. *Tim.* II, 12. quæ, diſcrimen eſſe in his, exemplo ſit.

§. VIII.

1) Poteſtas docendi,

Ita *primò* poteſtatem habent *docendi*, privatim & publicè. *juventutem*, id eſt, inſtillandi juventuti prima fidei fundamenta, *Gal.* VI, 6. *Hebr.* VI, 1. ita ut juventus teneatur *et* ad audiendum, *et* ad recipiendum tradita, usque ad judicium diſcretionis, ſine examine, cujus capaces nondum ſunt, *et* ad ea memoriæ imprimenda, atque, ubi ad annos diſcretionis venerunt, prius inculcata dijudicanda, id quod cum vel matribus debeant 2. *Tim.* I, 5. multò magè paſtoribus debebunt. Reſpectu totius cœtus & *adultorum* poteſtatem habent doctrinam ſalutis exponendi, & verum S. Scripturæ ſenſum explicandi, 1. *Corinth.* IX, 16. ita ut, *ad verbi propoſitionem*, cultumque publicum, teneantur ejus curæ commiſſi, *tum* ad quærendum, quod deeſt, *tum* ad firmiter tenendum, quod habent, & ratione ſui & ratione aliorum, hinc mutuò excitandorum, *ſe congregare*, atque *congregationem*, etiam tempore perſecutionis, *non deſerere*. (uti novies verbum ἐγκαταλείπω ſemper hoc ſenſu occurrit in N. T.) *Hebr.* X, 24. 25. congregati *audire*, cum nomine Chriſti loquantur, *Luc.* X, 16. dicta & audita *explorare*, cum verbum Dei tantæ dignitatis ſit, ut examinari mereatur, unde examen hoc & prudentiæ tribuitur, 1. *Cor.* X, 15. & ingenio nobiliori; *Act.* XVII, 11. Doctrinam probatam, atque Analogiæ fidei congruam, qualis qualis ille ſit, qui loquitur, *recipere*, non ut verbum hominum, ſed, ut reverà eſt, ceu verbum Dei. 1. *Theſſ.* II, 4.

cui remoram non injiciet Magiſtratus,

Huic poteſtati *remoram*, maximè in locis, ubi vera religio viget, *non injiciet Magiſtratus*, ſi modo doctrina ſalutis, eaque ex verbo Dei, doceatur; quia illius imperio verbum Dei non ſubjacet, nec prohiberi efficaciter poteſt, quod Deus præcepit, nec quicquam ad ſalutem credi ac

fieri

fieri licet, niſi quod Deus ut tale patefecit; ſicuti nec divinæ gratiæ ſacramenta alia aſſignare poteſt, quam quæ, confirmandæ gratiæ ſuæ, Deus aſſignavit. Unde ſi Magiſtratus vellet prohibere, ut doctrina Evangelii à miniſtro cœtui non proponatur, vel ſaltem non publicè doceatur, tentanda primò omnia erunt, quæ leniendo Magiſtratus animo inſervire poſſunt; ſi id fruſtra omnino fiat, ſecreta licentia opportunis, ſive tempeſtivis, ſive intempeſtivis temporibus & locis (hinc primi Chriſtiani noctu, etiam in cavernis convenêre) quærenda eſt; Quodſi nec id quidem tuto, ac ſine periculo fieri poteſt, minuendi erunt cœtus & crebro iterandi, veluti hodienum à *Sevennenſibus* in Gallia fieri ſolet. Quodſi iſtud non ſuccedat, experienda potiùs pericula & damna, quam intermittendum bonæ conſcientiæ remedium atque patientiâ & conſtantiâ laſſandus eſt Magiſtratus; Ita omninò putamus potiùs reſpondendum eſſe cúm *Epiſcopio* ex *Reſp.* ejuſd. ad *Quæſt.* 52., quâm cum celeberrimo *Fabritio* in Diſſert. *de limitibus obſequii humani.* 1) Quia in hoc ipſo caſu clarè determinatum eſt, *Deo potius quam hominibus obediendum eſſe. Act.* IV, 19. 20. V, 29. Quorum verborum hic ſenſus eſt: Ubi verus Deus voluntatem ſuam ſic verè manifeſtavit, ut de ea penitus ſimus perſuaſi, velle illum hoc aut illud, hîc & nunc, etiam à nobis, in individuò, fieri; & homines meri, licet ſint in auctoritate ſuprema Magiſtratus, etiam ſacrâ vel in Concilo conſtituti, contrarium jubent ac vetant, v. g. ſi juberent Scripturam S. non eſſe legendam, verbum Dei non eſſe audiendum, è contrario miſſam eſſe frequentandam, hoſtiam adorandam &c. ſic ut utrumque conſiſtere nequeat, ibi Deo potius quam his obſequium, & voluntarium & cum perſuaſione conjunctum, deferendum, eique cedendum eſſe. 2) Quia, quæ cultui neceſſario, in partibus eſſentialibus, contraria ſunt, illegitimè prohibentur, & obſervari non poſſunt. Id in *precibus* publicis, à *Dario* prohibitis, *Daniel* obſervavit *Cap.* VI, 8. 11. proin etiam ad præconium publicum referri poterit. Id *veteres Chriſtiani* imitabantur, quando ad interdicta, ne die Dominica convenirent, reſpondebant: *Chriſtianus ſum, Dominicam ſervare teneor.* Id *Waldenſes* obſervarunt, qui maluere mortem ſubire, quam a Scripturæ S. lectione abſtinere. Ita &

3) ad mandatum Magiſtratus, intermittendum non eſt, quod partibus muneris paſtoris Evangelici, obſtat. Unde noluit *Amoſus*, ad *Amaziæ* verbum, vel à præconio deſiſtere, vel ex Bethele recedere. *Amos* VII, 10-17. Tempore perſecutionis in *Gallia*, cum juberentur exire Galliâ paſtores, plura in hanc rem edita fuere ſcripta, quibus probatur, quod miniſtri Verbi Dei cœtus commiſſos, ſalvâ conſcientiâ, deſerere non potuerint. Vid. de hoc argumento *Andreæ* Diſſert. de *limitibus obſequii humani.*

§. IX.

Docendi ex Verbo Dei, non traditionibus.

Quantacunque autem in docendo miniſtri poteſtas ſit, neminem tamen, cum infallibilis non ſit, tali cum imperio & auctoritate docere poteſt, quæ dictorum examen prohibeat, fides enim ſuadetur, non imperatur. 1. *Corinth.* X, 15. XI, 13. 1. *Joh.* IV, 1. Cum Verbum Dei non vel ad ipſum, vel ab ipſo venerit, *doctrina illius* etiam non ex traditionibus, aut humana auctoritate, vel ex nova revelatione; ſed tantum ex *Verbo Dei* peti debet. *Rom.* XII, 6. *Jeſ.* LIX, 21. Cumque, in cœtum hunc vel illum particularem, propria auctoritate non fuerit conſtitutus, ſed *à Magiſtratu* aut *Eccleſia* vocatus ſit, per eundem etiam *in externis circumſtantiis reſtringi & dirigi poterit.* Ita ſi, quod proh dolor! frequenter uſu venit, aliena ridicula, purè critica, non neceſſaria tantum proponantur, *à Magiſtratu* illi *præcipi poteſt*, ut in illis tantum, quæ ad *fidem*, *charitatem* & *ſpem* faciunt, potiſſimum occupetur. Si phraſibus utatur, ad explicationem dogmatum Scripturæ Sacræ, quæ ſcandalum præbent, periculoſæ ac ſaltem dubiæ ſunt, quæque cum S. Literis non conveniunt, earum uſus illi prohiberi poterit, quod, circa abuſus quosdam Scripturæ S. e. gr. loci illius: *Juſtus cadit in die ſepties*, ſimilesq;, eruditè obſervavit *Brunnemanus* in *Juris Eccleſ.* Lib. I. c. VI. Membr. I. §. 25. & ad hunc caſum legi meretur *Reſponſum Facult. Theol. Marburg. in cauſa* inſpectoris *Netheni* datum, ab ipſo Netheno editum. Ita, licet pro ὁμουσίῳ *Athanaſius* integro tractatu pugnaverit, *Baſilius* tamen tradidit, multos pios abſtinuiſſe uſu illius vocis, in S. Literis non expreſſæ; idque tum cumprimis, ad mandatum Magiſtratus, obſervari poterit, niſi voces per Conci-

Poteſtas Magiſtratus circa hanc rem.

lia

lia Oecumenica ac ſynodos vim quaſi quandam & jus nactæ fuerint, ut, citra diſſenſum ab Eccleſiis reliquis, intermitti nequeant, nec ſubſint prohibitæ voci errores tanto faciliùs Eccleſiæ obtrudendi, & per eas ſpargendi; qua de cauſa, ab aliis, ejuſdem vocis ὁμοούσιος uſus vel ad ſanguinem usque defenſus fuit. Porro & *Magiſtratus præcipere poteſt, ut paſtores doctrinam Evangelii clara voce proponant, & perſpicuè explicent*, v. gr. ut lectio formulæ Baptiſmi & Sacræ Cœnæ elata voce fiat. Eidem Magiſtratui etiam negari nequit *jus reſtringendi tempus cœtuum publicorum & concionum*, quæ, ſi nimium extenduntur, & attentionem minuunt, & ſenibus, gravidis, aliis, maximè durante aut hyemis rigore, aut nimio æſtatis calore, perquàm incommodæ ſunt; in quam rem plura quondam, in Palatinatu, mandata edita fuêre: prouti & haud pridem *Boruſſiæ Rex*, vulgato edicto, illis qui *conciones, ultra horæ ſpatium* extendunt, duorum Imperialium mulctam impoſuit. Quinimo ipſe *Lutherus* quondam *Urbano Regio*, prolixiùs coram principibus, in *Conventu Smalcaldico*, concionanti repoſuit: *Hoc neque urbanum, neque regium eſſe.* Vid. *Electa juris publ. Tom. VII. Part. VII.* pag. 497. ubi ſimul exceptioni: *Quod ſpiritum* tamen *extinguere non liceat*, occurritur.

§. X.

Habent, *ſecundò*, miniſtri Evangelii *poteſtatem*, *publicè* in genere, & *privatim* in ſpecie, fratres *admonendi* ad officium, *redarguendi* de peccatis, demonſtrandi quam mala ſint vel *verba*, vel *facta*, exponendi, quam abominabilia illa, coram Deo & hominibus, ſint, denuntiandi iram Dei, & pœnas, quæ illos, tum in hac, tum in futura vita, maneant, ut ipſos ſui pudeat, idque non modo clamando gutture alto, pleno inſtar buccinæ, quæ ubique perſonat *Jeſai.* LVIII, 1. ne, hac tubâ neglectâ, ſequatur tuba belli; *Hoſ.* V, 8. ſed etiam ἀποτόμως, ſine ulla diſſimulatione, conniventia, ambagibus, præcisè, rigidè, ut totus ipſorum pateat morbus. *Tit.* I, 13. *Ezech.* XI, 3. 9. III, 17. 27. Nec debet id protinus pro *convitio* haberi. Eſt enim notabilis differentia inter *convitia*, & *reprehenſiones* paſtoris Evangelici. In *illis* eſt damnatio & *infamatio perſonarum*, in *his* vero tantum *de-* 2) admonendi & redarguendi.

 monſtratio

monſtratio peccati et *pœnæ*. quæ illa ſequitur: In *illis* iracundia eſt, & impetus ad lædendum; in *his* charitatis zelus ad ſervandum: In *illis* malignitatis propriæ, nempe gaudii, ex alterius odio & contemtu, demonſtratio; in *his* ſententiæ divinæ, ex Verbo Dei, ad conſcientiam intimatio, cum ſignificatione condolentiæ erga illos, qui peccant: In *illis* lenitas nulla, in *his* omnis manſuetudo, modeſtia, & honoris debiti exhibitio, boni, quod adeſt, agnitio, omnium, quæ homò homini debet, præſtatio. Hinc etiam verbi præconium per hæc tria capita, juxta monitum *Pauli* 2. *Tim.* IV, 2. erat applicandum: ἔλεγξον *redargue*, errores à quibus Judæi, Græci revocandi erant; ἐπιτίμησον *increpa*, vitia & peccata; παράκαλεσον *roga* & *adhortare*, ad amplectendam veritatem, & removenda vitia.

§. XI.

Poteſtas Magiſtratus & cœtus circa redargutiones.

Interim cum, maxime in reprehenſionibus, multi paſtorum nimis clarè demonſtrent, ſe homines eſſe, à quibus humani nihil alienum eſt, etiam *Magiſtratui* & *cœtui*, illam facultatem dirigendi & reſtringendi, ſua etiam poteſtas eſt. Ita enim injungi poteſt paſtoribus 1) ut *zelent*, atque corruptionibus ſeculi ſedulò & feriò occurrant, ut non tantum docendis veritatibus, explicando ſenſui unius vel alterius loci Scripturæ Sacræ inhæreant; ſed ut etiam ſtudium pietatis ſeriò urgeant, vitia & in communi, & hæc vel illa in ſpecie, acri cenſura notent. Hac de cauſa non tantum in *imperii receſſibus* in communi, ſed etiam per *Principum Evangelicorum* tum *ordinationes Eccleſiaſticas*, tum *mandata ſpecialia*, à Principibus Palatinis, Brandenburgicis, Haſſis, ſæpius injunctum fuit, ut contra *blaſphemiam*, *ebrietatem*, *profanationem Sabbathi*, ſimiliaque peccata clamitent. Vid. *Brunnemann. Juris Eccleſ.* loc. ſupra §. IX. cit. §. 12. & 13. & alibi. 2) Ut *zelum* illum ante omnia *contra ſemetipſos* exerceant, ut tantò magis aliis exemplo ſint. 1. *Tim.* IV, 12. 2. *Tim.* II, 22. Deinde etiam porro 3) ut *zelus contra alios* ad eorum ædificationem, non deſtructionem tendat, 2. *Cor.* X, 8. cumprimis quia zeli illius exceſſu ſibi ſæpe absque neceſſitate nocent, *Prov.* IX, ꝟ. 8. XII, 1. *Amos* V, 10. unde ſi omnia, quæ publicè proferuntur, ſolicitè diſcutien-

Digitized by Google

diſcutienda ſunt, cumprimis elenchus ejusmodi examen requirit, qui tum demum fructu non carebit, ſi cum prudentia, affectuum moderatione, & charitate conjunctus eſt. 4) Ut, eum in finem, prudentiam adhibeant א) *reſpectu* PERSONARUM, ut a) eos, qui ex *ignorantia* vel *infirmitate* peccarunt, & privatim & blandis admoneant verbis, nam plus proficit amica correptio, quam turbulenta accuſatio, *illa* pudorem incutit, *hæc* indignationem movet. Vid. *Carpzov. jurisprud. Eccleſ. Lib.* I. Tit. V. definit. 66. b) Dein ut publice peccantes, & lapſu ſuo publicum ſcandalum exhibentes, publice quidem corrigant, ſed ita tamen, ut Medicinæ modus non excedatur; *Non aſperè*, ſcribit *Auguſtinus* Epiſt. 81. ad Aurelium, *quantum exiſtimo, non duriter, non modo imperioſo delicta tollantur, ſed magis docendō quam jubendo, magis monendo quam minando.* Maxime ubi corruptio omnimode prævaluit, vel ipſi *prudentes ſilent. Amos* V, 10. 13. quo tempore paſtores ſeſe cum *pauperibus* conferent, quorum eſt, *ſupplicationes loqui. Prov.* XVIII, 23. Cumprimis autem c) coërceri poſſunt, *ne Magiſtratum* ipſum ita *traducant*, ut auctoritas ejus inde viléſcat. Licet enim, absque perſonarum reſpectu, omnia Eccleſiæ membra redarguenda ſint, ſi peccent, *Jeſaj.* LVIII, 1. 1. *Tim.* V, 20. & nusquam videantur Magiſtratus crimina excepta, quin potius & ipſe, jam *privatim*, ut à *Samuele Saul*, à *Nathane David*, ab *Elia Achabus*, jam etiam quandoque *publicè*, reprehenſus fuerit; *Mich.* III, 1. ſeqq. *Zeph.* III, 3. cavendum tamen eſt, &, ut ſibi caveant, injungi poteſt, ne, vel propter leviora vel propter occulta peccata, Magiſtratus publice corripiatur, nec antequam prius privatim monitus fuerit. Paſtores itidem coërceri poſſunt, ne actiones politicas, qua tales, in cenſuram vocent, quomodo officium Spiritus S. in tribunitios clamores degeneraret, & paſtores tubæ ſeditionis, non miniſtri converſionis fierent. Vid. *Carpzov.* loc. ſup. cit. definit. 67. & *Balduinus* de *caſibus conſcientiæ.* Lib. IV. c. 7. caſu 6to. Quid ipſis circa *onera publica*, & forte *nimia* obſervandum ſit, vid. apud *Melanchtonem* in *Conſiliis Theol.* p. m 662 & *Spenerum* in *Conſiliis Theol.* German. Tom. I. cap. II. Artic. IV. Sect. VI. pag. 23. Prudenter quoque agant ב) *ratione* CIRCUMSTANTIARUM. Sic coërceri poterunt

 paſtores,

paſtores, ne *privatam vindictam* intendant, ſed emendationem delinquentis & averſionem ſcandali, ne quem pro concione nominatim perſtringant, ac ita depingant, ut quilibet intelligat, quis notetur; quo caſu etiam actio injuriarum datur in paſtorem, de qua videatur *Simon*, Prof. Juris Jenenſis, in *Diſſertat.* hujus tituli. Porro ne *injurias* evomant in peccatores in ſuggeſtu, quales exceſſus puniendos eſſe, ordinationes Eccleſiaſticæ, in ſpecie Saxonica, oſtendunt; Nec etiam *facta particularia*, quandoque dubia & incerta, quæ *in occulto* contigêre, pro concione, cum omnibus circumſtantiis, proferant & indicent. Vid. *Spener. Conſil. Theol. Germ.* Part. I. Cap. II. Artic. IV. Sect. III. ſeqq.

§. XII.

Limitatio hujus poteſtatis.

Interim dum *corripiunt* delinquentes etiam *acriter*, ſi facti veritate correptio nitatur, *non erit* eapropter *contendendum cum ſacerdotibus.* *Hoſ.* IV, 4. *Qui odit redargutionem brutus eſt*, non cupit à Deo regi, vult ſuis affectibus permitti. *Prov.* XII, 1. etiam in zelo legitimo Propheticæ Spiritus S. denuntiationes latere poſſunt, vid. *Pſal.* LXIX. & CIX. ſaltem exceſſum paſtorum charitati, quam Deo debent, adſcribere deberent, juxta illud 2. *Cor.* V, 13. Εἴτε γὰρ ἐξέστημεν, *ſive enim furamus*, mente excedamus, id *Deo* fit. Curationes omnes non ſemper, ſub initium, gratæ ſunt, deinde tamen redduntur ſalutares. Nec licet protinus Magiſtratui iſtiusmodi cenſuras coërcere verbis: v. g. Die Geiſtliche ſolten bey der Bibel bleiben, cujus proverbii examen inſtituit *Keſslerus* in *caſibus conſcientiæ, cap.* 36. Quodſi vero paſtor in *Elencho* revera modum exceſſerit, conſiderare deberent auditores, exempla quidem plura in S. Scriptura extare, ubi de nimio paſtorum rigore auditores conqueſti fuerint, ſed nullum ubi Deus quæratur. Jam etiam in omni vocatione ſemper modum tenere difficile eſt; etiam parentes liberos quandoque caſtigant κατὰ τὸ δοκοῦν; *Hebr.* XII, 10. & tamen nulla eapropter actio liberis datur in parentes, ſed imperatur patientia. *Fideliora* ſaltem ſunt vel *vulnera amicorum*, quam *fraudulenta oſcula* inimicorum *Prov.* XXVII, 6. Majora multo damna ſequerentur, ſi paſtores, humano metu correpti, ab omni redargutione deſiſterent, quam

Digitized by Google

quam ſi modum aliquando excedant. Poſſent, ut *Elias*; 1. *Reg.* XIX, ℣. 4. ſuſpiria effundere, inſultantibus noxis, & abitum meditari; unde S. Scriptura pacem potius cum talibus ſuadet, & nævorum tolerantiam: 1. *Theſſ.* V, 13. Si tamen nimis clare & acriter quem tetigerit paſtor, idque ſine fundamento, poſſet talis injuriam ſibi factam paſtori denuntiare, lapſumque reducere, utque ipſi ſatisfiat, aliquaque ratione publice, ab eo petere, &c., ſi omnino enormis læſio ſit, rem ad Eccleſiam ejusque delegatos deferre, de quibus plura & ſpecialiora *Miniſterium Lubecenſe* exhibet in *Dunte caſibus Conſc.* p 781.

§. XIII.

Cum vero Chriſti doctrina etiam contradictores habeat, *poteſtatem* tertiò habet paſtor *refutandi* errores Eccleſiæ ſuæ noxios, unde requiritur a miniſtro, ut ſit δυνατὸς τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν. *Tit.* I, 9. Poteſtas hæc *tum* in jure ſocietatis arcendi à ſe periculum, *tum* in obligatione præbendi veritati Teſtimonium fundatur, modo obſervetur, ne oppugnentur ignota, aliena, vetuſta, viri tales, quorum nomina & dogmata diu ſunt extincta, nec ea, quorum ne veſtigia quidem extant. Cum vero ſuis etiam paſtores nimium ſæpe indulgeant affectibus, & hic cummaxime facile excedant, poteſt etiam hæc miniſtri poteſtas, vel à *Magiſtratu*, vel ab *Eccleſia*, varie reſtringi; debetque Magiſtratus 1) non permittere paſtoribus, ut, ſalvis dogmatibus ad ſalutem neceſſariis, quicquam de articulis reliquis, atque indifferentibus, pro concione ſub anathemate definiant, & ex non neceſſariis neceſſaria faciant. Vid. ex moderatiſſimo Theologo Lutherano Rinthelenſi, *Joh. Henichio*, *Ahasverus Fritſchius* in Notis ad *Anton. Fabrum*, *de Religione regenda*, Lib. II, cap. V. 2) Ut, ſi de re & dogmate conveniant partes, de terminis Metaphyſicis, vocibusque, ut nunquam ita omnium minimè in concionibus, diſputent. Vid. *Werenfels* in *Tract. de Logomachiis.* 3) Injungere ut in præſentibus controverſiis charitatem cum veritate conjunctam exerceant, & in eum finem abſtineant *tum* à nominibus contumelioſis, ex quibus nulla Eccleſiæ ædificatio expectari poteſt, certa vero civium ejusdem Reipublicæ exacerbatio fluit, *tum* à conviciis. 4) Ut nulli Eccleſiæ affingatur doctrina, quam non agno-

3) refutandi errores.

Reſtrictio ejus per Eccleſiam & Magiſtratum.

Digitized by Google

agnoſcit, nec doctorum ſingularium opiniones confundantur cum doctrina recepta, & in publicis confeſſionibus agnita; qua de cauſa declamatores quidam Lutherani, in ſpecie Reformatorum famoſiſſimus ille, ad furorem usque, hoſtis, E. H. *Edzardus*, qui, ita dictos, *Calvinianos Pelagiaviſmi* & *Manichæiſmi* reos agere voluit, in Comitiis Ratisbonenſibus, publicè reprehenſi fuere; minusque juſtum eſt, ſi per conſequentias non agnitas pars adverſa traducatur. 5) Ut ab Elencho nominali abſtineatur, cum ſufficiat, ſi theſis & antitheſis, quoad rem ipſam, tradatur. 6) Ut cautè agatur in propoſitione dogmatum controverſorum, ne & noſtra crudè propoſita noceant magis, quam proſint. Unde cum cura proſpiciendum eſt, ne doctrinæ, quæ aliis nimis duræ videntur, e. g. ſententia Supra-lapſariorum in Articulo de prædeſtinatione, ſimilesque aliæ, ſic proponantur, ut de fundamento doctrinæ, non penitus informati, alieniores reddantur. De quo argumento legi meretur *Brunnemannus* in *jure Eccleſiaſt.* Lib. I, c. VI. membro 1. & *Urbanus Regius* in Tract. *de formulis cautè loquendi.* Porro, ne nimium concedamus, *aut* per *Syncretiſmum*, quo nomine venit, partium religione diſſidentium, non obſtante diſſidio, in concordiam fraternam & Eccleſiaſticam coalitio, *aut* per *tolerantiam*, qua, veritate ſalvâ, cum adverſæ religionis addictis ita vivitur, ut injuriis non afficiantur. Ut *ſtatus controverſiæ* proponatur *graviter*, & ex pio affectu pro veritate, cum debita lenitate, *placidè*, *ſolidè*, non affectibus indulgendo, non ſophiſticis ſophiſtica opponendo, non obſcurius aut minus ſufficienter ad objectiones reſpondendo, ſed ita ut contradicens convincatur. 7) Multitudo deficientium excitabit equidem paſtorem, ut vigilet contra ſeductionem, ſed ita ut tamen nullam veritati injiciat remoram, acrioribus verbis detonando in religionem alicubi dominantem, quæ vix aliò faciunt, quam ut Magiſtratum irritent, & religioni veræ noceant. Felicius autem ſuo gregi, in tali caſu, invigilabit paſtor, ſi a) in privata converſatione, & in informatione Catechetica dogmata primaria adverſariorum proponat, quodque eorum momentum ſit, quæ falſitas, candidè, modeſtè, ſed & ſolidè ac perſpicuè indicet. Si dein etiam b) publicè non tantum doctrinæ noſtræ

theſes,

Digitized by Google

theſes, eadem ratione, confirmet, ſed etiam, quantum periculum ſit, & inſtet animæ, ſi ab illa diſcedatur, ſolide & perſpicue tradat, eſſetque cumprimis, in iſtiusmodi circumſtantiis, in id juxta incumbendum, ut, quantum crimen ſit, contra conſcientiæ lumen, à cognita veritate deficere, clare indicetur, in quem finem legi meretur liber Gallicus, *Job. la Placette de Miſſa.* Cumque plerumque defectiones non tam ex perſuaſione, quod religio, ad quam transeunt, vera ſit & ſalutaris, quam ex animi levitate oriantur, & quod nec propriæ Religionis principia recte hauſerint, vel ſenſu bonorum ſpiritualium afficiantur, c) id cumprimis curandum erit, ut converſioni ſinceræ major opera impendatur, quam ſi obtinuerimus, nulla defectio metuenda erit.

§. XIV.

4) Viſitandi cœtuum κατ' οἴκους.

Habent *quartò* paſtores *poteſtatem* etiam *privatim fidei rationem*, *à ſingulis* ſuæ curæ commiſſis, *petendi*, eosque κατ' οἴκους *viſitandi*, &, quomodo ſe erga Deum & invicem gerere debeant, *ſigillatim monendi.* Poſtulat hoc particulare examen 1) *cura animarum* ipſis injuncta, *Hebr.* XIII, 17. quia auditores omnes & ſingulos in ſuam fidem & curam, mediante publico & ſolenni juramento, ſuſcepêre, ipſisque, ad tremendum tribunal Chriſti, de omnibus & ſingulis ratio reddenda eſt, quod omnino fieri haud poteſt reſpectu talium, qui vix de facie, nedum de animo noti ſunt, quorum doctrinam, mores, nævos perſpectos non habent. 2) Quia vocati ſunt ad *munus paſtorale.* Paſtoris autem eſt; *oves nominatim noſſe*, *Joh.* X, perditas requirere, depulſas reducere, confractas obligare. *Ezech.* XXXIV, 4. Unde, ut ſingulos adeundi jus habeant, neceſſe eſt. Sic & 3), inde ab initio, Apoſtolorum & reliquorum paſtorum opus erat, ſuos docere, & publice & per ſingulas domos, *Actorum* XX, 20. 1. *Theſſalon.* II, 11. ubi ſimul eleganter officium illud privatum in compendio exhibetur, quippe conſiſtens in *rogando*, quod eſt cupientis bonum, in *conſolando*, quod eſt indoleſcentis malo, & in *conteſtando*, quod eſt ſoliciti de ſua & proximi ſalute, timentis DEUM, & judicium prævenire cupientis. Nec 4) concipi poteſt, quod una concione miniſtri penſum ſuum abſolvant, & in reliquum tempus ſecure ſtertere poſſint,

ac ſi vox eorum & omne officium templo incluſum eſſet, ut inde egreſſi prorſus debeant ſilere. Hinc & ejusmodi viſitationes domeſticæ, ob multiplicem uſum, jam olim commendatæ fuêre, veluti à *Chryſoſtomo* de *dignitate Sacerdotali* Lib. III, c. IX. à pluribus item *ſynodis*, etiam à *Dordracena*. Vid. *Zepper Polit. Eccleſ.* Lib. III, cap. X. *Voëtius Polit. Eccleſ.* Part. I. Lib. II. Tract. 3. *Bowles* in *Paſtore Evangel.* Lib. II. cap. VI. Cumque 5) Epiſcopi munus ſit *attendere gregi*, *Actor.* XX, 28. & contra paſtoris ſtulti *oves* ſuccisas *omittere*, *Zach.* XI, 15. 16. patet, quod id ei nulla ratione prohiberi poſſit. Nec obſtat a) quod *Chriſtus nihil locutus* ſit *in occulto*; *Joh.* XVIII, 20. id enim tantum de eo intelligendum, quod publico præconio contrarium eſt. *Marc.* IV, 2. *Luc.* X, 39. Neque b) quod *hæreticorum* ſit *in ædes ſerpere*, 2. *Tim.* III, 6. id enim de eo, quod absque vocatione & ſeductionis ergo fit, intelligendum. Non privata converſatio rem, ſed error privatam converſationem vitioſam reddit. Nec obſtant c) *abuſus* atque *ſcandala*, quæ *ex nimia familiaritate* oriri poſſent; habet viſitatio domeſtica ſuas leges. Paſtor ſibi ex ſenioribus unum vel alterum adjunget, ſicuti Chriſtus duos ferè ſemper diſcipulos miſit, ut ſpecies avaritiæ & vitæ paraſiticæ abſit. Non affectabit convivia, & in omnibus curabit, ut pulchrè omnia fiant, non ſolum coram Deo, ſed & coram hominibus. 2. *Cor.* VIII, 21. Non obſtabunt d) pericula Ἑταιρῶν. Nulla illa erunt ex parte Magiſtratus, ſi uſus viſitationis illius ritè obſervetur, & explicetur publicè. In matrimoniis mixtis paſtor etiam nihil contra voluntatem partis adverſæ faciet. Interim ſi Magiſtratus, ex obtentu vitandorum conventiculorum, iſtiusmodi viſitationes prohibeat, vel ſi, graſſante peſte aut morbo contagioſo, metuendum ſit, ne paſtor ad ſacra publica reddatur inidoneus, pro illo tempore intermitti poterunt & differri, privata enim publicis cedunt. Vid. *Speneri Conſil. Theol. Germ.* Part. I. Cap. II. Art. IV. Sect. XIX-XXI.

§. XV.

5) Confeſſiones privatas ſuſci-

Ex hac poteſtate fluit etiam *quintò* illa, quæ eſt *poteſtas, confeſſiones privatas*, quæ in paſtoris ſinum deponuntur, non modo *ſuſci-*

Digitized by Google

ſuſcipiendi, ſed etiam fidelibus, ad ſuæ ſalutis commodum, in certis caſibus *commendandi*. Sic, ſi hæreat fidelis de natura ſuorum factorum, num in illis peccatum commiſſum ſit, nec ne? (multa enim ſpeciem virtutis habent, & ſunt peccata, quæ non niſi ab illis, qui, ad diſtinguendum bonum & malum, exercitatos ſenſus habent, dignoſci poſſunt) &, ſi juſta iſtiusmodi caſus ſuſpicio ſit, paſtor eo quæſtiones ſuas dirigere poterit, ut apud eum conſilium petatur. Sic & multa adiaphora à ſimplicioribus pro peccatis habentur, quibus, in eum finem, quæ vera agendorum regula, quodque ea non ſit traditio, non meticuloſa imaginatio, aut antiqua conſuetudo, ſed S. Scriptura, demonſtrandum, atque, ſi opus eſt, actionum examen, juxta hanc regulam, ſuſcipiendum erit, eſtque in his jus quoddam primarium *ſacerdotibus*, quorum *labia ſcientiam cuſtodire* debent, *ex quorum ore lex requirenda eſt. Mal.* II, 6. Porro opus illud eſt, quando peccator *gravi angore* laborat, & peccatorum ſuorum ſenſu ita affligatur, ut ſeſe, niſi alieno adjutorio, explicare nequeat, tum omnino non negligendum, quod illi à Domino offertur, remedium, nempe ut, ad ſe ſublevandum, privata confeſſione apud paſtorem ſuum utatur, ac, ad ſolatia ſibi adhibenda, privatam ejus operam imploret, cujus officium eſt, & publicè & privatim, populum Dei conſolari: ſaltem ea moderatione utendum, ut, ubi Deus nihil certum præſcribit, conſcientiæ certo jugo non alligentur. Hinc ſequitur, eam confeſſionem liberam eſſe debere, quodque ea à confeſſione auriculari toto cœlo diverſa ſit. Vid. *Calvinus Inſtit. Chriſt. Relig.* Lib. III, c. IV. §. 12. *Dallæus de Confeſſ.* Auric. Lib. I, c. 1. Certe, hoc in caſu, juxta *Job.* XXXIII, 19. 27. omnino etiam paſtor conſuli poteſt. Licet enim ſolus *Chriſtus* מלאך מליץ, *paracletus* ille ſit in Emphaſi, eſt tamen talis *inter mille* miniſtros ſuos, per quos *homini rectitudinem indicare* poteſt. Si medicis corporis morbi indicandi ſunt, animi defectus etiam paſtoribus utcunque erunt retegendi. Et cum, in communi, paſtori incumbat, ut ſingulas gregis oves circumeat, earum maculas obſervet, ut perditas requirat, abjectas reducat, confractas obliget, ægrotas conſolidet, fortes ſeu petulantes coërceat, & in judicio paſcat,

piendi, commendandi, & ſilentio tegendi.

Ezech. XXXIV, 15. utique hunc ſcopum vix aſſequi poterit, niſi cognitâ omnium indole, virtute, &, à virtutis tramite, aberratione. Ad hoc ſcrutinium autem opus eſt, ut vel oves ipſæ nævos, quibus anguntur, paſtori revelent, vel ut hi illi per alios, non equidem clam & inſidioſe ſubordinatos, ſed e g. per presbyteros deferantur, in quali vel illarum confeſſione libera, vel horum denuntiatione mali nihil eſt, ſi modo id ſolius charitatis inſtinctu, & ſalutis peccatoris deſiderio fiat, non ut, iſtiusmodi indicio, delinquentes deſtruantur, vel famæ naufragium faciant, ſed ut, idoneis remediis, ex Evangelio Chriſti petitis, ad ſalutem ædificentur. Moris eſt & praxeos inter Evangelico-Lutheranos, ut, quoties S. Cœnam participant, iſtiusmodi privatas confeſſiones inſtituant, in quo privato colloquio, teſte *Chemnitio Part.* II, *Exam. Concil. Trident. cap. V. de Pœnitentia*, explorant auditorum judicia, an recte intelligant doctrinam de peccatis exterioribus, interioribus, de gradibus peccatorum, de ſtipendio peccati, de fide in Chriſtum? Deducuntur ad conſiderationem peccatorum, explorantur, an seriò doleant de peccatis, an iram Dei timeant, & cupiant illam effugere, an habeant propoſitum emendationis? Interrogantur etiam, ſi in certis quibusdam peccatis hærere exiſtimantur, traditur illis doctrina & exhortatio de emendatione &c. Idque optat *Calvinus* loc. cit. ubique obſervari, probat etiam *Dallæus* loc. cit. Conferantur *Zwinglii Explanat. Artic.* 52. & *Artic. XI. Conventionis Marpurgenſis.* Hæc omnia eò magis locum habent, quia miniſtris ſimul *poteſtas* eſt *cognita peccata ſilentio tegendi*, ita ut, nequidem à Magiſtratu, ad revelanda hæc arcana, obligari poſſint, niſi omnino evidens, ex ſilentio, vel toti Reipublicæ, vel privatis quibusdam, periculum inde metuendum ſit, in quo ipſo tamen caſu, ſi unquam fieri poteſt, diſtincta, & delicti & delinquentis ratio habenda eſt, ut, quantum fieri poteſt, delinquenti parcatur. Saltem *ad hocce ſilentium*, vel in gravioribus peccatis, *obligatur* paſtor 1) *quia* munus Eccleſiaſticum à munere politico toto cœlo differt, & civili adminiſtratione non ita debet implicari, ut Magiſtratus miniſtris tanquam canibus venaticis utatur. 2) Chriſtus mulierem in adulterio deprehenſam nec judicavit, nec detulit, ſed, quod mini-

ſtrorum

ſtrorum eſt, ſatis duxit ſuadere pœnitentiam, *vade, & non amplius pecca. Job.* VIII, 1-11. Confer. *Matth.* XVIII, 11. XII, 18. 19. 20. 3) *Obtrectator* eſt, qui *arcanum revelat*, qui *fidelis* animo eſt, omnino *tegit rem. Prov.* XI, 13. XX, 19. coll. *Prov.* X, 12. 4) Ejusmodi delatio paſtores, ovibus ſuis, & exoſos redderet & ſuſpectos, ut vulnera conſcientiæ poſthæc ipſis nemo unquam retegat, reddantque adeo paſtores ſemet ipſos inidoneos ad ovium ſauciiſarum curam. Sic paſtor ovi ſuæ terribilis & inviſus evaderet, & ipſe tandem neglectæ ſalutis ovium ſuarum damnas, eſurienti Satanæ, in victimam opimam cederet, easque ipſemet lupo mactaret, veluti loquitur *Heideggerus* in *delatione delinquentium.* Diſſert. I, Tom. IV. diſſertationum ejus. 5) Ignavi prorſus paſtoris eſt, delatione ad Magiſtratum facta, moleſtiam homines, per ſpiritualia media, corrigendi deponere, omnemque curam in ſeculare brachium rejicere, cujus atroces pœnæ ad converſionem parum faciunt. Poteſtas clavium data non eſt ad inquirenda delicta arcana, ſed ad corrigenda manifeſta. Vid. *Kortbold paſtor fidelis* pag. 126. Maxima paſtoris, erga oviculas Chriſti pœnitentes, charitas non permittit, ut multitudinem delictorum aperiat, ſed tegat. Vid. de his *Diſciplin. Eccleſ. Gallic. artic.* 28. 29. 30. *Perkinſii Caſ. Conſc. Lib. I. c.* 1. *Joſeph. Hall. Conſil. Conſc. Quæſt.* 7. *Zepperi Polit. Eccleſ.* Lib. I, c. 19. *Heideggeri* Diſſert. *de Delatione Delinquentium*, ſupra citata.

§. XVI.

6) Abſolvendi à peccatis, & illa retinendi.

Ut vero paſtoribus inquirendum eſt in nævos auditorum, ita, etiam, *ſextò*, eosdem, ſi reſipuerint & credant, *abſolvendi à peccatis*, ac etiam, ſi id non fecerint, *peccata* ipſis *retinendi poteſtatem habent.* Venit illud, in S. Literis, ſub nomine juris & *uſus clavium regni cælorum*; in quantum ſcilicet phraſes illæ ad perſonas pertinent; *Primus* enim *clavium uſus*, paſtoribus conceſſus, eo tendit, ut *Eccleſiam* credentibus, & fidem profitentibus *aperiant.* Multo enim naturalius hæc phraſis, de clavibus regni cœlorum, omnium primò refertur ad *admiſſionem in domum*, & deinde ad *excluſionem ex illa*, quam ad ejectionem ex domo, & ſubſequentem readmiſſionem. Eſt enim hæc poteſtas, ſub

illo emblemate, *Petro* data, antequam Chriſtiana Eccleſia formata erat, *Matth.* XVI, 19. coll. cum *Matth.* XXVIII, 19. ut proinde prius reſpiciatur ad fundandam Eccleſiam, & admittendos homines in eam, ita certe *Petrus* ſic loquente *Tertulliano*, primus clavem imbuit, præconio Evangelii facto primò ad *Judæos* *Actor.* II. maximè ℣. 41. deinde ad *gentes* *Actor.* X. ut ſic etiam remiſſio peccatorum propterea primò annectebatur Baptiſmo. 1. *Petr.* III, 21. *Tit.* III, 5. Ex quo jure deinde credentium *liberi* ſimul, per Baptiſmum, Eccleſiæ adjungebantur, qui etiam poſtea, per confirmationem, in eandem introducebantur, quaſi per examen & profeſſionem publicam, apud presbyteros, inſtitutam. Sic etiam eandem remiſſionem declarant paſtores in *verbo*, cujus ſumma præconium pœnitentiæ, & remiſſionis peccatorum eſt, *Luc.* XXIV, 27. in *Baptiſmo*, *Actor.* II, 38. in S. *Cæna*, *Matth.* XXVI, 28. etiam in *precibus*, quæ obtinendæ hujus remiſſionis medium ſunt, maximè vero in *alloquiis privatis*, ubi, mentibus afflictis, vim declarationis de remiſſione peccatorum, ex Verbo Dei, & cummaximè promiſſionibus Chriſti commendant. *Matth.* XVI, 19. XVIII, 18. *Marc.* XVI, 15. *Job.* XX, 23. Idem jus adeundi Eccleſiam *Proſelytis* competit, qui admittendi ſunt, ſaltem inquiſitione præmiſſa de ſinceritate ſuæ converſionis; ſicuti *Judæi* ex gentibus neminem admittebant, niſi inſtituto prius examine, an ad adipiſcendum divitias, aut ex timore, aut ex amore fœminæ Iſraelitæ accedat? Si viderant, nulla re alia, quam amore Legis Dei, ipſum moveri, plenius informabatur de Deo uno, de malo, de idololatria, de proëmio obedientiæ, de mundo futuro, & tum admittebatur. Vid. *Jac. Altingii Diſſert. de Proſelytis Oper. Tom. V.* Neque tamen nimis erant, in admittendis illis, ſcrupuloſi; ſicuti & hodienum ad S. Cœnam admittendi ſunt, qui fidei & reſipiſcentiæ profeſſionem faciunt, nec ſe, ſingulari ſcandalo, ſocietatis hujus ſacræ indignos reddunt. Licet enim multi tales ſint, ut vel vulgus, vel ipſe paſtor eos pro regenitis, ſaltem indubiè, habere nequeat, bona tamen hæc communia, communis Eccleſiæ miniſter, non ſecundum privatam ſcientiam, ſed publicam, multò minus juxta inconſtans vulgi judicium, adminiſtrabit, quale zizanium, quod

ad

Digitized by Google

ad minimum tritici ſpeciem, non fructum, habet, ipſe Chriſtus eradicare prohibuit, *Matth.* XIII, 29. cum ſcandalis cœteroquin majoribus, & multiplici injuriæ locus pateret, ut oſtenderunt *Spenerus in Conſil. Theol. German.* Part. I. cap. II. artic. VI. Sect. 21. & *Carpzovius* in *Juriſprud.* Eccleſiaſt. Tit. 18. Definit. 279.

§. XVII.

ב) Poteſtas, quæ paſtoribus cum Eccleſia communis eſt, ſcil. uſus clavium: a) circa perſonas;

Quod vero ad corripiendos attinet, *jus*que *clavium*, *circa perſonas, reſpectu nævorum*, ſequentia notare juvabit. 1) *Viſibilem* in terris *Eccleſiam* non ſine *nævis*, nec ſine *ſcandalis* eſſe. 2) Jam omnia peccata equidem iram Dei provocare, nullum eſſe veniale, ſtipendium omnium mortem eſſe, ſed notiora tamen & gravia ſaltem ita offendere Eccleſiam, ut homo prærogativis & beneficiis illius ſe indignum reddat. Unde *nævi* equidem ferri, & leniter corrigi debent, quia nemo eſt, qui nævis non prematur, Hæc mutua illa onera ſunt, quæ alter in altero ferre debet, &, quantum in ſe eſt, leniter corrigere. *Galat.* VI, 1. 2. *Scandala* vero, ut malum, quo Nomen Dei profanatur, Eccleſia inficitur, ira Dei provocatur, & ſalus proximi peccantis in extremo periculo verſatur, auferri debent è medio Eccleſiæ. 1. *Corinth.* V, 13. 3) Ut *auferatur ſcandalum*, *jus & poteſtas radicaliter in Eccleſia eſt*, & toti competit Eccleſiæ, nec enim excommunicatio ad Magiſtratum, ſed ad Eccleſiam pertinet, ut quondam iſtiusmodi diſciplina non tam ſynedrio, quam ſynagogæ competebat, id quod contra *Eraſtum*, *Seldenum*, *Lightfootum*, *Grotium*, *Thomaſium* &c. ſolidiſſimè explicuit *Vitringa* de *ſynagoga vet.* Lib. III. oſtendens ſpecies excommunicationis Judaicæ נזיפה, נדוי, חרם ad ſynagogam pertinuiſſe; idque patet inde, quia omnis ſocietas ſeſe, in ſtatu ſuo primigenio, conſervandi facultatem habere debet; porro, quia *Chriſtus* ipſe, Eccleſiæ fundator, hoc illi ſupremum Jus conceſſit. *Matth.* XVIII, 17. *Paulus* id etiam ei vindicavit & attribuit. 1. *Corinth.* V, 2. 2. *Corinth.* II, 10. Conf. *Pſal.* CXLIX, 7. 8. 9. 2. *Corinth.* X, 8. XIII, 10. Cum vero Eccleſia tota id perficere non poſſit, ſaltem prima correptionis iſtiusmodi fundamenta delegatis committit, ut uſus & exercitium clavium, ſaltem ſub initium, penes miniſtros & delegatos ſit; id quod non tantum

tantum in confœderatione mutua, ſed etiam in inſtitutione Chriſti fundatur, qui claves Apoſtolis, etiam quà paſtoribus, commiſit, & quidem ſic ut 4) ad Eccleſiam à malis liberandam, divinâ etiam potentiâ duriùs agendi, cœcitate, morte puniendi, morbis & ſatanæ tradendi poteſtate inſtructi fuerint. 5) In hoc opere vero ſic progrediuntur, ut tum *vel* comminationes, *vel*, in caſu reſipiſcentiæ, promiſſiones Chriſti non tantum in genere, ſed etiam ſigillatim applicent, conſtituti quaſi, à Deo, ſacerdotes, qui judicium de lepra, & excluſione propter lepram, ſed convenienter Verbo Dei, inſtituunt. Atque hac applicatione ſive *excluſione verbali* cumprimis utuntur in delictis, quæ paſtori ſecretò innoteſcunt, ea enim paſtor, niſi omnino aliena, cumprimis publica, ſalus alia omnia requirat, operta habet, & hujusmodi culpæ ulcus ita privatim premit, ut ejus auctor ad indignationem, zelum, eaque, quæ 2. *Corinth.* VII, 11. indicantur, compellatur, nec peccatum illud foras efferre, & excommunicatione publica punire ſuſtinebit; idemque apud ægros obſervabit, ubi quis qualisve uſus clavium ſit, *Steph. Gauſſenius*, in Diſſert. *de recto uſu clavium* docuit, de cœtero & hîc memor mandati divini. *Jeſ.* LVI, 1. *Ezech.* cap. XXXIII. 6) Quodſi autem, in publica ſcandala, crimen primi proximi eruperit, & quis evidenter atque contumaciter impœnitens ſit, e. g. ſi furtum commiſerit, & injuſtè ablata reddere nolit; ſi cum fratre læſo in gratiam redire nolit, paſtor illi iniquitatem peccati declarabit, periculum acceſſus ad S. Cœnam exponet, &, ut abſtineat ab ejus uſu, monebit, ſi contumax manet, eundem, ſaltem pro iſto tempore, ab uſu S. Cœnæ ſuſpendere poterit. Huc usque, ſi ſcandalum in confeſſo ſit, nec de eo reus litem faciat, paſtor progredi poterit & tenebitur. Si enim, ex nimio hominum metu, illum admitteret, *et* in *veritatem* peccaret, applicando, ſaltem ſine declaratione, ſignum cui ſignatum non competit, *et* in *charitatem* debitam *tum Domino*, quia corpus ejus non dijudicantem vellet tamen illius participem reddere, *tum proximo*, qui hac ratione ſibi judicium edit, 1. *Corinth.* XI, 29. proin etiam *Eccleſiæ*, quæ ſcandalum inde caperet, & occaſionem tanto ſecurioris lapſus, ac ſaltem ſingularis triſtitiæ. 7) Quodſi vero talis peccator *miniſtrum audire*

Digitized by Google

dire nolit, ut, vel de ſcandalo, vel de ſcandali periculo, cum paſtore controvertat; v. g. Si paſtor pro ſcandalo habeat, quod alter vix nævum eſſe agnoſcit, ſi urgeat confeſſionem peccati, quod alter ſe commiſiſſe negat, ſi notitiam religionis Chriſtianæ pro inſufficienti habeat, quam alter ſufficere putat, ſi pro impœnitente eum judicet, qui, ſemel iterumque monitus, in priora vitia recidit, dum hic promiſſis ſuis fidem haberi poſtulat, id omnino *Eccleſiæ dicendum* eſt, atque illius vel Presbyterii, vel fortè Conſiſtorii, auctoritati id tribuendum, ut, ſi ejus deciſio ſententiæ paſtoris contraria ſit, huic tamen ille, quoad actus illos externos, ſaltem cum declaratione ſuæ ſententiæ, obedire teneatur; idque, *quia* ſupremum judicium in ſacris *Chriſtus* clarè non uni, aut duobus vel tribus, ſed *Eccleſiæ* dedit, *Matth.* XVIII, 16. 17. *quia* ne *Paulus* quidem ipſe; vel de inceſtuoſo evidenter tali, nonniſi in omnium præſentia judicare voluit; 1. *Cor.* V, 1-5. *quia* cognitio ejus, qui ſocietatis Eccleſiaſticæ dignum aut indignum membrum ſit, ultimò ſocietati non miniſtro competit; *quia* Sacramenta & reliqua Eccleſiæ bona non miniſterio, ſed Eccleſiæ conceſſa ſunt, cui etiam jus remanet de miniſtris ipſis, & illorum ſententia judicium ferendi; quia admiſſio indigni ad S. Cœnam nusquam tanquam peccatum per ſe, & proprie tale, miniſtro tribuendum, in Sacris Literis deſcribitur; (verba enim *Matth.* VII, 6. propriè non ad Sacramenta, ſed ad promiſſiones ipſas reſpiciunt) ſed ſaltem ex accidenti pro tali habetur, unde & culpa admiſſorum indignorum nusquam, in Scriptura Sacra, miniſtris, ſed potius Eccleſiæ tribuitur, 1. *Cor.* V, 1. 2. atque ad communicantes potius, quam ad miniſtros officium explorationis refertur, 1. *Cor.* XI, 28. ſeqq. quibus addimus, quod ipſi etiam paſtores homines ſint, qui, imprudentià, præcipitantià, iracundià, privatæ vindictæ cupiditate, vel immoderatarum paſſionum vehementià, eò facile progredi poſſent, ut, enſe ſuo ſpirituali, loco putridi membri, quod in Corpore Chriſti ſanum eſt, ac ſaltem, mediantibus Sacramentis, in viam reduci poſſet, decidant.

§. XVIII.

Communicatio cum Eccleſia in caſibus dubiis.

Atque hæc *communicatio cum Eccleſia*, ſive delegatis ejus, cumprimis neceſſaria eſt *in caſibus dubiis*, & ubi in ipſam criminum veritatem etiamnum inquirendum eſt, neque enim, ut vidimus, ad excluſionem à S. Cœna ſufficit, aut quis pro facinoroſo à vulgo habeatur, nec enim ſecundum vulgi opinionem, ſed veritatem, ut omnis, ita tanti momenti, deciſio formanda eſt. Non item ſufficit, ut quis gravioris etiam criminis, v. g. adulterii, blaſphemiæ &c. accuſetur, quamdiu nec confeſſus, nec convictus eſt, quibus deficientibus quilibet præſumitur innocens. Interim ſi accuſatio fiat publicè, paſtor illum monere poterit, ut innocentiam ſuam defendat, non autem id aget, ut, artibus quibusve etiam invitò, confeſſionem extorqueat, de quibus *Balduinus* in caſibus conſcientiæ, & *Lipſienſes* ap. *Carpzovium* Definit. 279. videri poſſunt.

§. XIX.

Norma hujus uſus clavium.

Ne vero nimiis conſcientia paſtoris ſcrupulis prematur, attendendum erit ad ea, quæ Chriſtus & Apoſtoli fecêre. Ita 1) ipſe *Chriſtus Judæ* proditori Sacramentum dedit, *Luc.* XXII, 21. licet jam ſatanas in ipſum fuerit ingreſſus. *Joh.* XIII, 27. Ubi proin, ſi quis aliquem, ſine evidenti ſcandalo viventem, à S. Cœna arceat, omnino valebit *Zwinglii* verbum; „Non decere nos, ut Filio Dei, qui ſolus corda hominum perſpecta habuit, acutiores nobis oculos tribuamus, aut in Cœna ſumamus judicium, quod ille nobis, nec præcepto, nec exemplo dedit„ 2) Sacramentum *Chriſtus* porrexit *Judæ*, poſtquam illum proditorem, ſi non coram omnibus, ſaltem, per Johannem, coram Petro, declaraſſet, ut proin etiam, ſi fortè quibusdam notus peccator, præter voluntatem noſtram, admittendus ſit, ſcrupulum formare debeamus. 3) Hoc fecit *Chriſtus*, *ſed* verbis excepit Judam a bono ſignato, dum objecit illi facinus inſtans, ſed ne hoc quidem nominetenus, ita tamen, ut diſplicentia Chriſti, ratione mox plenius manifeſtandi peccatoris, patuerit; Quomodo, ſi talis peccator, ſine pœnitentia, accedat, & nos eum tamen admittere teneamur, conſcientiam ſalvabimus, ſi modo declaraverimus, quod ſigni particeps indignus ſignatum non

Digitized by Google

non obtineat. 4) Hoc fecit *Chriſtus* in prima inſtitutione S. Cœnæ eo animo, ut eundem, in iſtiusmodi caſu, etiam ſequi liceat diſcipulis. 5) Dedit S. Cœnam reliquis etiam diſcipulis, qui tamen, in ipſa illa menſa, ambitione laboravêre, & vel eo tempore, ubi publicum ambitionis teſtimonium, in contentione de primatu, daturi erant, & quidem 6) contra admonitionem *Chriſti*, jam tertia vice, in idem ambitionis crimen labentibus; Imo 7) cum ſatanas, hac ipſa de cauſa, & propter inſtantem pejorem abnegationem *Chriſti*, ſibi *Petrum* extradendum eſſe, jure quaſi ſuo, contenderet; qua quidem abnegatione non modo prævisâ, ſed etiam clarè prædictâ, *Petrum* tamen non arcuit ab uſu S. Cœnæ, ſed tantum pro eo rogavit, ut, licet eum in hac etiam nocte abnegaturus ſit ore, fides tamen ejus non deficeret. Hæc de reprobis & labentibus piis, ex ipſa inſtitutione S. Cœnæ colligimus. 8) *Paulus* 1. *Cor. cap.* XI. de medio quaſi quodam hominum genere, ita loquitur, ut oſtendat, ſchiſmaticos, vel in proſopolepſian, aut intemperantiam proruentes cœnam equidem non edere, ſi cœnâ utuntur; ſed tamen paſtoribus id vitio non dat, quod fuerint admiſſi: Teſtatur, judicium tales, in ſui perniciem, provocare, quod Corpus Chriſti non diſcernant, quodque indigni ſint; ſuadet, ut quilibet ſe ipſum probet, non vero præcipit, ut paſtor talibus panem conſecratum non præbeat, aut quod, hac ratione, etiam ipſemet paſtor judicium Dei in ſe accerſat, quod tamen certiſſimè feciſſet *Paulus*, ſi, cumprimis illi, qui corruptiones Eccleſiæ mutatas vellent, citra evidens ſalutis periculum, talibus S. Cœnam adminiſtrare non poſſent. Nec ſecus 9) egêre Apoſtoli circa Sacramentum *Baptiſmi*. Si vel indignus erat, modo non evidenter ſcandaloſus, admittebatur ad Sacra, ut omnia *Matth.* XXII, 10. ita Baptiſmum. Baptizabant *Simonem Magum*, qui & antea ſe *magnum quid* dixit, & paulò poſt, licet tum fidem ſimulaverit, venenum cordis retexit. *Act.* VIII, 9. 13. 22. 23. Cumque 10) in moralibus, realis non fuerit, inter Vetus & Novum Teſtamentum, differentia, non etiam inter illius & hujus Sacramenta, nemo tamen è templo, niſi ob peccata elatâ manu commiſſa, & a ſacrificiis excludebatur, quin potius delinquentes, majori cura, ad ſacrificia, & cultus ſacri officia,

etiam externa, impellebantur; Indignos graviter equidem corripuêre Prophetæ, ut vero arceantur à Sacramentis, ſi præputiatos, carne non minus, quam corde, excipias, *Ezech.* XLIV, 7. nusquam injunxêre. Conſiderandum 10) S. *Cœnam* Domini, *nec ventilabrum* eſſe, per quod diſpergendi ſint ab invicem homines, etiam facinoris notâ non infames; *nec* triſte *ſupplicium*, quo exerceantur indigni, *ſed* potius *medicamenti rationem* habere, Ita 11) S. Cœna directè & primariò non eſt inſtituta in ſigillum & teſtimonium ſtatus communicantium, illorumve commendationem *ad alios;* ſed in ſigillum & confirmationem ampliorem ad ipſos, ſi verè credant, ut non alii, ſed ipſi, de communicatione cum corpore & ſanguine Chriſti, ejusque omnibus meritis & beneficiis, certi eſſent. 1. *Cor.* X, 16. conf. *Rom.* IV, 11. Ubi *circumciſio* ſignum dicitur, & *ſigillum* fidei non tam circumciſi apud alios, quam potius *juſtitiæ fidei* pro ipſo. Vid. *Adriani Pauli Exam. Declar. Fidei* c. 14. Hæc omnia vero hac tantum de cauſa urgemus, ne *inde*, per nimium excommunicationis rigorem, nova in conſcientias tyrannis exerceatur, *hinc* vero, ne fideles miniſtri, ſi, per impedimenta objecta, vel à Magiſtratu, vel à cœtu, vel à prava, ſuorum temporum, conſuetudine, quam ſoli tollere nequeunt, ab arcendis pejoribus & facinoroſis impediantur, ſcrupulum inde ſibi forment, ejus, etiam ex Dei Verbo, convicti, quod viſibilis Eccleſia, ad poſtrema usque tempora, *paſcuum* ſit, in quo *lupi* cum *agnis*, *pardi* cum *hœdis* recubant; *Jeſ.* XI, 6. *Area*, *paleæ* non minus quam *frumenti ferax*, *Matth.* III, 12. *domus*, in qua non *aurea* tantum, ſed etiam *lignea* atque *teſtacea vaſa* ſunt. 2. *Tim.* II, 20.

§. XX.

Reſolvuntur objectiones: Quæ objici ſolent, maxima ex parte, eadem ſunt, quæ *Cap.* 1. in materia de *cultus publici neceſſitate*, adduximus atque diluimus. Sic ſpeciatim *objicitur* I) *Iſraëlem refugiſſe communionem eorum, qui extra fœdus antiquum fuêre conſtituti.* Ergo nullam nunc eſſe Iſraëli myſtico communionem, niſi cum illis, qui verè fideles ſunt.

Object. I.

Reſp. Sed *reſp.* a) quoad *internam* communionem concedimus, quoad *externam* vero negamus. b) Non omnes externi Iſraëli-

tæ

tæ erant filii Dei, & cum his communio tamen externa erat. Eſt in Eccleſia populus, quem Deus *præcognovit*, *Rom.* VIII, 29. & populus, quem *judicat. Deut.* XXXII, 36. *Hebr.* X, 20. 26. II) *Paſcha non edendum cum fermento*, ergo Cœnam S. non cum malis. *Reſp.* 1) abſtinendum eſſe à malitia malorum, 2) à malis equidem, ſed non ab Eccleſia, in qua ſunt mali. 3) Malorum nomine proprie venire, qui eminentioris criminis rei ſunt, ut *inceſtuoſus*. Vid. 1. *Corinth.* V, 11. 13. Object. II. Reſp.

§. XXI.

Neque tamen, hac de cauſa, quod multi ſint, juxta præſentem rerum conditionem, ad S. Cœnam admittendi, quos pii miniſtri excluſos vellent, ideo prorſus *diſciplinæ Eccleſiaſticæ haſta* abjicienda eſt, & damnabili ſecuritate torpendum; ſic enim diſciplina Dei non eſſet noſtra, ſic expectaret Deus judicium, & nihil adeſſet, niſi ſcabies. *Jeſ.* V, 7. Sic omitteretur, quod eſſet graviſſimum, judicium. *Matth.* XXIII, 23. Itaque, hisce in circumſtantiis, paſtoris erit 1) in concionibus ἀκαίρως εὐκαίρως inſtare, comminationes divinas peccatoribus ſigillatim applicare cum patientia, ut illorum, in quibus laborat, tarditate atque cunctatione, ad abrumpendam correctionem, nec faſtidio, nec irâ abripiatur, ſed ad omnem aquam, ubi & quamdiu fructus, ulla ratione, ſperari poteſt, ſeminet & ſe ſeminaturum ſibi ſeriò proponat, prorſus ut Medicus, ubi dura inflatio corpori inhæſit, longiori tempore ſua remedia adhibet, ut collectus humor ſenſim, ſine vitæ periculo, diſſolvatur. Ne vero ipſius ſoliùs auctoritas vileſcat, aut labor, ex ſolitudine, defetiſcatur 2) Collegis & ſenioribus id indicabit, ut, in coërcendis iſtiusmodi malis & flagitioſis, ipſi adſint. Si hoc non ſuccedat, 3) etiam, talem inordinatè ambulantem fratrem, pluribus Eccleſiæ membris notabit, ut familiarem ejus conſuetudinem vitent. 2. *Theſſ.* III, 6. 1. *Corinth.* V, 9. 11. 15. Imo 4) preces addere poterit ſuas & aliorum, ut aut convertatur talis, aut, quò ſpiritus ſervetur, per afflictiones corporis, in viam reducatur, 1. *Tim.* I, 20. tandem & talem Magiſtratui, vel per ſeniores, ex omni ordine petitos, indicari curabit, qui & gladium gerit propter malos, & excluſionem Quænam agenda, ſi rerum conditio corrupta eſt.

ſionem iſtiusmodi hominis juſtam & neceſſariam eſſe judicabit, ut ſic corruptioni, cætera latiùs progredienti, fibula imponatur.

§. XXII.

Excommunicatus à paſtore ſolo privatim, in communionem Eccleſiæ, recipi nequit.

Ut vero, in caſibus controverſis, ſtandum eſt auctoritate Eccleſiæ; ita, in ſcandalis evidentibus, paſtori non licebit, talem, omnium conſenſu, excommunicatum, citra notitiam Eccleſiæ, vel ſaltem presbyterii, in communionem Eccleſiæ privatim recipere; manifeſti enim criminis manifeſta iterum, in teſtimonium ſinceræ reſipiſcentiæ, urgenda eſt deteſtatio, coram vel cœtu, vel presbyterio facta. Nec ſufficit, ſi crimen, iſtiusmodi hominis, à Magiſtratu punitum fuerit, quia Magiſtratus injuriam factam civitati ita punit, ejusque reſpectu ſatisfactionem urget, ut juri tertii, impoſitâ vel pœnâ, vel indulgentiâ, nihil præjudicet. Id Scriptura S. clarè decidit. *Levit.* XIX, 20-22. ubi non ſufficiebat, ut, cui res erat cum muliere ſerva, flagris caſtigaretur à Magiſtratu, ſed publice etiam, ad oſtium tabernaculi, arietem, cum confeſſione peccati ſui, offerre tenebatur; conf. *Job.* XXXI, 33. ubi inter ſigna veræ pœnitentiæ refertur, non *tegere peccatum ut homo.* Quodſi vel unum tantum, eumque ex minimis, offendere, tantum peccatum, ut ſcandalum danti præſtet, ſi in mari ſubmergatur; *Matth.* XVIII, 6. quantò gravius ſcandalum erit, quod toti cœtui datum fuit, & quantò majori cura in id elaborandum, ut iterum tota Eccleſia, de ſinceritate pœnitentiæ, convincatur, eſtque id eò mage neceſſarium, quia ceteroquin, & à cœtu, frater etiamnum pro non fratre haberi poſſet, &, ſi forte teſtificatio doloris ne alteri quidem miniſtrorum indicata eſſet, ſcandala publica inde oriantur, ſicuti facile fieri poterit, ut, cum Collegarum alter panem porrexerit, alter calicem neget, id quod tamen imprudentiori zelo tribuendum eſſe *Dunte* judicavit, in *caſibus conſcientiæ*, pag. 574 Sic qui jus habet excludendi, jus etiam habet recipiendi reum, ſed non recipiendi excommunicatum, niſi poſt luculenta pœnitentiæ teſtimonia, eratque olim Ἐξομολόγησις illa, perquam ſolennis, reum humilificandi, diſciplina. Nunc totum opus redit ad deprecationem publicam, ubi tamen iterum variant Sacra. Fit vel in Eccleſia, vel coram Presbyterio

byterio. Debet illa præſtari 1) in delictis atrocibus & notoriis; 2) non per alium, ſed per peccatorem ipſum, 3) non in alio loco, quam ubi delictum commiſſum fuit, niſi ſcandalum cum peccato transiverit, 4) non permutanda eſt in mulctam pecuniariam, vid. *Brunnemann.* Lib. II. de *Jure Eccleſiaſt.* cap. XIX. nec 5) intermittenda, ſaltem penitùs, in caſu fornicationis propter conſequens matrimonium, illud enim non purgat vitia antecedentia; licet, hoc in caſu, uti ſoleant aliqua moderatione.

§. XXIII.

Cum vero, inter Eccleſiæ membra, primum locum obtineat *Magiſtratus*, ejus etiam quædam, *circa hanc diſciplinam*, eſt *poteſtas*, veluti 1) *jus præſcribendi leges*, ad recte adminiſtrandam cenſuram Eccleſiaſticam, ſecundum Verbum Dei; ſi enim ſinguli fideles, vel Eccleſia, paſtorem de officio ſuo monere poteſt *Coloſſ.* IV, 17, quidni & Magiſtratus. 2) Jus *limitandi modum cenſuræ*, cumprimis non præſcriptum in S. Scriptura, ne nimius rigor ſit. 3) Jus *addendi civiles ſanctiones* ad cenſuras Eccleſiæ, & ſic illius arma acuendi, ſicuti factum in legibus *Honorii*, *Cod. Theodoſ.* lege *de Epiſcopis & Clericis.* 4) Jus *addendi majora incommoda*, ubi tamen cautè agendum, nec enim excommunicatio Eccleſiæ ad pœnas civiles pertinet. Ita, ſic dicta, *excommunicatio major*, da man Waſſer und Weyde verſagt, quæque omnia ſocietatis humanæ vincula ſolvit, parentes inter & liberos nexum tollit, atque ſic ad pœnas civiles extenditur, omnino locum habere non debet. Quod enim, per Eccleſiæ beneficium collatum non eſt, id nec per cenſuram Eccleſiæ tolli poteſt. 5) Jus *recipiendi appellationem*, in caſu injuſtæ excommunicationis, ſit vel à paſtoribus & Presbyterio facta. Licet enim appellatio non repellat juſtam cenſuram in effectibus ſpiritualibus, ſuſpendere tamen poterit effectus temporales. Tandem 6) ne progreſſus in infinitum detur, *perſona ſupremi Magiſtratus*, *ab externis effectibus cenſuræ Eccleſiaſticæ*, ſaltem majoris, *libera* eſſe creditur, *tum* quia vis coactiva, externi effectus, ab ipſo derivatur, *tum* quia nemo cæteroquin eſſet, qui de juſtitia illius cenſuræ judicare poſſet, unde, tali in caſu, à miniſtro dicendum eſſet illud *Ivonis*: *Nolo*

Magiſtratus, circa diſciplinam Eccleſiaſticam, poteſtas.

te

Digitized by Google

te fallere, introitum hujus viſibilis Eccleſiæ, periculo tuo, te habere permitto, januam regni cœleſtis, tali reconciliatione, tibi aperire non valeo. Exemplum *Ambroſii* excludentis *Theodoſium*, in communem regulam trahi non poteſt, cum, ſi omnes circumſtantiæ perpenduntur, dubium ſit, cui plus laudis debeatur, num *Ambroſio* repellenti, num *Theodoſio* recedenti? Vid. de his *Spenerus* in *Conſil. Theol. German.* Part. I. c. II. Art. VI. Sect. XXVII. &c.

§. XXIV.

b) Uſus clavium circa res & actiones.

Quemadmodum verò *uſus clavium* non tantum verſatur circa perſonas, quæ, retinendo peccata, ligantur, &, ea remittendo, ſolvuntur *Hoſ.* XIII, 12. *Job.* XIV, 17. ſed & *circa res*; (vid. *Lightfoot* in *Horis Hebr.* ad *Matth.* XVI, 19.) ita qui quaſi clavibus utuntur ad arcendum malos, & occurrendum profanitati, illi easdem etiam adhibent *ad removendam ſuperſtitionem*, quæ, in actionibus ad cultum Dei pertinentibus, nec rectam novit ſpeciem, nec debitam obſervat menſuram, & ad *determinandum res*, vel *actiones* obſervandas, quomodo *ſolutum* dicitur, quod liberè exercetur, *ligatum* vero, quod vetitum eſt. Atque etiam, hac ratione, quædam penes *miniſtros* clavium poteſtas eſt. Paſtores equidem ſententiam judicialem non ferunt, attamen, cum, & in communi vitæ converſatione, *ligent*, declarando, quæ vetita, *ſolvant*, docendo, quæ conceſſa ſunt, hinc *caſuum conſcientiæ reſolutiones* illis negari non poſſunt, quippe quibus & olim, in hujus בינה diſcretionis boni & mali, & ſcientiæ emblema, clavis publice dabatur. Sed cum quondam multi erant Thyrſigeri & pauci Bacchi, hodienum ſint multi Clavigeri & pauci Petri, non ſatis commendari poterit regula *Pauli Epheſ.* V, 15. ut ſcilicet, ſicuti in vita, ita & in judicio, ἀκριβῶς agant, ſed ὡς σοφοί, μὴ ὡς ἄσοφοι. Qua ratione vero media via, inter exceſſum & defectum, & ineunda & ſuadenda ſit, Joach *Langius*, Prof. Halenſis, in Libro, von der Mittel-Straſſe, prolixè docuit. Atque ſic & *in agendis Eccleſiæ*, cumprimis quoad *ceremonias*, datur *uſus clavium*, ubi tamen, quid *paſtorum*, quid *Eccleſiæ*, quid *Magiſtratus* ſit, diſtinctè conſiderandum erit.

§. XXV.

§. XXV.

Ceremonias, dicimus, *modificationes certas cultus externi*, ſive *Actiones externas* & *ſolennes in ſacris publicis*, ad Ἐυταξίαν, *Ordinem* & *decorem* inſtitutas, in quibus *particulares*, *temporis*, *loci*, *formæ* & *ordinis conventuum Eccleſiaſticorum*, *determinationes* habentur. Circa hos ritus & ceremonias eſt & aliqua *paſtorum poteſtas*. Ita videmus *Paulum*, etiam hac de re, *Titum* in *Creta* reliquiſſe, ut omnia ordinet, quò ſe rectè habeant. *Tit.* I, 5. Eorum proinde in genere erit, curare ut adſint, in cultu publico, quæ ædificationi inſerviunt, abſit autem omnis ἀταξία aut indigentia ἀντιλήψεως ſive *opitulationis*, ut tanto melius coagmententur omnes in unum, donec omnes perveniant ad unitatem fidei, & cognitionis Filii Dei, *Epheſ.* IV, 13. Sic poteſtas illis eſt conceſſa, in ſpecie, 1) reſiſtendi omni inordinatè agenti, vel ordinem publice turbanti, per correptionem & redargutionem, tum privatam, tum publicam, 2) non conſentiendi in ullum factum indecens, & confuſionem pariens, v. gr. ſi plures ſimul, in cœtu publico, loqui vellent, 1. *Corinth.* XIV. ſi publice docere vellent, qui ad miniſterium nec vocati, nec apti ſunt, ſi fœminæ in cœtu loqui vellent; 1. *Tim.* II, 12. 3) docendi ea, quæ, de ritibus publicis, Chriſtus mandavit, & faciendi illa, quæ Chriſtus per miniſtros ſuos præſtari voluit in Eccleſia, v. gr. baptizandi non tantum quemlibet fidelem, ſed etiam gentes, & infantes cum fidelibus. *Matth.* XXVIII, 18. *Act.* II. Panem frangendi in S. Cœna, 1. *Corinth.* X. & XI. quippe in quo ritu *Paulus* tradidit, quæ à Domino accepit; Baptizandi actum nulli concedendi, quam qui & publicè docendi jus habet. Eſt & illis, 4) ſi à Magiſtratu id deſideratur, poteſtas conſulendi, quæ, pro ratione temporis, loci & modi, ad ædificationem publicam faciant. Sicuti enim, in cauſis ſecularibus, ſicubi leges ferendæ ſunt, Princeps meritò Conſiliarios adhibet, ut, collatione facta, apertius conſtet, quousque leges admitti, & Reipublicæ ſalutares eſſe poſſint; ita in cauſis Eccleſiaſticis, prudenter audiuntur Theologi, ne quid forte ſtatuatur, quod ſcandalum ex ſe pariat, quodque uſui cœtus inconveniens ſit & adverſum, agnoſcentibus id quoque JCtis, qui

c) Circa ritus & ceremonias, ubi quædam poteſtas eſt paſtorum.

Digitized by Google

qui de Jure Magiſtratus circa ſacra ſcripſerunt. Vid. *Ziegler de Jure Majeſt.* Lib. I. C. XVII. §. 1. *Brunnemann Juris Eccleſiaſt.* Lib. I. Cap. II. §. 28. Sed & hic meritò ſubſiſtit paſtor, nec enim ejus determinatio ſola Eccleſiam obligat. Non virtute *Materiæ*, quia ritus, à ſacra ſcriptura non determinati, ad *Adiaphora* pertinent, quorum determinatio penes Magiſtratum eſt. Non reſpectu *Perſonarum*, quia penes paſtores nulla Legislativa poteſtas eſt; nec illi denuo ſunt, ut in V. T., Patres Carnis, qui, pro ſuo arbitrio, quid agere poſſunt. Unde, ſi quid, in externis, è re ſuorum eſſe judicaret paſtor, (ſit exemplo, bonus ille & fructuoſus *Confirmationis ritus*, per ordinationes Eccleſiaſticas non introductus, quemque introductum vellet) operæ pretium erit, ut, ſi Magiſtratus membrum etiam Eccleſiæ ſit, cum Magiſtratu, vel, ſi non ſit, ſaltem cum Senioribus & Capitibus Familiarum, hac de re communicet, rationes ſui inſtituti (quas, pro dicto ſaltem ritu, in compendio exhibuit Doctiſſ. *Andreæ in Diſſert. de Ritu confirmationis*) & in promtu habeat, & ſuis commendet. Si æquitatem rei agnoſcant, ritum introducere poterit, ad minimum ſenſim, & ſine motu, rogando cœtum, non imperando. Si, majori Parti, ritus ille ſeſe nondum commendet, exſpectandum erit, donec occaſio alia accedat; ſaltem ex proprio arbitrio nihil, in cœtu, ſolus inſtituet, memor ejus, quod nec Dominus fidei membrorum ſit, nec claves Eccleſiæ illi ſoli conceſſæ, quodque nemini liceat alteri laqueum injicere, id quod fit, quando pro neceſſario habetur, quod eſt indifferens. Quanta incommoda, quæ turbæ oriri poſſint, ſi, vel in ceremoniis, paſtor pro arbitrio agit, videri poterit apud *Spenerum in Conſil. Theol. German.* Part. I. Cap. II. Artic. IV. Sect. 26. 27. & 28.

§. XXVI.

Quædam Eccleſiæ. Major autem & *directiva poteſtas*, circa Ceremonias & ſimilia, competit *Eccleſiæ* toti, vel Conventui paſtorum, & Seniorum ejusdem regionis; ſicut enim omnibus Societatibus connatum eſt, conſtituere quæ ad communitatis bonum pertinent, teſte *Grotio in Annot. ad Conſultat. Caſſandri artic.* 15.; ita id

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ, Societati nobiliſſimæ, negari nequit, maximè cum Chriſtus illis, qui in ejus nomine conveniunt, ad conſiderandum quæ ad ædificationem faciunt, fuerint vel duo vel tres tantum, gratioſam ſuam præſentiam promiſerit, unde, ad iſtiusmodi occupationes, convenientes Apoſtoli, Seniores & Fratres, teſtari poterant, *placuiſſe*, factas determinationes, & *ipſis*, & *Spiritui S. Actor.* XV, 28. Hinc &, ab initio Eccleſiæ, per iſtiusmodi Conventus Eccleſiaſticos, congregatis in unum, maximè prioribus temporibus, Epiſcopis, Senioribus & populo, ritus, de Cultu publico & vitæ ratione, fuere conſtituti, quibus, cum primis à ſeculo IV. nomen *Canonum* impoſitum fuit, quia vitæ, & agendorum in ſacris regulas continuêre, quales & abhinc, maximè inde à *Concilio Ancyrano* Anni 414. in *Corpus Canonum* relatæ fuêre, quibus, progreſſu temporis, auctoritas Legum & *Juris* tribuebatur, re tamen ſenſim ultra limites progrediente, exorto hinc *Jure Canonico*, cui parem, Pontifices Romani, vim cum Corpore Juris Civilis attribuêre, uti videri poteſt ex *Gerb.* van *Maſtricht Hiſt. Juris Eccleſiaſt.* Quamvis interim *Eccleſiæ* nulla *poteſtas* coactiva, ſed tantum *directiva*, auctoritas *ſuadendi*, *non* poteſtas *jubendi*, competat, habent tamen ejusmodi Canones, ab integra Eccleſia conſtituti, haud levem obligandi vim. Nituntur illi *Jure* quaſi *Contractûs* cujusdam, quia quilibet ſe in Eccleſiam confert, quæ hiſce Legibus Sacra ſua conſtituit, unde etiam, iſtiusmodi ordinem turbans, ab illa Societate excludi poteſt, vel potius, ſcandalum quoddam excitans, ſemet ipſum excludit. Si quis igitur ad iſtiusmodi Eccleſiam veniat, quæ ritus ſuſcepit, ab inſtitutis ſuæ Eccleſiæ diverſos, modo non ſint irrationales, ſuperſtitioſi, & Verbo Dei contrarii, illis ſeſe ſubmittere poterit. Sic, ſi *Germanus* quis in *Angliam* veniret, ubi, tum ratione Miniſterii, tum reſpectu rituum, notabilis eſt, ab inſtitutis Eccleſiarum noſtrarum, differentia, ſalvâ tamen ille conſcientiâ hiſce etiam Sacris adeſſe poteſt, quia, cum nihil, de Ritibus hiſce, determinatum ſit in Scriptura S. Eccleſiæ illi jus fuit, quædam ex anterioribus retinendi, modo ritus illi non tanquam Divini, quâ conſcientiam obligent, commendentur, à quâ Tyrannide An-

glicanam Eccleſiam alienam eſſe, *Sanderſon*, in Concionibus ſuis, pluresque alii demonſtrârunt. Neque tamen etiam nimis ceremoniarum obſervationi inſiſtendum eſt, quod, ſuo jam tempore, improbavit AUGUSTINUS Epiſt. 119. *Multa, quæ in Divinis Libris ſaluberrima præcepta ſunt, minùs curantur, &, tam multis præſumtionibus, ſic plena ſunt omnia, ut graviùs corripiatur, qui, per octavas ſuas, Terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem vinolentia ſepelierit.* Vid. de hoc argumento, præter laudatum *Auguſtinum Epiſt.* 118. & 119. ex noſtris, *Henr. Altingius, in Exegeſi Confeſſ. Auguſt.* pag 258. ſeqq. &, ex Lutheranis, *Meisner in Collegio Adiaphoriſtico.*

§. XXVII.

Maxima vero Magiſtratus.

Architectonica autem, rituum ordinandorum, *poteſtas penes Magiſtratum* civilem *ſolum* eſt, utpote cujus eſt poteſtas in id omne, quod Verbo Dei determinatum non fuit. Huic, ceu nutricio Eccleſiæ, ea etiam cura incumbit, ut, ſicuti in toto Regno, ita cumprimis in Cultu DEI omnia ordine fiant, & decenter. Hinc non modo, ſub Oeconomia V. T. *Reges Iſraëlis*, veluti *David*, qui Cantorum claſſes inſtituit, Eccleſiæ Sacra ordinârunt, ſed &, ex quo *Eccleſia Chriſtiana Reges* habuit, Reges *Epiſcopi τῶν ἐκτὸς in externis* fuêre. Vid. *Euſeb. in vita Conſtantini M.* Lib IV. Cap. 24. Sic, de Fide Catholica, de Epiſcopis, Clericis & aliis Sacris, quam plurimæ Leges extant in *Codice Theodoſiano*, in *Novellis* e. g. 136. Cap. VI. ubi dicitur, *Canonem Baptiſmi S. & S. Cœnæ clara voce pronuntiandum eſſe, ut à populo exaudiatur.* Talia, quoad Reges ætatis mediæ, occurrunt in *Capitulariis Regum Francorum*, & de noſtris id conſtat ex ordinationibus noſtris Eccleſiaſticis. Vid. de hoc articulo *M. Anton. de Dominis de Republ. Eccleſiaſt.* Lib. VI. Cap. VI. *Grotius de Imperio ſummarum poteſt. circa Sacra* c. 3. *Voſſius de Juribus Majeſt. in Rebus Eccleſiæ.* Atque hæc Sacra externa *Principes Proteſtantes* curant duplici *Jure*, ſcilicet & proprio atque *Territoriali*, & *Fiduciario*; cum enim, inde à Reformatione, per tractatus Religioſos, Epiſcoporum Juriſdictio ſuſpenſa ſit inter Evangelicos, Epiſcopos ipſi Principes agunt in ſuis Terris, &,

ex

ex hoc Jure, Sacra ordinant, Conſiſtoria conſtituunt, Legesque conſcribunt. Cumque Terræ Proteſtantium, varia ratione, iterum in poteſtatem Principum Catholicorum veniant, quædam, hujus Juris Fiduciarii, actiones, ſub illis, Conſiſtoriis competunt, quorum Jura, ſub talibus Principibus, egregiè explicuit *Weberus* in tractatu *de Jure Conſiſtoriorum*, quem *Abasv. Fritſchius* in *Jure ſuo Eccleſiaſt.* recudi curavit.

§. XXVIII.

Quia tamen *Magiſtratui nulla poteſtas* competit *in Religionem, in ſe ipſa conſideratam*, nullam etiam habet internam & formalem facultatem rerum Eccleſiaſticarum, v. g. Functiones Eccleſiaſticas ipſas peragendi, nec independentem prorſus auctoritatem, etiam quoad generalia, ideo & in ordinandis ritibus 1) abſtinebit à revocandis vel abolendis ritibus, quos *Chriſtus* & *Apoſtoli* tradiderunt, quomodo, nullo Imperio Humano, populo Calix S. Cœnæ auferri poterit, nec Mulieribus permitti in Eccleſia loqui. 2) Non tales præcipiet ritus, qui vel *Cultum* ipſum, vel partem cultus, *in conſcientia* conſtituant, quod erat peccatum Jeroboami, & eſſet laqueum imponere fidelibus. 3) In materiis indeterminatis etiam, ita tamen actiones determinabit, ut conveniant regulis generalibus, in Verbo DEI poſitis. Item 4) ut conveniant cum genio N. T. & exemplo primitivæ Eccleſiæ. A ſuperfluis ritibus, ut cum *Stryckio* Juniore, de *Jure Sabbath.* Cap. IV. loquamur, omnino abſtinendum. Nulli ritus tolerandi, qui non tendunt ad emendationem. Ritibus utendum pauciſſimis. In ritibus ſimplicitas placeat. Ritibus ſalva libertate utendum. Ad evitandam ſuperſtitionem etiam boni quandoque ritus tollendi. Sic per ritus nimios Judaiſmus reintroduceretur. Si nimiùm homines in externis occupantur, Cultus DEI, in Spiritu & Veritate, peribit. In hoc mandatorum genere graviſſimè peccavit CONSTANTIUS *Arianus*, qui, ſecundum *Ammianum Marcellinum*, Religionem Chriſtianam, *rem ſimplicem & abſolutam, anili ſuperſtitione perfudit.* Atque hoc nævo laborare Eccleſiam Romanam, agnoſcunt *Eraſmus* in

Attamen etiam reſtricta.

Cap. XI. *Matth.* *Caſſander in Conſult. ad art.* 7. *Auguſt. Confeſſ. Wicelius in via regia de Conſtitutionibus humanis.* Sic & 5) Magiſtratus cavebit, ne Ceremonias univerſales, quæque Eccleſiæ ſui regni, cum reliquis ejusdem Confeſſionis, communes ſunt, facile mutet, nec eas etiam, quibus cultus, in Terris ſuis, vel inſtitui, vel reformari cœpit; quia vulgus, cum maximè in externis hærens, tali mutatione ipſi religioni vim fieri judicabit, & quandoque, quamvis malè, ad turbas progreditur, id quod, magno ſuo damno, *Carolus I.* in Anglia expertus eſt, cum *Scotiæ*, à primis temporibus ad libertatem vocatæ, *Hierarchicos*, Eccleſiæ Anglicanæ, *ritus* imponere voluit, ſicque populo, qui tamen graviſſimè peccavit, coëundi & ſeditionem excitandi anſam dedit. Hac de cauſa *Eccleſia Tigurina* panem *azymum*, in S. Cœna, hodienum retinet, de quo argumento videri meretur *Wolffius in Diſſert. de pane azymo.* Tandem & 6) Magiſtratus, ſi fortè quidam, ex conſcientiæ ſcrupulo, circa iſtiusmodi ritus diſſentiant, cum illis non rigidè aget, id quod pluribus *Reges Angliæ* & *Parlamentum*, ſic dictum, inde ex quo, initio Seculi ſuperioris, *Non-Conformiſtæ* in Anglia prodière, ipſa praxi ſua probarunt; ſicut, ex oppoſito, Eccleſiam deſerere malle, quam, in Adiaphoris, arbitrio Principis cedere, injuſtum & inconveniens eſſe, *Brunnemannus* evicit in *Jure Eccleſiaſt.* pag. 84. ſcil. quia Adiaphora, non obſtante libertate Chriſtianâ, præcipi poſſint à Magiſtratu, manet enim ſemper libertas judicii, licet reſtringatur libertatis exercitium, cumque, in caſu ſcandali & contemtus, exercitium libertatis ſuſpendi debeat 1 *Corinth.* VIII, 9. ſeqq. quid æquiùs, quam ut etiam ſuſpendatur ad mandatum illius, cui, in indeterminatis, mandandi poteſtas à Deo conceſſa eſt.

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Vocatione ad Miniſterium Sacrum.

Σύνοψις.

Ad *opus miniſterii* requiritur *legitima vocatio.* §. I. II. *Jus vocandi ſummum* ſolius Dei eſt. § III. Cujus *vocatio* alia *extraordinaria* & *immediata*, alia *ordinaria* & *mediata*, eaque vel *generalis* vel *ſpecialis* eſt. §. IV. Ordinaria *generalis criteria.* §. V. *Abſentia* illius *indicia.* §. VI. An generaliter vocatus miniſterium ſpeciale deſiderare poſſit? §. VII. Ordinaria *ſpecialis* quomodo *neceſſaria* & *divina.* §. VIII - XII. *Jus vocandi*, ſub Chriſto Domino, competit *Eccleſiæ.* §. XIII. Quæ illud exercet א) per *Magiſtratum.* §. XIV. Unde *jus patronatus*, §. XV. ב) per *Miniſterium*, §. XVI. ג) per ſuffragium *populi*, §. XVII. accedit aſſenſus ipſius vocati. §. XVIII. Sequitur *examen.* §. XIX. XX. *Ordinatio.* §. XXI. Etiam *ſubſcriptio confeſſionis fidei.* §. XXII. Denique agitur de *translationibus* paſtorum. §. XXIII - fin.

§. I.

Ad opus miniſterii requiritur.

N*Ulli licet ordinariè peragere opus miniſterii, niſi ſtet in miniſterii officio.* Eſt enim 1) opus miniſterii, à mutua fidelium exhortatione, parentum & præceptorum domeſtica informatione, diſtinctum, quippe quod, præter conſtantem & univerſalem animarum curam, præconium Verbi, & adminiſtrationem Sacramentorum, in Congregatione Fidelium publica, tum cum omni auctoritate 1. *Theſſ.* V, 12. *Tit.* II, 15. tum vice & loco Chriſti 2. *Corinth.* V, 20. *Luc.* X, 16. poſtulat. 2) Unicuique ambulandum eſt ſecundum vocationem ſuam, adeoque etiam Miniſtris. Hinc Deus, ut Deus ordinis, ad opus miniſterii certas perſonas & ipſemet ſeparavit *Rom.* I, 1. *Epheſ.* IV, 11, & ſuos ſeparare juſſit 2. *Timoth.* II, 2. Ad quid autem illud? Si unicuique fas eſſet, modo etiam ordinario, opus miniſterii per-

Digitized by Google

peragere. 3) Puniebantur qui extra canonem verſabantur, fuerint vel viri principes 1. *Samuel.* XIII, 8. 9. ſeqq. 1. *Chron.* XIV. (XIII.) 9. 10. confer quæ dicta ſunt *Cap* I. *De neceſſitate miniſterii Sacri.*

§. II.

Legitima vocatio.

Nullus autem ſibi miniſterii officium tribuet, ſine legitima vocatione ad illud. 1) Qualis enim relatio fidei ad verbum, præconii ad fidem, talis etiam eſt miſſionis ad præconium *Rom.* X, 14. 15. ubi *Paulus* hæc per interrogationes proponit, ut propoſitio tanto altius mentem penetret, atque indicet moraliter quaſi impoſſibile eſſe, cum fructu, verbum prædicare absque miſſione. Non dicit Apoſtolus: *quomodo prædicabunt*, qui non habent dona, ſed *qui non ſunt miſſi*, atque ſic indicat, quod dona etiam, ſine miſſione, miniſtrum non conſtituant; Atque hinc ſimul concludi poteſt, quod hoc per omne tempus N. T. valeat, & de ordinario miniſterio etiam intelligi debeat. Aut enim nunc non eſt fides, aut non tantum extraordinarium miniſterium eſt, de quo hic agitur. Sine miſſione quis poterit eſſe prædo, non præco. *Excipitur* equidem *primò*; hic non *reſpici* ad ordinationem, ſed *ad miſſionem à plebe*, ſufficere ſi populus aliquem ſeligat; ſed fruſtra: miſſio eſt ad plebem, non à plebe. Urgent *ſecundò*; ſufficere *miſſionem providentialem*, quâ caſu ſuppeditatur ad præconium occaſio, ſed *Reſp.* α) Hæc peti ex *Jeſai.* LII, 7. 8. ubi de *vigilibus*, ad id *ſegregatis*, ſermo eſt. β) Sic & mulieres, hoc modo providentiali, loquendi jus habere, & etiam prædones miſſi eſſe poſſent. γ) *Rom.* X, 16. 21. corripiuntur qui non audiunt, ſed non audire non miſſos, non nævus eſt ſed virtus *Joh.* X, 5. 8. 2) Quia *nemo ſibi ſumit*, id-eſt, ſumere debet vid. *Geneſ.* XX, 9. *Levit.* X, 12. 13. *Honorem* ſacerdotii, niſi vocatus à Deo; ne ipſe quidem Chriſtus *Hebr.* V, 4. 5. *Joh.* VIII, 54. Epiſcopatus autem & honor, non onus, eſt 1. *Timoth.* III, 1. & ſacerdotali par. *Malach.* II, 7. illuſtratur hoc exemplo *Aharonis*, & reliquorum ſacerdotum. *Exod.* XXVIII, 1. 2. *Chron.* XXIX, 11. *Core* exemplum meritò terreat non vocatos, cumprimis nunc in miniſterio Spiritus

2. *Corinth.*

Digitized by Google

2. *Corinth.* III. conf. 2. *Corinth* V, 20. 1. *Corinth.* III, 9. *Luc.* XII, 42. *Job* X, 1. 2. 3. 3) Quia Sacra Scriptura dona atque vocationem & diſtinguit, & ad agendum conjungit. Quando Chriſtus Apoſtolos miſit, ſicut ipſum Pater, tum etiam, diſtincto tamen opere, Spiritum ipſis inſufflavit. *Joh.* XX, 21 22. uti, è contrario, *Jeſaiæ*, quà typi Apoſtolorum, *labia* primùm igne Spiritus purgata, & poſtea eundem miſit. *Jeſai.* VI, 6. 7. 9. confer *Jerem.* I, 5. 9. 2. *Corinth.* V, 18. 4) Eadem Scriptura diſertè præcipit, hoc munus certis, nec niſi idoneis, committendum eſſe, confer. 1. *Timoth.* III, 2. 3. IV, 14. 2. *Timoth.* II, 2. tales ordinandos eſſe, & quidem per impoſitionem manuum, quæ inter fundamenta religionis ponitur *Hebr.* VI, 2. atque non citò ad tale opus progrediendum eſſe 1. *Timoth.* IV, 14. Hæcque mandata *Paulus*, ad adventum usque Chriſti, ſervanda eſſe præcipit. 1. *Timoth.* VI, 14. coll. Cap. V, 7. 21. 5) Quia ordinarium miniſterium, in S. Literis, optimum medium habetur, præveniendi periculoſis erroribus. *Actor.* XX, 28. 29. 1. *Timoth.* I, 3. 4. ſicuti, è contrario, vaga hodienum, quoslibet audiendi, licentia docet, quam facile, ſub tali occaſione, per iſtiusmodi homines, qui ſine miſſione currunt. *Jerem.* XXIII, 21. errores ſpargantur.

Objicitur equidem, contra hanc vocationis neceſſitatem, quod *omnes* poſſint *Prophetari.* 1. *Corinth.* XIV, 31. Sed id intelligendum eſt de omnibus Prophetis ℣. 29. & obſervandum, quod ibidem agatur tum de munere, tum de opere extraordinario. *Nec obſtat*, quod Apoſtolus *donum* illud Prophetiæ *deſiderabile* dixerit, nam & hoc de extraordinario dono locum habet ℣. 12. 2. *Reg.* II, 9. *Non* obſtat etiam, quod agatur de Prophetia *ad ædificationem* faciente ℣. 12. nam & talis fuit extraordinaria 1. *Corinth.* XII, 7. *Epheſ.* IV, 11-13. *Non*, quod de *ſermone mulierum*, in Eccleſia, mentio fiat; illarum enim Prophetiæ etiam in canticis extraordinariis conſiſtere ſolebant. *Actor.* XXI, 9. Certiſſimum ſaltem eſt, quod, qui dona tantum ſine miſſione habuêre, maximè poſt primam Eccleſiarum conſtitutionem, vel tum non publicè docuerint. Ita *Aquila* & *Priſcilla* donis eminebant, plus quam vocatus *Apollo*, & hic tamen tan- Obj. Reſp.

Digitized by Google

tum publicè docebat, illi autem eum, ſaltem privatim, de docendis informabant. Vid. *Actor.* XVIII, 24-26. conf. *Phil.* IV, 3.

§. III.

Jus ſummum vocandi Miniſtros ſolius Dei eſt.

Jus ſummum, & Αὐτοκρατορικὸν *vocandi Miniſtros ſolius Dei eſt.* Ille ſolus eſt *Meſſis Dominus*; *Miniſtri* omnes ejus *Legati* ſunt. Solus etiam ipſe omnes idoneos reddit 2. *Corinth.* III, 6. atque hoc tanto magis illi ſoli attribuatur, ſingulis S. Trinitatis perſonis adſcribitur, *Patri* 1. *Corinth.* XII, 28. *Filio Epheſ.* IV, 11. *Spiritui S. Actor.* XX, 28.

§. IV.

Vocatio divina alia immediata & extraordinaria.

Ille vero quosdam extra ordinem, & immediatè vocat, alios modo ordinario & mediatè. Illa vocatio *vel* cum miraculis, *vel* cum indiciis, quae miraculis erant paria, luculenter conjuncta fuit. *Matth.* X, 1. 2. *Corinth.* XI. & verbo reſpondit per omnia, quidquid ita vocatus tradidit. Talem autem, poſt Apoſtolorum tempora, exſpectandam eſſe, nec promiſſum nec mandatum eſt. E contrario evidens eſt, quod ipſi Apoſtoli ſucceſſores ſuos modo ordinario, & per homines vel vocaverint, vel vocari curaverint *Tit.* I, 5. ſeqq. 1. *Timoth.* I, 3. 4. atque hunc vocandi modum, ad apparitionem usque Chriſti duraturum dixerint. 1. *Tim.* IV, 14. 15. V, 21. 22. VI, 14. *Matth.* XXVIII, 20.

Alia ordinaria & mediata, eaque duplex.

Haec vero, ſcil. ordinaria vocatio, *vel generalis* eſt, ad officium miniſterii in genere, *vel ſpecialis*, ad hujus vel illius Eccleſiae miniſterium.

§. V.

Ordinariae generalis criteria.

Cum non omnium ſit velle paſtores agere *Jac.* III, 1. non omnes etiam admittat Chriſtus *Matth.* VIII, 19. ſeqq. *Luc.* IX, 57. ſeqq. cum, quos admittit, eligat, etiam certis indiciis maturè diſtinguat; hinc, ante omnia, *de generali vocatione certus quis ſit neceſſe eſt*; quia, ſicuti vocati ſumus, dein in ſpecie ambulandum erit. Ubi tamen in genere monendum erit, quod facilius determinari queat, quinam *non*, vel ſaltem *nondum*, ad miniſterium Dei, *vocati ſint*, quam *quibus* illa *vocatio* divina *contigit*,

1. Dan-

Digitized by Google

Dantur tamen & hujus *indicia* atque criteria, tum *generalia*, tum *ſpecialia*, quæ non facile fallunt. Talia ſunt.

א) *Pia parentum deſtinatio*; ſi quis, à piis parentibus, ſancta intentione, Deo & miniſterio ejus conſecratus eſt, ſicuti *Samuel*, quem Mater voto primùm Deo conſecraverat, & deinde etiam, cum puer erat, etiamnum creſcebat, & quaſi in proceritatem ſe excutiebat, (quæ emphaſis vocis נער eſt) poſt ablactationem, DEO dederat 1. *Sam.* I, 11. 22. 23. 24. Unde, in tranſitu, *Anabaptiſtæ* refutari poſſunt, qui nolunt infantiam Deo, per Baptiſmum, ſanctificandam eſſe.

ב) *Sancta Filii*, maximè adulti, *propenſio*; ſi, in ipſa pueritia, & juventute quædam, ad hoc officium, præluſiones & incitamenta cernuntur. E. g. ſi videmus, juvenem ad pietatis ſtudium, precum exercitia, Divini Verbi auditum, lectionem, meditationem propenſum, ab hominum improborum & profanorum commerciis alienum eſſe: ſi, quæ in templis fiunt, attentè conſiderat, ceremonias, quas ibi vidit, domi repræſentat, cumprimis conciones, quas audivit, memoria feliciter tenet, diligenter repetit: ſi de elementis doctrinæ diſſerentes libenter audit, minus intellecta ut ipſi explicentur, frequenter petit &c. tum ex ſemente hac felicem meſſem augurari licet. Sic *Paulus* profecit, cognitione & praxi, à pueris præ æqualibus *Gal.* I, 14. Sic *Timotheus* à puero Sacras Literas novit 2. *Timoth.* III, 15. Sic *Auguſtinus* occulta & incomprehenſibili vi, in juventute, ad S. Librorum lectionem abreptus fuit. Vid. *Confeſſ.* Lib. V. & VI. *Origenes*, propria ſponte, in prima infantia, Sacram Scripturam quotidie legit, ex ea multa memoriter recitavit, & perplexa à parente ſibi enodari jugiter petiit. Vid. *Euſeb. Hiſt. Eccleſ.* Lib. VI. Cap. II. & *Athanaſius*, cum pueris luſitans, jam puer, Confeſſiones ſuſcipiendo, & poſtea illos baptizando, Epiſcopi munus obiit. *Euſeb.* ibid. Lib. X. Cap. XIV.

ג) *Conceſſa ingenii, judicii, memoriæ, eloquii dona, cum vitæ ſanctiore converſatione conjuncta*, in quibus, cumprimis poſt deſtinationem & educationem, maximè ratio habenda eſt donorum 1. *Corinth.* VII, 17. Scilicet a) ſi maturè morum gravitas quædam elucet, & ſi, cum ætate, ut judicium ita pietatis & Cul-

tus Divini amor creſcit. Si, dum in ſcholis & academiis præparatur, realis ſtudiorum uſus cernitur, nempe is, quo primò corrigitur ipſe, & impellitur ad omnia eò dirigendum, ut faciat ad gloriam Dei, & ſalutem proximi, adeoque vita, quæ eum reddit ἀνεπίληπτον 1. *Timoth.* III, 2. b) Si, ad rectum vitæ tramitem, ipſum quaſi divinæ vocationis ſemen, *dona* ſcilicet tum *naturæ*, tum *gratiæ* apparent; Inde *ingenium bonum*, ad myſteria ſalutis percipienda, *judicium rectum*, ad bonum, verum, & utile, à malo, falſo & inutili diſcernendum, *memoria*, ad retinendum neceſſaria, *firma* & conſtans, *eloquium clarum* & perſpicuum, ea etiam *corporis ſpecies*, conditio, ſanitas & activitas, ut ſine ſcandalo, aut impedimento alio, munere ſuo fungi queat; Hinc vero *cognitio ſalutaris*, *fides ſincera*, ex qua agendum eſt, *Fructus Spiritus*, qui, cum illa, potiſſimum cœtui commendandi ſunt, *Galat.* V, 22. *Manſuetudo*, ad ferendum defectus in erudiendis, *Fortitudo*, ad excutiendum metum hominum, eaque dona, de quibus *Tit.* II, 7. 8. ſermo eſt. c) Si ad hæc omnia, quod *Chriſtus* in *Petro* deſideravit, accedit *ſincera charitas erga Chriſtum & Fratres*, exſtimulans homines ad promovendum *illius* regnum, *horum* autem ſalutem; ſerium quoque &, poſt perſpectos miniſterii labores, conſtans, ex hac charitate fluens, *mentis propoſitum Deo*, in Eccleſia, *ſerviendi*, *inde* quidem liberum à cupiditate vel emolumentorum 1. *Petr.* V, 2. (Verlangen eines gemächlichen Lebens) vel honorum hujus mundi, & vana ingenii, eruditionis, memoriæ & eloquii oſtentatione, qua vel populi vel potentiorum applauſus quæratur *Galat.* I, 10. *hinc* vero conjunctum cum intentione *tum curandi*, ut dona non ſint אש עצור *ignis incluſus*, ſed orando, legendo, meditando, cum prudentia atque zelo, exſufflatus 2. *Corinth.* IV, 1. *tum* patienter ferendi incommoda, quæ, à fidei & pietatis hoſtibus, excitantur *Actor.* IX, 16. *Luc.* XII, 3. *Jerem.* XX, 2.

Interim de donis hiſce obſervamus: 1) abſque omnibus illis nullam eſſe vocationem. Quos Chriſtus miſit, illis etiam Spiritum inſufflavit. *Joh.* XX, 22. A quo ſunt διαιρέσεις τῶν διακονιῶν, ab eo etiam ſunt διαιρέσεις τῶν χαρισμάτων, à quo eſt

Δια-

διακονία τῦ πνεύματος, ab eo etiam eſt φανέρωσις τῦ πνεύματος πρὸς τὸ συμφέρον 1. *Corinth.* XII, 4-11. 2) Collationem eſſe inſtituendam, inter ea dona quæ adſunt, & quæ etiamnum abſunt, ut juſtum de aptitudine formari queat judicium. 3) Præſtat autem, ſi judicium hoc, de donis hiſce, aliis, ſed piis & probatis, relinquatur, Deus enim, vel melioribus, dona ſua occultat, ut humiles ſint. 4) Conſiderandum eſſe, quod hodie, dum eruditio exundaverit ad luxuriam ingeniorum, & infinita propemodum controverſiarum copia producta ſit, mediocris donorum menſura, ad capacitatem neceſſariam, atque ad ſignum divinæ vocationis, vix & ne vix quidem ſufficiat, niſi tanto majore pietatis ardore, atque zelo compenſetur.

§ VI.

Non eſt, autem *Vocatio Divina*, aut ſaltem, potiſſimum reſpectu Miniſtri ipſius, *non ſalutaris*, 1) *Si* is *non* verè ſit *Regenitus*, atque etiamnum Baccho & Vacunæ litet; aut ſi tantum civilis, ad ſummum, honeſtatis & converſationis ſibi conſcius ſit, dum verâ interim fide atque Charitate deſtituitur. Quomodo enim alienas ſibi credat à Deo commiſſas eſſe animas, qui ſuam non poteſt cuſtodire? vid. *Epheſ.* V, 18. 1. *Tim.* IV, 12. *Tit.* I, 5-9, 2) *Non* eſt *vocatio* interna, *ſi* mediocris equidem adſit facultas ad officium, & prompta etiam aliqualis voluntas, ſed quæ non á Charitate Dei, Chriſti & Eccleſiæ, verum *ab externis cauſis bonorum, & commodorum regitur.* Wann man von ſeinem Studio Theologico, und Predig-Amt ſeine Fortun ſuchet, oder machen will. Perverſo ejusmodi ſcopo non adeſt Deus. Talis ſemetipſum & ſua, non Chriſtum quærit. *Gal.* I, 10. 1. *Petr.* V, 2. 3) *Non*, *ubi* dona omnia *dona tantum* ſunt *naturæ*, *nulla gratiæ*, quæ tamen omnino neceſſaria in illis, qui διδακτοὶ πνεύματος ἁγίυ 1. *Corinth.* II, 13. & ſpirituales eſſe volunt & audiunt 1. *Corinth.* XIV, 37. Veriſſime *Calvinus* in 2. *Corinth* X, 4. ait: *Quicunque exarmatus eſt virtute Spiritus S. utcunque miniſtrum Chriſti ſe jactet, non tamen probabit ſe talem eſſe.* 4) Ita vix & ne vix quidem is etiam divinitùs vocabitur ad

Indicia abſentiæ illius.

Miniſterium, *qui enorme aliquod crimen commiſit*, quod ipſum in foro civili, infamem reddit, e. g. homicidium, adulterium &c. licet poſtea etiam, ſeriâ pœnitentiâ, contractam labem eluat, quia *vacet reprehenſione* Epiſcopus opus eſt 1. *Tim.* III, 2. Eccleſia, ſaltem apud illos qui foris ſunt, promotione talis, vix contemtum evitare poterit, & á ſcandaloſis priſtinum ſcelus illi objicietur. Qua de cauſa, & qui vel nec opinanter, vel fortuitò in iſtiusmodi caſus incidêre, vel depoſiti fuerunt, vel ipſimet á Miniſterio deſtitêre. Hujus poſtremi caſus *exemplum*, eſt, Theologus Celeberrimus Marpurgenſis, *Joh. Crocius*, qui, quod noctu domus ſuæ aggreſſorem occiderit, Miniſterium depoſuit. Neque tamen hæc regula per omnia valet; unde non deſunt, qui exiſtimant, quod quis, ſi non ex obſtinata malitia, ſed vel ex ignorantia, vel ex fervore juvenili abreptus peccaverit; ſi, á tempore patrati criminis, plures anni effluxerint, intra quorum ſpatium facti memoria deleri potuit; ſi ſerio ad bonam frugem ſe receperit; ſi denique non in eo loco, ubi crimen commiſſum eſt; ſed ubi nihil vel parum de illo conſtat, ad Miniſterium vocetur, admitti queat. Id quod, ex noſtris, *Zanchius Lib.* I, *Epiſt* p. 195. ex Lutheranis, *Eccardus* in *Paſtore conſcientioſo Claſſ.* 1. *Quæſt.* 2. probarunt, & exemplis *Davidis*, *Marcellini*, Epiſcopi Romani, qui thura Idolis adoleviſſe dicitur, & *Auguſtini*, qui ex concubina filium progenuerat, confirmatur. Vix etiam 5) vocabitur, *qui* tali *corporis deformitate* laborat, quæ aliis horrori & ſibi impedimento eſt. Non tamen omnem corporis nævum á Miniſterio excludere, & huc non pertinere, quæ *Levit.* XXI, 17. ſeqq. cum reſpectu & ad Chriſtum *Hebr.* VII, 26. & ad ſpirituales nævos Paſtorum, (Vid. *Gregorii* M. *Paſtorale Lib.* I, & conf. J. H. *Hottingeri* diſquiſit: *de ſacerdotum Aaronicorum integritate ac Myſterio* ad *Levit.* XXI, 16. fin.) traduntur, á noſtris pluribus oſtenſum fuit. Sic enim vel ipſe *Paulus* excluſus fuiſſet, cujus puſillæ ſtaturæ ipſemet 2 *Corinth.* X, 10. & deformiorum narium *Lucianus*, in Philopatride, mentionem facit. Sed &, ab altera parte, non eſt indicium defectus divinæ Vocationis, ſi quis fortè aliquandiu, etiam inter dona naturæ & gratiæ, propenſione careat ad ſuſcipien-

piendum Miniſterium, vel in genere, vel hujus aut illius Eccleſiæ in ſpecie; *tum* quod aptitudo mentem tandem flectere queat, ſcrupuloſosque, qui propenſionem impediunt, removere, *tum* quod in propenſione cœtus, & unanimi illius deſiderio obtinendi talem Paſtorem divina voluntas ſe manifeſtare poſſit. Sic ſolet Dominus Meſſis etiam invitos ἐκβάλλειν *Matth.* IX, 38. Exemplo ſint *Moſe*, *Jeremia*, *Gregorius Nazianzenus* & *Ambroſius*, qui, cum ſecularis eſſet, in medio cœtu, ad Epiſcopatum, tantum non violenter, abreptus fuit. Non obſtat etiam ſemper *Ætas*; poteſt etiam juvenis *Timotheus* Deo placere in Miniſterio. Non etiam *conjugium*; contrarium apparet ex *Matth.* XIX, 20-30. 1. *Corinth.* VII, 29 *Hebr* XIII, 4. & ex exemplis ſacerdotum, Prophetarum, & Apoſtolorum *Jeſai.* VIII, 3. 1. *Theſſ.* III, 2.

§. VIII.

Interim hac occaſione quæri poteſt: *Num, qui talem vocationem generalem habet, ſpeciale, hujus vel illius loci, Miniſterium deſiderare & petere poſſit*, ita ut divinæ vocationi ſpeciali hac ratione non quaſi præcurrat? Ad hanc quæſtionem obſervamus. 1) Non opus eſſe ut, ſi cujus dona eligentibus nota ſunt, ille, data abhinc occaſione, deſiderium ſuum illis iterum iterumque exponat, nec metu laboret opus eſt, quod hac ratione Talentum vel ipſemet defodiat, vel illud defodiatur, cum enim Deus ſit, qui operarios ſuos in Meſſem, etiam ſpecialem, extrudat, tempus vocationis, in ſilentio & ſpe, exſpectandum erit, dum interea nulla ei deerit occaſio, dona ſua applicandi in commodum Proximi 2) Si quis ſcrupulum ſibi formet, num ſalvâ conſcientiâ, Miniſterium ſpeciale petere queat, ille petendo illud graviter peccabit. Sic & 3) peccat ſine dubio, qui ideo Miniſterium petit, aut tot curſitationes inſtituit, quod ulterioris moræ ſit impatiens, cumprimis cum Deo non deſint dilatæ vocationis rationes, nec is qui una alteraque vice non vocatur, eapropter animum deſpondeat opus habebit. Non deſunt qui putant, ſub nomine *Barſabæ Act.* I, 23. & *Barnabæ Act.* XIII, 2. eundem Chriſti diſcipulum intelligi, & tamen idem ille Barſabas, quem, in prima Electione, ſors Apoſtolatus non

An generaliter vocatus Miniſterium ſpeciale deſiderare poſſit?

tetigit, aliquot tamen annis poſteà, ipſius ſpiritus indicio, ad Miniſterium inter gentes, cui deſtinatus erat á Deo, ſeparabatur. Sic & 4) peccat, qui ideo tantum aut primariò Miniſterium petit, ut vitæ ſuæ ſubſidia ex illo habeat, atque ſperet. Miniſterium enim non commodi proprii, ſed Chriſti & Eccleſiæ gratia inſtitutum eſt. Opus bonum eſt illud petere, ſi fluit ex charitate. 5) Peccat porro, qui in petendo importunus eſt, atque, hac importunitate, ſe Eccleſiæ aut eligentibus contemtibilem reddit, qui contemtus deinde actibus illius Miniſterialibus plurimum nocet. Ita 6) peccat, qui per varias artes digniori palmam præripit, aut per calumnias, ſimilesque vias alios depellere tentat; maxime ſi *Simonia*, curſitationes, variæ itidem, Miniſterium ambiendi & emendicandi, rationes accedunt. His cœleſtis Janitor, Spiritus S., fores non aperit. Hi proinde, quod antecesſore Chriſto non uſi fuerint, latrones potius & fures ſunt, qui oves mage diripiunt, quam paſcunt *Joh.* X. Auctoritatem ſibi ſumunt in populum Dei, quam à Deo non habent, atque ſic uſurpatores ſunt & ſacrilegi. qui ſine miſſione, in ſuam ſaltem perniciem, currunt *Jer.* XXIII, 21. atque de ſucceſſu felici nihil ſibi promittere poſſunt, utentes Miniſterio non modo non recto, ſed coram Deo etiam non rato. Unde tales, ſi conſcientiæ in progreſſu ſatisfacere velint, vel deponant Miniſterium, vel ſaltem vitium ſui Miniſterii, illis quibus vocandi jus eſt, ingenuè fateantur neceſſe eſt. Hoc ſenſu *neſcivit Paulus*, quod *Ananias Pontifex* M. *ſit Act.* XXIII, 5. i. e. *eum* pro tali *non agnovit*, quia per *Simoniam*, & corruptionem Romanorum pecuniâ, teſte *Joſepho*, Pontificatum obtinuit, de qualibus *Pauli* Magiſter *Gamaliel*, in *Titulo Talmudico de Synedrio*, dixit; *Judicem, qui honoris conſequendi cauſa pecunias dederit, revera neque judicem, neque honorandum, ſed aſini loco habendum eſſe.* Hinc &, Eccleſiarum Chriſtianarum conſtitutionibus, qui pecunias pro Miniſterio obtulêre, ob promotionem per negotiationem factam, deponi debuêre. Quodſi tamen 7) Cœtus ita eſſet conſtitutus, ut, re probè perpenſâ, plures ſe hîc quam alibi fructus colligere poſſe, certò ſibi perſuadere queat, non prohibitum eſt, ut deſiderium ſuum eligentibus declaret,

addi-

Digitized by Google

additisque illius rationibus ſuum ſervitium offerat; Nec obſtabit hoc divinæ ejus vocationi, etiam ſpeciali, quia, non obſtante vocatione, licet ὀρέγεσθαι Ἐπισκοπῆς 1. *Tim.* III, 1. Etiam *Jeſaias*, & quidem cum immediatè vocandus eſſet, dixit: *Mitte me Jeſai.* VI, 8. Domui *Stephanæ* id laudi vertitur, quod *ſe poſuerit*, ſive conſtituerit *ad miniſterium ſanctorum* 1. *Corinth.* XVI, 15. Vide plura apud *Spenerum* in *Conſil. Theol. Germ.* Part. I. cap. II. Artic. II. Sect. II.

§. VIII.

Vocatio ſpecialis, ad hanc vel illam Eccleſiam, eſt *libera, ordinata, & ſecundum conſcientiam, ab eo qui jus habet, piè ſuſcepta deſignatio perſonæ, ad officium ſacrum idoneæ, in hunc finem facta, ut electus ſacris præficiatur, populoque, in his quæ ad ſalutem æternam facere queunt, inſerviat.* Vocatio ſpecialis & externa.

§. IX.

Vocatio hæc ſpecialis non equidem abſolutè *neceſſaria* eſt, Quo ſenſu neceſſaria ſit. ſed ſecundum quid; qui enim donum á Deo habet, dono etiam ſine peccato uti poteſt, niſi aliud quid obſtet. Interim, quia plures iſtiusmodi donis pollent, quia multi dona jactant, qui ea non habent, quia lupi ſub ovium pelle irruere poſſunt, hinc, ne confuſio oriatur, vocatione hac ſpeciali *ordinis ergò* opus eſt. Ita ratio patet, quare ejusmodi vocatione ſpeciali non opus erat, *tum* in *primitiva Eccleſia* Chriſtiana, *tum* etiam poſtea *tempore Reformationis*. In *illa* ſpecialius non vocati erant, qui, durante perſecutione Hieroſolymitana, diſperſi verbum prædicabant *Act.* VIII, 4. quia, in locis ad quæ pervenerant, nulli erant qui Jeſum prædicabant, vocabantur autem *Paulus* & *Barnabas Antiochiæ*, quia plures ibi erant Doctores. *Act.* XIII, 1. 2. Domui *Stephanæ* id laudi dicitur, quod ſemet ipſam ad miniſterium ſanctorum conſtituerit, quia *primitiæ* tantum erant *in Achaia* 1. *Corinth.* XVI, 15. Sed ex quo confuſiones oriebantur, & lupi cum veris paſtoribus irruebant, vocatione ſpeciali in miniſterium ducebantur 1. *Corinth.* XIV. Ita nec in *hac*, Reformatione nempe, talis neceſſaria erat: Ad reformandam Eccleſiam non

Digitized by Google

non opus eſt aliâ miſſione, quam Mandato non credendi Pſeudo-Prophetis, & iis contradicendi ſub ſpe divinæ gubernationis, per quam veri credentes é falſa Eccleſia vel educantur vel expellantur. Ex quo generalis & nova tentatio orta erat, nova etiam liberatio, vel per novos Miniſtros, neceſſaria erat. Debebant fideles ex Babylone egredi, hoc vero vetus mandatum, corruptis reliquis, per novum quaſi miniſterium inculcandum erat. Jus conveniendi in Nomine Chriſti vel ternis datur *Matth.* XVIII, 20. Qui, in tali caſu, conſenſu fratrum, idoneus eſt ad prædicandum verbum, hoc jure uti poteſt. Nec opus erat, ut, in tali caſu, á Reformatoribus, miraculis probetur auctoritas, correctio enim errorum pertinebat ad officium, ad quod ordinati erant.

§. X.

Etiam divina eſt.

Licet autem hæc *vocatio* abſolute neceſſaria non ſit, *divina* tamen eſt etiam illorum, *qui* etiamnum mediatè *per homines vocantur.* Id evidenter patet ex *Act.* XX, 28. ubi, qui mediatè Eccleſiæ Epheſinæ præponebantur, *conſtituti* tamen dicuntur *Epiſcopi à Spiritu S.* Chriſtus non modo Apoſtolos immediate poſuit, ſed &, per Apoſtolos, Paſtores. *Epheſ.* IV, 11. *Act.* XIV, 23. *Miniſtri* VII. Eccleſiarum Aſiaticarum *Angeli* i. e. Miniſtri Dei, ſed per homines vocati erant. *Apoc.* II. III. *Paulo* immediatè miſſo, in præconio Evangelii, jungebatur *Apollo* mediatè vocatus. 1. *Corinth.* III, *ſ.* 6. *Archippus*, interveniente hominum electione, mediatè vocatus, munus ſuum acceperat á Domino. *Coloſſ.* IV, 17.

§. XI.

a) Si cum internâ Spiritus S. conjuncta eſt.

Ut quis autem ita ſe á Deo vocatum eſſe certus ſit, ante omnia ſuperius deſcripta divinæ vocationis, ad Miniſterium in genere, criteria habeat, & in ſe agnoſcat neceſſe eſt. Neque enim vocantium eſt creare Paſtores, hoc ſolius Spiritus S. donum eſt. De eo plerique nihil ſciunt, ſcil. ignorant tractum Spiritus S. διὰ τὴν πώρωσιν τῆς καρδίας αὐτῶν. Cernitur ubi non cupido lucri, non ambitio & deſiderium audiri, ſed temerri-

mus

nus amor Chriſti gloriæ eſt. Proinde utut centies quis vocatus fuerit & electus hominum ſuffragiis, citra omnem etiam ambitum, non poterit cenſeri legitimus Paſtor, niſi intùs à Deo vocatus, & donis ad Miniſterium neceſſariis inſtructus ſit, & quidem neceſſariis ratione illius Eccleſiæ cui præficiendus eſt. Poterit enim quis inſtructus eſſe facultatibus docendi rudes, qui ad majores cœtus, non ſine gravi peccato, adſpiraret. Unde ſi quis, tum ſuomet ipſo, tum aliorum, ſincera pietate & prudentiâ ſolidâ inſtructorum, judicio, ſentiat aut certus eſſe poſſit, officium ſuperare vires, oblationem iſtiusmodi muneris tentationem potius quam vocationem eſſe judicabit.

§. XII.

Abhinc vero requiritur ad eandem vocationem, ut etiam *vocatus* ſit *ab illis*, qui ſecundum DEI verbum, & præſentis Eccleſiæ ſtatum, *jus vocandi* habent, cum, per intruſionem violentam eorum qui jus vocandi non habent, miniſterium aliàs non modo non rectum, ſed nec eorum DEO, nec coram hominibus ratum ſit. Atque hîc omnino optandum, ut inter noſtros uſu valeret, quod *Commenius* de *Fratribus Bohemis* ſcribit: *Nemo currit, nemo aliis præcurrit, omnes tantum veniunt vocati, eunt miſſi eò quò mittuntur, non aliò, & tum cum mittuntur, non aliàs; nec ad ullam functionem quisquam promovetur unius alicujus arbitrio, ut Proſopolepſiâ peccari poſſit, ſed cum communi omnium judicio, cunctorum minus periclitante quam ſingulorum.* b) Si facta ab illis, qui jus vocandi habent.

§. XIII.

Jus autem *vocandi* Paſtores, ſub Chriſto Domino meſſis, propriè & radicaliter *penes Eccleſiam* eſt. Hæc gregis rationalis prærogativa eſt, quod vocem veri Paſtoris agnoſcere, talemque eligere queat. Naturaliter cœtui cuilibet ea permittuntur, quæ ad ſui conſervationem, finemque ſunt neceſſaria. Hæc primaria pars conceſſarum clavium eſt, ponere qui in Eccleſiæ nomine ſolvant, ligentque *Matth.* XVI, 19 XVIII, 17. unde nequidem Apoſtoli absque populi ſuffragio Miniſtros elegerunt, quorum electio, hac ipſa de cauſa, in *Actis Apoſt.* cap. XIV, 23. Jus vocandi propriè penes Eccleſiam eſt.

χειροτονία vocatur, quia commune & concors populi ſuffragium, ad electionem eorundem, quaſi porrectis manibus factum, requirebatur. Confer. 2. *Corinth.* VIII, 19. *Cyprianus* non eligebat ſolus, nec reprehendebat ſolus. *Epiſt.* 52. 55. Ipſe *Cornelius* Pontifex Rom. lectus eſt de *Plebis*, quæ tunc adfuit, de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum *ſuffragio* &c. Vid. *Böhmeri Jus Eccleſ.* Tom. I. tit. 6. pag. 269. *Cyprian. Epiſt.* 52. *Socrates Hiſt. Eccleſ.* Lib. VI. 2. *David Blondell. de Jure Plebis circa Sacra.* *Marcus Antonius de Dominis de Republ. Eccleſ.* Part. I. Lib. III. Cap. 3. *Caſp. Ziegler de Epiſcopis, eorumque Juribus* C. I. 8.

§. XIV.

Quæ illud exercet.

Jus illud Eccleſiæ diverſo equidem modo, plerumque tamen *per* tres ſuos ordines, *Magiſtratum* Chriſtianum, *Miniſterium* & *populum*, exercet, qui quando conveniunt, tum quidem ſymphonicus ille omnium concentus magnum divinæ vocationis præjudicium eſt, atque optandum omnino eſſet, ut nullum ex hiſce corporibus, ab exercitio hujus Juris, excluderetur. Si omnia Magiſtratui conceduntur Cæſaro-Papia exſurgit, ſi omnia Clero tribuuntur Papo-Cæſaria inde naſcitur. Vid. ſupra laudatus M. *Anton de Dominis de Republ. Eccleſ.* Lib. III. Cap. 3. *Pearſonius in Vindiciis Ignat.* Part. I. Cap. XI. *Joſ. Bingham Orig. Eccleſ.* Lib. IV. Cap. 2.

a) per Magiſtratum.

Magiſtratus potiſſimum erit, vel eligere paſtorem, vel ipſius nomine electum, à Miniſterio examinatum & ordinatum, à populo approbatum confirmare. Hoc illi jus, cumprimis ex quo honoraria paſtorum conſtituêre, & primaria Eccleſiæ membra ſunt, diſputari nequit. *Cuſtos* eſt *utriusque Tabulæ*, hinc curam gerere debet, ne mali præficiantur Eccleſiæ. *Princeps* eſt *Reipublicæ*, hinc & ut tranquilla & beata ſit curabit. In hunc vero finem legitimorum paſtorum vocatio multum faciet, curandumque eſt, ne conſtituantur, quorum exemplo ſubditi fiant deteriores, & qui motibus inteſtinis promovendis inſervire poſſent.

Digitized by Google

§. XV.

Inolevit etiam hinc inde *jus*, quod *patronatus* dicitur, de quo ſequentia notentur. 1) *Duplex* eſſe jus patronatus, aliud *regium* atque *majus*, aliud *vulgare* & *minus*; regium atque *majus* eſſe *jus ſummæ poteſtati* ſive Magiſtratui *competens*, *perſonas & res Eccleſiæ regendi atque defendendi*, natum non tantum ex Jure Territoriali, ſed cumprimis ex advocatiâ atque tutela Eccleſiarum, unde ipſi dicuntur Advocaten und Vögten der Kirchen. Jus patronatus vulgare & *minus* eſt *facultas eligendi, præſentandi & vocandi parochum*, competens certæ perſonæ, vel ex fundatione, vel ex donatione Eccleſiæ, ad hoc, ut præſentatus ad munus Eccleſiæ confirmetur. Jus illud ex paganiſmo ortum videtur, in quo, qui ex ditioribus Templa conſtruxerunt, iis etiam Sacerdotes dedêre. Unde, cum à *Conſtantini M.* tempore templa ubique erigi deberent, in urbibus à communitate, in pagis à ditioribus præſentatio facta. Veſtigia hujus Juris patronatus videre licet in *Novell.* 57. 123. 18 & in *Concil. Tolet.* I. can. X. *Clerici non ordinandi, niſi probatæ vitæ fuerint, & patronorum conſenſus acceſſerit.*

Unde jus Patronatûs.

2) *Jus* hoc *patronatus*, *ſive*, prouti etiam vocatur, *collaturæ* diſtinguendum eſſe à *Jure Sacrorum* & *Epiſcopali*. *Illud* enim in ſola denominatione & vocatione paſtoris, ne præcurrat, conſiſtit; *Hoc* vero in examine, confirmatione, correctione, gubernatione & depoſitione.

3) *Jus* illud *patronatus*, licet ſerius, circa tempora Caroli M., inceperit, & ex conſtructionibus, dotationibus, reædificationibus fluxerit, quidquid *Voëtius Part.* II. *Polit. Eccleſ. Lib.* III. *Tract* II. Cap. 2. 3. ei opponat, poſſe retineri, prouti contra *Voetium Martinus Sebokius de Jure patronatus* oſtendit, ſi modo intra limites illos, quos *Synodus Dordracena* exhibet, contineatur. Patronus proprie non conſtituit paſtorem, ſed tantum præſentat, quæ præſentatio uti nec jus in re vel ad rem dat, ita nec abſolutum quid eſt, nec enim poterit alium quam orthodoxum, eumque pium paſtorem nominare, qui proin examini, quoad doctrinam & mores, miniſterio ſubjicitur & approbationi

tioni Eccleſiæ, quæ, ſi juſtas diſſentiendi cauſas habet, etiam patrono miniſtrum remittere poterit. Ita etiam receptus, à patrono ad literas reverſales, niſi fortè eò tantum directas, ut jus illius agnoſcat, obligari nequit. Porro patronus miniſterium parochi, conſenſu Magiſtratus & Eccleſiæ confirmatum, ad certum tempus reſtringere non poteſt, vid. *Balduinus in Caſibus Conſc.* Lib. V. caſu. 5. multò minus parochum obligare ad aliquid præſtandum, aut de imminutione ſalarii cum eo tranſigere, nec ſacra reformare, aut ritus hucdum uſitatos abolere. Vid. *Carpzov in Jure Eccleſ.* Lib. I. Definit. 16. 17. 18. *Wernherus Part.* VII. *Obſerv. Forenſ.* num. 39. pag. 93. Sic etiam in *Inſtrum. Pacis Weſtphal. artic.* VII. §. 1. proviſum, quod patronus religionem mutans non poſſit Eccleſiæ alterius Confeſſionis parochum obtrudere, ſed potius, hoc mutationis caſu, communitatibus integrum ſit nominare patrono orthodoxum. Num autem patronus orthodoxus vel heterodoxus ſit, in ſe ſinceritati vocationis nihil adimit. Si enim miniſterium ſub Magiſtratu Heterodoxo, etiam invito eo, legitimum eſſe poteſt, *Actor.* IV, 18. 19 quidni & illud quod, conſentiente patrono heterodoxo paſtor obit orthodoxus. Pontifices & Sacerdotes Chriſtus audire juſſit, licet illi, poſtremis temporibus, à Romanis præſidibus conſtituti fuerint *Matth.* XXIII, 2. 3. Hoc unum ſaltem optandum eſſet, ut non ipſe modo Miniſter, ſed etiam qui ipſum vocant, nullâ, in vocatione, vitioſâ laborent intentione, nec privato inſerviant commodo, quippe quod fiduciam, de divina vocatione, ejusque effectu haud parum turbaret.

§. XVI.

ב) per Miniſterium. Sed, præter vocationem Magiſtratus, requiritur etiàm, ſuo modo, *actio* & aſſenſus miniſterii, ſeu potius *Conſiſtorium*, à Principibus & Magiſtratu territoriali inſtitutorum, quæ conſtant ex Theologis & Politicis, ad cognoſcendum ſuper cauſis Eccleſiaſticis, ut omnia piè, honeſtè, decenter & ordine in Eccleſia fiant, quale & hic loci habemus in *Senatu Eccleſiaſtico*, quem *Fridericus* III. remoto, ob ſcandaloſas cum *Clebitio* lites, *generali Superintendente Tilemanno Hesbuſio*, An. 1563. inſtituit, & cujus

cujus eſt ſubjecta paſtorum deligere, examinare, SERENISSIMO ELECTORI & *Regimini Electorali* proponere, abhinc confirmatos paſtores ordinare, ad officia in munere ſuo, & fidelitatis atque ſubjectionis SERENISSIMO ELECTORI præſtandæ, obligare, &, ſi paſtores ſunt, per Inſpectores; ſi Inſpectores, per membra quædam Senatus, ſolenniter in Eccleſiam introducere, modumque docendi & vivendi præſcribere. Qui modus, in *Eccleſiis Proteſtantium*, ſuſpensâ ubique jurisdictione Pontificis & Epiſcoporum, confirmatus fuit, ut ante in *Receſſu Imperii*, An. 1555.; ita in *Inſtrum. Pacis Weſtphal.* artic. 1. §. *jus dicens.* p. m. 20. & 48.

§. XVII.

Tandem etiam conſenſus & *ſuffragium populi* requiritur, cui paſtor præficiendus eſt; nec enim paſtor erit, nutu Dei in ovile vocatus, quem grex fugit. Unitas fraternitatis, &, in rebus tanti negotii, conſenſus in S. Scripturis fundata eſt. Vid. *Actor.* VI. Conf. Epiſtolas *Cypriani*, & ex illis *Blondellum de Jure Plebis in Sacris.* Unde *Brunnemannus* in *Jure Eccleſ.* Lib. I. Cap. V. *immutabilis*, dicit, *eſſe Juris, ne Eccleſiæ Chriſtianæ paſtor obtrudatur invitæ.* Obſervamus tamen ad hoc populi ſuffragium. 1) Illud ſolum non haberi poſſe pro ſufficienti indicio divinæ vocationis. Vox populi non protinus vox Dei eſt, ſi una forte vel altera concione paſtor populi applauſum obtinuit, *tum* quia iſtiusmodi conciones ſæpè variant, atque hîc etiam aliquando auro argentum, æs, ferrum, & ferro pejus ſuccedit, *tum* quia plebs, pro rudioribus ſumta, & maximè ut ſe nunc habet, ſolidiori judicio ſæpius deſtituitur, hinc 2) non ſemper diſſenſum populi obſtare vocationi legitimæ, niſi juſtis nitatur rationibus. Eccleſiæ, ut ſe nunc habent, minorennium inſtar ſunt, qui tutore indigent, & ſæpiſſimè ſimiles ſponſæ, quæ ſponſum, à parentibus maturo judicio delectum, initiò renuit, poſtea tamen ſui diſſenſus injuriam agnoſcit. 3) Quodſi tamen pertinax faſtidium Eccleſiæ ſit, præſtat omnino, ut alio transferatur paſtor, quia nulla ædificatio locum habet apud conſtanter diſſentientes, cui uni tamen deſtinatus eſt Miniſter,

3) per ſuffragium populi.

Obſervationes ad illud.

& qui invitæ Eccleſiæ ſervitium ſuum pertinaciter obtrudit, ut emolumentorum particeps maneat, omnem pereuntium animarum culpam ſuſtinebit.

§. XVIII.

Accedere debet conſenſus vocati.

Ad legitimam iſtiusmodi vocationem externam accedat etiam *conſenſus ipſius paſtoris.* Hîc ſeriæ preces fundendæ, examinandum, num Deus cor eò dirigat, ut non ſine ædificatione ſe in illa Eccleſia laboraturum ſperet, ut hunc unicum ſibi finem ſeriò proponat, & propter illud propoſitum, Charitate Dei & Eccleſiæ exſtimulatus, ad vocationem acceptandam propendeat voluntate non deſultoria, ſed conſtante, & in timore DEI. Extraordinaria ſigna vocationis non exſpectanda. Ipſe *Matthias* munus extraordinarium Apoſtolatus, præeunte Verbo Dei, quo alium Judæ ſucceſſurum prædictum fuit, partim electione fratrum, partim ſorte nactus eſt. *Actor.* I, 15 - fin. Hoc modo à *Paulo* & *Barnaba* conſtituti fuere Seniores. Et quisquis hac ratione ad miniſterium vocatur, illud etiam, ſalva conſcientia, renuere non poterit. Domini ſervus eſt; quo is eum mittere vult, ſequi debet, & abeat neceſſe eſt. Defodere talentum ſervi nequam eſt. *Matth.* XXV, 30. Væ! illi qui, ad evangelizandum vocatus, non evangelizat. 1. *Corinth.* IX, 16. Nulla ulterior inidoneitatis valebit excuſatio. Non negligat prodeſſe, dum præeſſe timet. Donorum ſuorum ipſe ſolus judex non eſt. Dum *Moſes* ſe difficultate loquendi excuſat, DEUS iraſcitur. *Exod.* IV, 11. *Jeremia* fruſtrà juventutem objecit. *Jerem.* I, 7. *Prophetam*, qui vocationi divinæ morem non geſſit, per leones occidi curavit. 1. *Reg.* XIII, 24. Conf. *Joh. Frid. Meyeri programma, de punitis è veſtigio divinitùs, qui Deo vocanti ſunt refragati*, in ejus *Muſæo Eccleſiaſt.* Tom. II. p. 84. Nequidem objici poterit *obligatio*, qua *Patriæ* obſtringimur; maluiſſet *Jeremia* apud Anathothenſes manere, ſed jubetur abire Hieroſolymam; Etiam hîc Deo magis quam hominibus obediendum eſt: nequidem per impenſos, in ipſius miniſterium, ſumtus excuſabitur, qui divinam vocationem agnoſcit, ſed ſe tum potius ad refundendum ſumtus, quam ad non obediendum Deo, obliga-

tum

tum ſciet; quales quales ejus defectus ſint, vocanti Deo ſe committat. An vero, qui legitimam vocationem recuſaverint, compelli aut perſuaderi debeant? de eo legi meretur *Zieglerus de clerico renitente.*

§. XIX.

Vocationem externam excipit examen vocati.

Abhinc vero nemo ordinandus, aut ad Miniſterium quoddam ſpeciale admittendus, & in Eccleſiam particularem introducendus eſt, niſi de cujus tum Doctrinæ puritate, tum vitæ integritate conſtet & Eccleſiæ, cui præfici debet. Id ut graviter præcipitur ab Apoſtolis 1. *Timoth.* III, 10. IV, 6. *Tit.* I, 5 9., ita urgetur ab Eccleſia. Sit omnium inſtar *Concil. Carthagin.* IV. can. I; *Epiſcopum ordinandum ante omnia examinandum eſſe, ſi natura ſit prudens, ſi docilitas, ſi moribus temperatus, ſi vita caſtus, ſi ſobrius, ſi humilis, ſi affabilis, ſi miſericors, ſi in lege Dei inſtructus, ſi in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus.* Quæ huc pertinent, vid. in *Gregorii M. Paſtoral. Iſaaci Haberti Archieratico,* & *Luc. Holſtenii Paſtore intùs & extùs vocato.*

§. XX.

Quinam examinatores.

Non admittuntur itaque ad Miniſterium, & generale & particulare, *Paſtores,* niſi priùs ritè fuerint *examinati* per eos, quibus *examen,* quod *peremtorium Voëtio* dicitur, commiſſum eſt. Si quæratur: *Quinam examinatores* eſſe debeant? dicimus, variare hoc munus in Eccleſiis noſtris. In Hassia Candidati primùm á *Profeſſoribus* Theologiæ Marburgenſibus, poſtea vero Caſſellis á *Conſiſtorio* examinantur. In Belgio equidem ſub initium Reformationis, & in Synodo nationali Hagienſi. A. 1586. artic. 18. ſtatuebatur, ne ulli proponentes publicè é Cathedra docerent, niſi qui legitimè, vel *in Univerſitate* aut *á Claſſe,* examinati & idonei declarati eſſent; ſed á *Synodi Dordracenæ* Deputatis A. 1619. ſublatum fuit Examen ab univerſitatibus, & *ſolis claſſibus* commiſſum, quia ab *Arminii,* ejusque ſucceſſoris *Epiſcopii* ἀταξία magna clades Eccleſiis Belgicis illata fuit. Vid. *Voetius* Part. III. Polit. *Eccleſ.* p. 86. 87. In Palatinatu, inde á Reformatione examen hoc pro miniſterio ſoli *Senatui Eccleſia-*

ſtico demandatum fuit, uti quidem ipſæ quæſtiones, jam Anno 1563. Candidato à *Dillero* præpoſitæ, in Hiſtoriæ Reformationis, Conſiſtorio Evangelico-Lutherano oppoſitæ appendice extant. Si quæratur, *de quibus examen* illud cum Candidatis *inſtituendum* ſit? reſpondemus, quod vel *generale* illud ſit, vel *ſpeciale*. In *generali* inquirendum, an adſit 1) *Facultas*; hanc ſi vel natura negat, vel gratia non concedit, ſine dubio inidoneus eſt; an etiam 2) adſit *voluntas*, quæ ſi deſit, niſi, ſeriâ pœnitentiâ, ætatis juvenilis, in iſtiusmodi rebus, lapſus corrigatur, iterum vocatio talis benigno effectu carebit. *Speciali* examini præmittitur *concio δοκιμαστική*, ut pateat, num ad docendam, & inculcandam omnibus, etiam rudioribus, fidem, charitatem & ſpem idoneus ſit. Hanc, ſi approbatur, excipit *examen profectuum*, per quæſtiones varias ex locis *communibus Theologiæ*, tum *Poſitivæ* tum *Elenchticæ*, quæ omitti non poſſunt, ut pateat, num etiam poſſit τοὺς ἀντιλέγοντας convincere, maximè ſi tum ipſe, tum Auditores ejus verſantur ubi, per verſutias aliorum, ſeductionis periculum metuendum eſt. His ſubjiciendæ quæſtiones ex *Theologia morali*. Ethica Chriſtiana eo magis probè cognoſcenda, examinanda, & Auditoribus maxime commendanda, quo rarior exacta virtutum notitia eſt, ita ut tam neceſſaria virtutum inculcatio plerumque generalis nimis ſit, quæ aurem magis quam corda movet. Subjungendæ itidem quæſtiones ex *Politia Eccleſiaſtica*, quarum ſcientiâ, in munere Eccleſiaſtico, carere non poſſunt Candidati, maxime ſi, in prioribus quæſtionibus, ſolidioris notitiæ teſtimonia dederint, de quibus conferri merentur *Zepperus Lib.* II. *Politia Eccleſ.* C. VI. *Molindus* in libro gallico *de vocatione Paſtorum*, *Voetius Polit. Eccleſ.* Part. III. Lib. I. Tr. 2. *de* Examine c. I. & *Buceri ſcripta Anglicana.* Juſtum etiam eſt, ut abhinc examen etiam inſtituatur de *Oeconomia* & ſumma *Librorum* S. *Scripturæ*, de quibus *Heideggerus* in *Enchiridio Bibl.*, & *Van Til in opere Analytico* legi merentur. Tum etiam, quos *in linguis ſacris*, *Philoſophia* atque *Hiſtoria Eccleſiaſtica* V. & N T., profectus fecerit Candidatus, exploratur; Nec intacta manent, aut manere debent, quæ & ipſius *Candidati vitæ & morum* examen, juxta præſcriptum Pauli 1. *Timoth.*

Quænam capita examinis.

motb.

Digitized by Google

moth. III. & *Tit.* I. ſpectant, cumprimis quia vitâ, ſi piè tranſigatur, ſcientiarum defectus, modo ſpes ſit meliorum incrementorum, facile compenſatur.

§. XXI.

Vocationem & examen Candidatorum excipit *ordinatio*, ſeu *Actus quo Electus ſegregatur à populo, & in ordinem Eccleſiaſticum, per preces & manuum impoſitionem, recipitur, eique poteſtas, verbum Dei publicè docendi, & ſacramenta adminiſtrandi, confertur, de divina, ſi omnia rectè ſe habeant, vocatione certior redditur, ſimulque de recta muneris ſui adminiſtratione admonetur.* Hic ordinationis Actus ſi non in Mandatis, tamen in exemplis S. Scripturæ fundamentum habet. Nulli vel ſummi *pontifices*, ad muneris ſui Actus, ſine prævia quadam conſecratione ſolemni admittebantur *Levit.* VIII. *Levitæ* ſimiliter priùs erant conſecrandi, quam ad ſacra admitterentur. *Numer.* VIII. In N. T. ſe etiam, ex gentibus, quosdam in Sacerdotes & Levitas aſſumturum dum dicit DEUS *Jeſai.* LXVI, 21. indicat hoc ipſo, non tantum curâ providentiæ ſuæ ſe excitaturum, inſtructurum, aptaturum eſſe aliquos ex gentibus, qui ſe ad uſum & Miniſterium Eccleſiæ applicarent; ſed etiam curaturum, ut, ſive per extraordinaria Media, ſive per ordinaria, & χειροτονίαν Electionem populi, & χειροθεσίαν Presbyterorum, Eccleſiis regendis, paſcendisque præficerentur. Unde, ex quo *Miniſterium N. T.* erigi cœpit, *ordinatio* locum habuit. Ipſe Chriſtus Nazarenus, ut ungebatur Spiritu S. & virtute, tranſivit omnia *Act.* X, 38. ideoque & ille ἐποίησε δώδεκα, non *fecit*, ſed, *conſtituit*, *ordinavit* (vid. 1. *Sam.* XII. 6.) *Duodecim*, ut eſſent cum ipſo, & mitteret eos ad prædicandum *Marc.* III, 14 Etiam populi vox elegerat Diaconos, eosque ad Apoſtolos adduxerat, & hi precibus eos, & impoſitione manuum, in munus poſuêre *Act.* VI, 5. 6. Cumque *Paulus* ad gentes eſſet mittendus, licet immediatè eſſet vocatus, per manuum impoſitionem tamen, atque preces, illarum Apoſtolus conſtituebatur *Act.* XIII, 1. 2. 3. Id quod etiam poſt hæc in aliis obſervatum fuit. vid 1. *Tim* IV, 14. V, 22. unde etiam, per Metonymian Adjuncti, *impoſitio Manuum* pro

Sequitur ordinatio.

Miniſterio adhibetur. *Hebr.* VI, 1. 2.; idque non tantum per Epiſcopos factum, ſed etiam per Presbyterium 1. *Tim.* IV, 14. ſicuti in Eccleſia Alexandrina á Presbyteris ordinabantur. vid. *Hulſemannus de Miniſtro conſecrato*, *Ziegler de Superintendent.* c. XIV. §. 17. Ordinatio itaque hæc *uſus* equidem *ſacri*, *non* vero *juris divini*, nec abſolutæ neceſſitatis eſt, conſuetudo magis ſacra, & libera diſpoſitio, quam diſpoſitio dominica, ob reverentiam Apoſtolorum, antiquitatem conſtitutionum Eccleſiaſticarum, & ob metum ſcandali aſſervata. Vid. ad hæc *Braunius* in *Select. Sacr. Exercit.* V. Circa hanc ordinationem quæſtio moveri ſolet, an liceat aliquem *ordinare ſine titulo*, i. e. ſine vocatione ad miniſterium ſpeciale, abſque Eccleſia & loco publico Eccleſiæ deſtinato? *Reſp.* Olim ordinatio abſque titulo non erat, χειροθεσία ſemper ſequebatur χειροτονίαν. *Act.* VI, 6. XIII, 2. XIV, 22. 2. *Cor.* VIII, 19. 1. *Tim.* IV, 14. *Tit.* I, 5. *Iſchyras* notabatur, quod ordinatus Eccleſiam non habuerit. Hinc leges de proclamandis ante ordinationem; ita canones Eccleſiarum loquuntur, ſed hodie cingendi habentur pro cinctis, cogitque neceſſitas, ut ægris atque infirmis paſtoribus per alios, ſed ordinatos, ſuccurratur, unde in *Anglia*, *Helvetia*, & haud pridem etiam in *Palatinatu*, Magiſtri, ſocii Collegiorum, & Candidati, nullâ prævià vocatione ad Eccleſiam ſpecialem, ordinari, & ad actus miniſteriales, circa ſacra, exercendos conſecrari ſolent. conf. *Grotius de Imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra* c. X.

An ſine Titulo fieri poſſit?

§. XXII.

Subſcriptio confeſſionis fidei.

Ubique etiam ferè moris eſt, ut ab ordinato, antequam miniſterium ingrediatur, *ſubſcribenda ſit confeſſio fidei*, vel ſaltem *publica* ejus *confeſſio* facienda, id quod á *Thomaſio*, *Böhmero* & aliis improbatur. Obſerventur itaque ſequentia:

1) Competere Eccleſiæ, quoad ordinem externum, communionis Eccleſiaſticæ judicium definitivum, quo declarare poteſt, quibus articulis fides ejus conſtituatur, & quinam proinde hujus Eccleſiæ membra ſint.

2) Poſ-

2) Poſſe magiſtratum non tantum confeſſionis ſcriptionem imperare, ſed etiam, ceu nutritius Eccleſiæ *Jeſai.* XLIX, 23. ad muros ejus ædificandos conſtitutus *Jeſai.* LX, 10. illam auctoritate ſua firmare, & proin illum, qui talem confeſſionem rejicit, aut alia recepit dogmata, à membris illius Eccleſiæ ſeparare.

3) Eſſe autem, in ſingulis confeſſionibus, externa & interna, circumſtantialia & ſubſtantialia probè diſtinguenda; nec Eccleſiæ, nec Magiſtratus fidelis intentionem eſſe, ut utraque pari loco habeantur. id quod varia reviſione & mutatione, in verbis & circumſtantiis, clarè ſatis demonſtrarunt, ſicuti, hac de cauſa, *Articulus* X. *Confeſſionis Auguſtanæ*, vivo & approbante *Luthero*, à *Melanchtone* mutatus fuit, ut proin, quod verba & circumſtantias attinet, non ea ſit Magiſtratus & Eccleſiæ intentio, ut ſubſcribentes ſe ad ipſa etiam verba eadem retinenda obligatos credant, aut moroſam, in levioribus, exactionem patiantur 1. *Cor.* VII, 23. 2. *Cor.* I, 24.

4) Quoad utraque, & externa & interna, magnam tamen ſemper, inter *Scripturam* S. atque *Confeſſiones*, differentiam eſſe, & quidem hanc in ſpecie, quod Scriptura S. ſit *Regula*, Confeſſiones autem ſint *Regulatum*, quod *illa* ſit αὐτόπιστος, & proin perpetua atque immobilis, *hæ* vero fidem omnem à S. Scriptura mutuantur, quod *illi* propter ſe, *his* vero propter illam credendum ſit: agnoſci hoc à Magiſtratu noſtro, atque proinde illum non aliam à nobis confeſſionis illius agnitionem & ſubſcriptionem requirere, quam tum *quia*, tum *quatenus* cum ſcriptura ſ. conveniat; id quod etiam, ſi fortè in confeſſione non extet, uti quidem in plerisque exprimitur, ſi quis ſcrupulo teneatur, ſubſcribens publicè profiteri poterit.

5) Scopum Confeſſionis primarium eſſe, ut ſit *Formula Conſenſus* in Doctrina quam profitemur, ut vitentur ſchismata, ac proin *legem* per illas *ori* potius quam judicio, *verbis* magè quam ſenſui mentis poni, ad quod ipſum, ut non alia miniſter loquatur tradatque, quam quæ confeſſioni, in Fundamentalibus, conſona ſunt, quilibet obligari poterit. Conf Regulæ *Mareſii in Præfatione ad Exegeſin Confeſſionis Belgicæ*, §. 17: *Si poterit, judicio fratrum acquieſcat* 1. *Cor.* XIV, 32. *Si non poterit, ſileat*,

Digitized by Google

& ſilenter exſpectet Revelationem ulteriorem Phil. III, 15. *Saltem ſibi ſoli ſapiat & Tunicam Domini non laceret* 1. *Cor.* XI, 16.

§. XXIII.

Translationis importunæ flagitationes.

Semel vocatus in munere ſuo maneat, quoad Dominus ipſum avocet. Si ante miniſterium ambitus illicitus eſt, multò pejores ſunt importunæ *translationum flagitationes*, maximè ſi cum fructu quodam Eccleſiæ præſit, quia non ſua, ſed Domini voluntate hanc Spartam ornat. Fructus & amor Eccleſiæ, teſtimonium etiam eſt voluntatis divinæ, quod manere debeat, ſimulque fiduciam præbent, nihil ei defuturum in neceſſariis.

§. XXIV.

Ejusdem juſtæ cauſæ.

Interim & *juſtæ translationum cauſæ* eſſe poſſunt. v. g. 1) Utilitas Eccleſiæ Chriſti, ſi ſcil. Miniſter plures, in alia, animas lucrari poteſt. 2) Odium Eccleſiæ, in qua eſt, pertinax 3) Juſtus ſpecialis perſecutionis metus, cumprimis ſi, 4) Translatione non obſtante, Eccleſiæ interim conſuli poterit, aut 5) Scandalum á Paſtore commiſſum, propter quod tamen non deponetur, qui pœnitentiam egit, ſed potius translatio in Eccleſiam minus dotatam, & cui ſcandali nulla notitia eſt, inſtituitur. Quodſi igitur, adductis modo circumſtantiis, cumprimis primâ, aliisque ſupra indicatis criteriis, voluntas Dei nos vocantis, ad Eccleſiam á nobis non quæſitam, ſeſe manifeſtat, Deo vocanti obediendum eſt, quippe qui, pro arbitrio ſuo, ſervis ſuis, inde ab initio, in iſtiusmodi translationibus uſus eſt. Has & ipſa neceſſitas poſtulat, quia aliâs munera maximi momenti, in Aulis, Conſiſtoriis & Academiis atque Eccleſiis majoribus, niſi translationes admittantur, ſemper junioribus & non expertis committi deberent.

Vindicantur ab obſtaculis.

Nec obſtat; a) ex parte *Paſtoris*, commoditas præſens, juxta illud: *Si qua ſede ſedes* &c. hæc enim hominibus, non autem Deo vocanti objici poterunt, cum prius etiam munus non ſui, ſed DEI cauſa, ceu viro DEI, commiſſum ſit. Nec, b) ex parte *Eccleſiæ, deſiderium Paſtorem ſuum retinendi*; nec enim illud ſemper divinæ voluntatis indicium eſt. *Act.* XXI, 4. 12. 13. illique reſponderi poterit, eſſe paſtores Mi-

niſtros

niſtros Dei, non Eccleſiarum ſed Eccleſiæ Dei in genere ſervos, quibus, vi officii, incumbit majoris ædificationis habere rationem; eſſe officium hujus ipſius Eccleſiæ ut potiori non neget, quod potiori ſerviat; eſſe quandoque Dei Judicium, ſi fidos Eccleſiæ paſtores adimat.

Si *objiciatur*, quod frequentiſſimè fieri ſolet, ejusmodi miniſtrum *mercenarium eſſe, qui lupum fugiat*, reſponderi poterit; ſic omnes, Dei nutu, translatos Miniſtros in hunc catalogum referri debere; non, qui vocatus aliò tendit, ſed qui ſponte fugit, mercenarium eſſe, hocque nomine venire non qui alteri, eique idoneo. ſed qui nulli gregem relinquit, ex oppoſito, qui majorem alteriûs loci moleſtiam fugit, lupum fugere; eum, cui Janitor fores aperit, non eſſe mercenarium &c. & objectionibus.

Si *inſtent*; mandatum tamen *Pauli* eſſe, ut *quisquis maneat ſicuti vocatus eſt.* 1. *Corinth.* VII, 20. *Reſp.* Hæc, de matrimonio & ſervitute dicta, benè procedere, ſi quis miniſterium in genere deponat, ſed in ſpecie quocunque vocatur à Deo, hoc demum eſſe vocationem ejus.

CAPUT V.

De Officio Paſtoris in genere.

Σύνοψις.

Scripta, de officiis paſtoralibus, antiquiora & recentiora. §. I. Officia paſtoralia generalia. § II. a) Reſpectu Paſtoris ipſius, veluti ſapientia & prudentia cœleſtis, meditatio, exercitatio, oratio, tentatio §. III. Studium pietatis § IV. ejus Characteres in officiis erga ſemet ipſum §. V. erga proximum §. VI. b) Ratione gregis totius §. VII. VIII.

§. I.

HActenus de vocatione egimus, nunc quæ vocato agenda ſunt, conſiderabimus. Antequam vero ad rem ipſam pro- Scripta de officiis paſtoris

gredia-

Digitized by Google

grediamur, operæ pretium erit, ſcripta quædam commemorare, quæ illuſtrandis officiis paſtoralibus commodè inſervire poſſunt. א) Ex *ſcriptoribus antiquioribus* legi merentur 1) *Cyprianus*, quippe qui *Epiſt.* IV. quinam antiſtites Eccleſiæ eligendi & qua cura, & *Epiſt.* V. qualis eſſe debeat vita ſacerdotum, exponit, item in Libro *de ſingularitate Clericorum.* 2) *Conſtitutiones Apoſtolicæ*, quæ malè *Clementi Romano* adſcribuntur 3) *Ambroſius* in *tribus Libris de officiis miniſtrorum Eccleſiæ* cum notis *Boecleri*, in editione Argentoratenſi, & *Mich. Foertſchii* Stutgardiæ 1699. in 8vo excuſis. 4) *Joh. Chryſoſtomi ſex Libri de Sacerdotio*, qui ſeorſim græcè & latinè, cum notis *Joh. Alberti Bengelii*, Stutgardiæ 1725. in 8vo prodiêre. 5) *Hieronymi* epiſtola *de vita Clericorum ad Nepotianum*, quæ exſtat operum ejus Tom. IV. Part. II. edit. *Joh. Martianæi.* 6) *Gregorii M. Liber de cura paſtorali*, quem in manus accepêre conſecrandi Epiſcopi, cum Libro Sacrorum Canonum. 7) *Iſidori* Hiſpalenſis Epiſtola *de Sacerdotum in Eccleſia officio.* ב) Ex *Recentioribus*, numero plurimis, ipſi *Reformatores* curam haud communem, ad illuſtranda officia paſtoralia, poſuêre, quorſum faciunt. a) *Paſtorale Lutheri*, quod *Conradus Porta* ex ſcriptis Lutheri concinnavit, ex cujus Libri editionibus præſtat, *Joh. Chriſtoph. Crameri*, *Jenæ* 1729. b) *Phil. Melanchtonis Conſilia & Reſponſa Theologica Oper.* Tom. III. à *Chriſtoph. Pezelio* ſeorſim edita. c) *Davidis Chytræi*, Melanchtonis Diſcipuli, oratio *de ſtudio Theologiæ, exercitiis veræ pietatis & virtutis potiùs, quam contentionibus, & rixis diſputationum colendo*, quæ, judice *Ottone Friderico Schultzio* de *vita Dav. Chytræi*, inter reliquas ejus orationes palmam tenet. Vid. *Joh. Franc. Buddei Iſagog. Hiſt. Theolog.* Lib. I. Cap. I. §. 2. pag. 5. 6. His, ad diſcutiendos varios conſcientiæ caſus, tum ex Lutheranis, tum ex Reformatis, d) addi poterunt *Felicis Bidembachii Conſiliorum Theol. Decades X. Francof.* 1614. item *Conſilia Theol. Wittenbergenſia* Francof. 1664. *Georg. Dedekeni* Theol. & Eccleſiaſt. Hamburg. & *Joh. Erneſti Gerhardi*, Theol. Jenenſis, *Theſaurus conſiliorum & deciſionum*, &, poſt *Frid. Balduini*, *Arnoldi Mengeringii*, *Andreæ Keſleri*, *Andr. Pruckneri*, *Caſp. Finckii*, *Joh. Conr. Danhaueri*, *Sam. Schel-*

א) Antiquiora.

ב) Recentiora.

Digitized by Google

Schelwigii, Fridemanni Bechmanni &c. labores, non ſatis commendari poſſunt *Phil. Jac.* SPENERI *Conſilia Theol.* in IV. Voluminibus german. & uno latino. Vid. omnino ſupra laudata *Joh. Franc. Buddei Iſagoge Hiſt. Theol.* Lib. II. Cap. IV. §. X. e) Ex Reformatis legi merentur 1) *Gerhardus* à Patria *Hyperius* dictus, in Libris IV. *de Theologo*, ſeu de *ratione ſtudii Theol.* Baſil. 1572. ex quibus *Laurentius Villavicentius* Hiſpanus, Monachus Auguſtinianus, qui in Louanienſi academia docebat, in ejusdem argumenti, quem ediderat, Librum, pleraque, mutatis tantum, aut omiſſis quæ Romanenſibus diſplicere poterant, tranſtuliſſe videtur. Vid. *Buddei Iſagog.* cit. Lib. I. Cap. I. §. II. pag. 13. 2) *Gisb. Voetii diſp. ſelect.* maximè ad *Decalogum*, & *Polit Eccleſiaſt.* 3) *Ameſii caſus conſcientiæ* 4) *Joh. Hoornbeckii Theol. Pract.* 5) *Petri* van *Maſtricht Theolog. Theoret. Elenchtico-Practica.* Quoad *officia* vero *paſtoralia in ſpecie*, tum ex Reformatis, tum ex Lutheranis, commendari poſſunt 1) *Caroli Drelincourt* Liebreiche Beſuchungen 2) *Richardi Baxteri* Pflichten des Heil. Prediger-Amts 3) *Nic. Vedelii Libri III. de Prudentia Veteris Eccleſiæ Amſtelod* 1633. 4) *Joh. Ludov. Hartmanni Paſtorale Evangel.* cum notis *Dan. Herrenſchmidii Norimberg.* 1722. 5) *Joh. Andr. Quenſtedii Ethica Paſtoralis & Instructio Cathedralis.* 6) *Chriſt. Kortholdi paſtor fidelis*, libellus mole exiguus, ſed ob rerum ſelectum commendandus. 7) *Ahasv. Fritſchii bonus paſtor.* 8) *Joh. Fechtii inſtructio paſtoralis.* 9) *Aug. Herm. Franckii methodus ſtudii Theol.* cum *idea ſtudioſi Theolog.* item ejusdem *monita paſtoralia*, quæ, ex lingua germanica in latinam tranſlata, prodierunt *Halæ* 1723. 10) *G. Arnoldi* Geiſtliche Geſtalt eines Evangeliſchen Lehrers/ & denique 11) JCti qui de *Jurisprudentia Eccleſiaſtica* ſcripſêre, veluti *Carpzovii Jurisprudentia paſtoralis*, *Brunnemanni Jus Eccleſiaſt.* cum ſupplementis *Sam. Stryckii*, *Juſti Henningi Boehmeri Jus Eccleſiaſticum.*

§. II.

Officia vero paſtoralia *generatim*, & in compendio exhibet *Paulus*, quando presbyteris Epheſiis præcipit, ut & *ſibimet* ipſis, & toti *gregi* attendant. *Actor.* XX, 28. Officia paſtoralia.

§. III.

a) Reſpectu paſtoris ipſius.

Studium ſapientiæ cœleſtis.

Quomodo *priori* officio, ſtudio cœleſtis ſapientiæ atque prudentiæ, & intaminatæ converſationis, tam coram Deo quam cum hominibus, exemplo, ſatisfiat, *Jacobus*, etiam in compendio generali, docet *Epiſt.* Cap. III, 15-18. Sapientia, inquit, à *ſapiendo* dicta, & proin notitiam & cognitionem indicans termini, mediorum & nexus mutui cum *guſtu* atque *ſapore*, eaque coelestis (oppoſitè ad ſapientiam *tum Terreſtrem*, quæ, ratione *Originis*, non è cœlo, ſede harmoniæ maximæ, non à Chriſto, Domino de cœlo, qui ſuos manſuetudinem docuit; ſed è terra, loco inordinatorum motuum, eſt; ratione *ſubjecti*, hominum terrenorum qui humi repunt *Pſal.* XVII, 14. &, ſicuti talpæ, in fodiendo terram jugiter occupati, nihil niſi terreſtria ſentiunt, convenienter concupiſcentiæ oculorum, quæ hosce regit; ratione *materiæ*, conſtans tantum in notitia vocabulorum, dictorum, rerum & artium humanarum, atque ſic occupata circa elementa mundi: *tum* ad *animalem*, quæ tantum vi animæ non regenitæ, à ψυχικοῖς, qui Spiritum non habent *Jud.* ℣. 19. concepta conjecturas ſuæ mentis, auctoritatem humanam, &, qui alter corruptæ ſapientiæ fons eſt, concupiſcentiam carnis ſequitur: *tum* ad *Diabolicam*, quæ, tertium fontem mali, faſtum hujus vitæ, κρίμα Διαβόλȣ pro principio habet, quæque ambitioni ſervit, calumnias ſerit atque lites, nec melior eſt eâ quam Diabolus habet) quæ Dei, rerumque divinarum Ἐπίγνωσιν ἐν πάσῃ αἰσθήσει *Phil.* I, 9. involvit, quoad fructus & effectus ſuos, *reſpectu Dei* eſt ἁγνὴ casta; hominem à corruptæ rationis figmentis, à Diaboli mendaciis, à mundi ſeductionibus, & carnis tentationibus *Jac.* I, 27. immaculatum ſervans, & ita quidem primum, quia, ut in falſis doctoribus amor terræ initium & fundamentum eſt omnium reliquorum vitiorum, ita caſtus amor Dei, atque puritas intentionis primum & fundamentale requiſitum eſt veræ Theologiæ; deinde, *reſpectu proximi*, quoque εἰρηνικὴ pacifica, abhorrens à contentionibus, ut unus alterum potius adjuvet, quam impediat, animum referens non offenſum ſed tranquillum, quæ in illis etiam in quibus fraterna charitas exerceri nequit

nequit ſaltem non eſt moleſta; in hunc finem eadem illa, ubi vel errores metuit apud alios, porro eſt ἐπιεικὴς ÆQUA, tum in ſapiente ipſo, non ruſtica, odioſa aut importuna & inepta, tum reſpectu Judicii de aliorum vel doctrina vel actionibus, quas ut poteſt in optimam partem accipit, oppoſitè ad auſteritatem, quæ nihil in Fratribus tolerat; &, ubi ipſe paſtor erroribus ſubjectus eſſe poteſt, εὐπειθὴς tractabilis, comis & PERSUASIBILIS, quæ benè monenti paret, oppoſitè ad αὐτάδειαν pertinaciam & ἀντιλογίαν eorum, qui dicunt: ſemper maneant mihi ſemel placita; quæque, ubi ſunt vel errores vel defectos, *inde* quidem eſt μεστὴ ἐλέους PLENA MISERICORDIÆ reſpectu errantium & offendentium, quibus parcit, & benignè ſuccurrit, *hinc* ET plena καρπῶν ἀγαθῶν BONORUM FRUCTUUM reſpectu omnium, quibus, omni occaſione, Fructus Spiritus maximè probet ad utilitatem & in exemplum; quæque ulterius eſt ἀδιάκριτος NON DIJUDICANS, quæ, ex parte ſua, non diſceptat contra teſtimonium & præcepta Dei, non quærit ſubterfugia, ut veritatem cupiditati ſuæ inimicam vel eludat vel torqueat; ratione Judicii circa proximum vero, reſpectum perſonarum non habet; quæque denique etiam eſt ἀνυπόκριτος NON SIMULATA, ratione doctrinæ fidei, non aliud extùs agens & proferens, aliud intùs intendens, ſed, in ſimplicitate cordis voluntati Dei obſequens, adeoque ſapientia quæ ſola ædificat, qualem diſciplinæ humanæ, quæ linguas, hiſtorias, veritates etiam ipſas naturæ & S. Scripturæ extùs proponunt, nunquam ſuppeditant, niſi ſimul ad illas & ſancta *meditatio*, & quotidiana pietatis *exercitatio*, & *oratio* filialis, & nonnunquam etiam *tentatio* acceſſerit. Requiritur itaque 1) *meditatio*, ſeria nempe mentis applicatio ad res divinas, qua quis, abnegatis propriis viribus & imploratâ Spiritus S. gratiâ, animo ſimplici, non judicandi ſed diſcendi cupido, jam data occaſione, jam ſtato tempore, tum Sacras Literas, tum operæ naturæ, gratiæ & gloriæ ita perpendit, ut ex iis aliquid eliciat, quod ad Dei gloriam & noſtram ædificationem facit, & inde in dies vitæ ſanctioris, cultus fervidioris, & ſpiritualium deſideriorum atque affectuum incitamenta petat, modo per vota, modo per querelas, ſoliloquia aut preces expreſſa; in cujusmodi

1) per meditationem.

meditationum ſacrarum exercitio ſcripta *Joſephi Hall*, *Tayloris* &c. exercitatiores nos reddere poterunt. *Gregorius* M. in *regulis paſtoralibus* eleganter *arcam fœderis* cum *Chriſto*, quatuor *circulos* arcæ cum IV. *Evangeliſtis*, mediantibus quibus Chriſtus circumferatur, *vectes* autem de ligno Sittim cum *doctoribus Eccleſiæ* confert, qui ſemper in his circulis ſint, nec extrahantur ex illis, quomodo ex *Exod.* XXV, 12. continuam illis ſacrarum literarum meditationem, integro capite, commendat Lib. II. Cap. XI. Has comitabitur 2) *exercitatio* quotidiana *pietatis*, ſecundum *Pauli* mandatum 1. *Timoth.* IV, 7. Exercebit autem illam vir Dei, quando jugi *vigilantiæ* atque *ſcrutinio* ſui ipſius inſiſtit, reſpectu peccatorum originalium, actualium, ſpecialium cordis, oris & operum, quando quotidianam, & majorem in dies *abnegationem* & victoriam addit concupiſcentiæ naturalis, corruptionis propriæ, relationum externarum quæ ipſum ab officio retrahere poſſent, delitiarum item & voluptatum vel licitarum, honorum, commodorum, etiam donorum ſuorum, quando his examen adjungit ſpecialioris ſuæ *experientiæ* v. g. reſpectu iræ Dei adverſus peccata, amoris Dei in exercitio fidei & charitatis, caſtigationum, impletarum promiſſionum, vel in ſe vel in aliis, tentationum atque victoriæ de illis; providentiæ itidem Dei, generalis ac ſpecialis, vitæ etiam fidei, qualiter ſe illa exerat in ſtatu diverſo, proſperitatis & afflictionis, in vocatione ſpeciali & generali &c. Hæc omnia vero, imo totum miniſterium, 3) filialem etiam flagitant *orationem*, quâ, ſibi ſuisque viribus diffiſus, in fide *Chriſti* omnem ſapientiam neceſſariam, & quæ ad vitam & pietatem pertinent, petit. Ad hæc denique 4) ſæpè etiam accedit *vexatio* quæ intellectum dat.

Marginalia: 2) per exercitationem — 3) per orationem — 4) per tentationem.

§. IV.

Marginalia: Studium pietatis.

Ubi vero, hac demum ratione, cœleſtis ſapientiæ atque prudentiæ, quæ officia tradit, ſalutarem notitiam nactus eſt paſtor, in id etiam juxta incumbet, ut, benè vivendo, in externa *converſatione*, veſtigia ſequacibus imprimat potius, quam loquendo, & quo gradiantur oſtendat, quippe à cujus æſtimatione populus *Grex* vocatur. Qualis illa eſſe debeat, *Gregorius* M. lib.

Digitized by Google

lib. cit. Lib. II. Cap. I. ad paucas haſce regulas reducit: *Sit cogitatione mundus, actione præcipuus, diſcretus in ſilentio, utilis in verbo, compaſſione proximus, non cunctis contemplatione ſuſpenſus, benè agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum juſtitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum ſolicitudine non relinquens.* Summus ejus ſcopus ſit, ut ubique, & omni tempore gloriam Dei promoveat, ſe intaminatum ſervet à mundo, ut & res ejus œconomica reſpondeat muneri, τρόπος ſit ἀφιλάργυρος *Hebr.* XIII, 5. Familiam in quiete & abſtinentia à pompa ſeculi gubernet, cum uxore caſtè, cum amico fideliter, piè vivat; Liberos in omni modeſtia, caſtitate, ſtudio pacis educet, ipſum famulitium ejus Deum timeat, ut ſit typus Familiæ Chriſtianæ; erga cives comis, modeſtus, pacificus & humilis ſit, ut pateat paſtorem ſe eſſe ovium, erga ſuperiores venerationem oſtendat, à vitilitigatione liber, adeoque ſit illuſtre, in honeſta vitæ gubernatione, exemplar. vid 1. *Petr.* V, 3. *Tit.* II, 7. *Phil.* III, 17. 1. *Corinth.* IV, 16. 1. *Petr.* II, 12. 1. *Timoth.* III. & IV. *Tit.* I. Cap.

§. V.

Incongruum non erit, ſi ſpecialia quædam, quæ *Paulus* 1. *Timoth.* III. & IV. *Tit.* I. ab Epiſcopo poſtulat, officia conſideramus. Sic requiritur 1) ut ſit ἀνεπίληπτος *irreprehenſibilis*, qui præteritum etiam vitæ tempus non minus quam præſens ſine labe peregerit, ut præſtet ipſe & præſtiterit, quod aliis commendat, ne cœteroquin illi dici queat: Medice cura te ipſum; extrahe priùs trabem ex oculis tuis, unde omnino præſtat, ut quis, ſi ſcandalis gravioribus juventutem polluerit, ad aliud vitæ genus transeat, ne vitia à pietatis hoſtibus ipſi objiciantur, aut efficaciæ muneris obſtent. 2) Ut ſit μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ *unius uxoris vir*, oppoſitè non ad nuptias ſecundas, ſed ad bigamiam & polygamiam ſimultaneam, de quo articulo omnino legi meretur *Diſſert.* quæ nuper prodiit, *Joh. Georg. Walchii* de *Epiſcopo unius uxoris viro* ad 1. *Timoth.* III. 2. in qua diverſæ, ad hæc Apoſtoli verba, proponuntur & examinantur, veterum, recentiorum,

Ejus characteres.

a) In officiis erga ſemet ipſum.

tiorum, ſententiæ. Conf. *Calixtus* in *Tract.* de *Conjugio Clericorum.* *Bingham in Origin. Eccleſiaſt.* Lib. IV. Cap. V. § 5. *Pearſon* in Diſſert. *de ſerie & ſucceſſione priorum Romanæ Eccleſiæ Epiſcoporum* pag. 186. *Boehmer Jur. Canon.* Lib. III. Tit. 3. & *Campeg. Vitringa de Synag. Vet.* Lib. III. part. I. cap. IV. quem, verba Apoſtoli de Polygamia Succeſſiva explicantem, refutavit *Joh. Markius* in *Exercit. Scriptur. ad N. T.* Num. XXIII. p. 643. ſeqq. Jubet abhinc 3) ut ſit νηφάλιος *vigilans*, μὴ πάροινος *non vinolentus.* Quia qui plenus vino, plenus non tantum Spiritu non eſſe poteſt, ſed etiam turpis eſt & deſpicabilis. Docuit triſtis experientia, quod in *Noacho* ebrietas una hora retexerit, quod ſobrietas plurium centenorum annorum occultavit; quod *Lothum*, quem Sodoma non ſeduxit, vinum vicerit; quod, qui per temulentiam in ſanctuarium erant ingreſſi, *Nadab* & *Abihu* per Domini fulgur fuêre ejecti, ſicuti, hac de cauſa, lex de non bibendo vino, ſi quis accedere velit ad Altare, huic hiſtoriæ ſubjungitur. *Levit.* X. 9. Unde etiam, in primitiva Eccleſia, in conſtitutionibus Apoſtolicis, Conciliorum aliquot Canonibus, in ordinationibus variis, itidem hodiernis, Eccleſiaſticis, expreſſè ſancitum, quod clericis tabernas vinarias, & cauponas, extra caſum itineris, ingredi non liceat, atque injunctum fuit illis, ut vel á frequenti conviviorum uſu, quantum ſine detrimento charitatis & ædificationis fieri poteſt, abſtineant. Vult porro Apoſtolus, ut 4) Epiſcopus etiam ſit σώφρων, *ſanæ mentis*, modeſti & moderati animi, ἐγκρατὴς *continens Tit.* I, 8. atque in exercitio utriusque virtutis κόσμιος *bené compoſitus*, honeſtè ornatus, ut proin inde ſanæ mentis ſit & judicii, cujus ea ſit conſtitutio, ut nec ſibimet ipſi nimiè in externis indulgeat, nec mens ejus ſit, vel odio, vel invidia aut pravo in alios ſtudio, vitiata; *hinc* vero continua continentiæ & moderationis præbeat Teſtimonia, *tum* in *Veſtitu*, qui nec ſordidus nec affectatus eſſe debet, ne formâ veſtium deformitatis mentis, inde ad ruſticitatem hinc ad faſtum Seculi declinantis, typum prodat. Ad hunc Articulum obſervari meretur, quid ſentiendum ſit de *Crinibus ſuppoſititiis* (Perruquen) ad tegumentum capitis adhibitis? videatur *Spenerus* in *Conſil. Theol. Germ.* Part. II. cap. III. Sect.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI pag 476. ſeqq. *Bœhmer Juris Eccleſ.* Lib. III. Tit. I. p. 60; *tum* in *Victu*, ubi, vi hujus continentiæ & ſobrietatis, ipſi abſtinendum eſt ab omni exceſſu, ut in potu ita etiam in cibis ſive delicatioribus ſive nimiis, dum, qui ventrem immoderatis cibis implent, eumque ſic Dei inſtar habent *Phil.* III, 19. æque ac vinolenti, Spiritus S. donis ſe privant, *tum* denique in *omni Converſatione*, ut, in geſtibus, ſermonibus & rebus agendis, conſcientiam ubique & omni tempore habeat bonam, ut ſe ab omni ſcurrilitate, dicacitate, proclivitate ad jaculandum in alios, ſive præſentes ſive abſentes, á nimio quoque, intempeſtivo, illicito riſu & joco abſtrahat; in quem finem Paſtoribus etiam ſcholis iſtiusmodi dicacitatis & nugarum, *Comœdiis* nempe, adeſſe, á veteribus rectè fuit prohibitum, ſcilicet illis quæ ſcelerum palæſtræ, & vitiorum officinæ ſunt, ſordidæ, quæſtuoſæ ab Hiſtrionibus occupatæ, quibus ſeſe rectè *Voetius Diſp. Select.* Part. IV. Diſp. XXIV. & XXV. & alii oppoſuêre; quo ipſo tamen non prohibentur *Dramata*, Juventuti in eum finem præſcripta, ut, animatâ commemoratione & vivâ picturâ, exprimant moralium præceptionum hiſtorias, ad inflammandum amorem virtutis, ad confirmandum vitiorum odium, ad dignoſcendum hominum mores. Vid. J. L. *Fabritius*, in *Tract. de Ludis Scenicis.*

§. VI.

Quam vero reſpectu ſui *Curam* habet Epiſcopus, eandem & *proximo* debet, unde *Paulus* porro præcipit, ut ſit φιλόξενος *hoſpitalis*, ut non tantum advenis, peregrinis, ſed omnibus ſanctis, cum egent, pro modulo communicet conf *Hebr.* XIII, 2. μὴ αἰσχροκερδὴς *non deditus turpi lucro*, non avarus, hinc ἀφιλάργυρος *nec deditus theſauris coacervandis* conf. *Hebr.* XIII, 5. 1. *Tim.* VI, 10. Non decet Epiſcopum tenacem eſſe, ut neminem in ædes admittat. Interim hoc ipſo non præcipitur, ut advenarum omnium communis ſit hoſpes, nec enim aliter illi hoc benefaciendi ſtudium imperatur, quam omnibus Chriſtianis, quibus illud pro ratione & modulo facultatis commendabatur vid. 2. *Corinth.* VIII, 12-15. unde, in hunc finem, olim quarta redituum & bonorum Eccleſiaſticorum pars excipiendis hoſpitibus

β) In officiis erga proximum.

adve-

advenis, & ſuſtentandis indigenis pauperibus deſtinata fuit, de quo videri meretur *Joh. Launoius de reditibus Eccleſiaſticis*, &, ex noſtris, *Lambertus Danæus in Ethica Chriſtiana* Part. IV. Lib. I. c. 8. & 19. Non licet etiam Paſtoribus, ut ex rebus, per ſe equidem non inhoneſtis, ſed á ſuâ tamen vocatione alienis lucra captent, & commoda quærant. Hac de cauſa clericis in ſpecie prohibitum fuit, ne *uſuras* capiant, id quod illis illicitum eſſe probavit multis B. *Aretius Problem.* Part. I. pag. 612. cui accedit *Brunnemannus Jur. Eccleſ.* Lib. I. cap. VI. membr. 10. §. 6. Defendunt tamen uſuras *Jac. Andreæ in quatuor concionibus* 1588. editis, & *Bidembachius Conſil. Theol. decade octava, deciſione* 6ta. Medium tenent fideles, qui inde quidem nec mutuum negant, nec uſuras accipiunt, quæ incommodum adferunt proximo, & cum charitate pugnant. Hac occaſione quæritur, *an opificium exercere*, ac *munus Politicum adminiſtrare liceat Paſtori?* Prius & poſterius inter Judæos moris erat. Etiam *Paulus*, opificio ſuo, ſuis conſuluit neceſſitatibus. *Act.* XX, 34. 1. *Corinth.* IV, 12., ſed id in ſingulari tantum caſu, in quo verſabatur vid. 1. *Corinth.* IX. Jubet etiam πράσσειν τὰ ἴδια 1. *Theſſ.* IV, 11. Ipſe Chriſtus *judicem* & *diviſorem* agere noluit. *Luc.* XII, 13, 14. Ne vero ſibi, ſuoque commodo ſervire videatur Paſtor, ſit etiam ἐπιεικὴς, qui æquitatem ſtricto juri anteponit, & de jure ſuo cedit, & proximo remittit quæ poteſt, ut, ſecundum expoſitionem *Ariſtot. Ethic.* V, 10. non exquiſitè & ſtricte jus ſuum perſequatur in detrimentum adverſarii, ſed ipſemet extenuet factum, quamvis habeat legem pro ſe. Requiritur porro, ut ſit ἄμαχος *alienus á pugna*, litium & rixarum abſtinens, ultionem nec meditans, nec optans, non modo non πλήκτης *percuſſor*, ſed nequidem ὀργίλος *iracundus*, hinc etiam alienus eſſe debet ab uſu armorum. Non favet hîc exemplum *Zwinglii*, qui Tigurinis, cum hoſtes in agro jam graſſantes inhibere decreviſſent, armatus etiam adfuit. Factum hoc fuit tantum more & lege patriæ, quâ, cum urbis vexillo, Paſtor, propter animarum ſalutem, in aciem progredi tenetur, & copias militares ſequi, non ut miles, ſed ut animarum Paſtor, quò & animum, ad pugnandum pro patria, militibus addat, & mortis pericula incurrentibus ſolatia

præ-

Digitized by Google

præbeat. Denique *non* ſit etiam Paſtor περίεργος *curioſus*, 1. *Tim.* V, 13. nec ἀλλοτριοεπίσκοπος 1. *Petr.* IV, 15. *alienorum explorator*, percontator, ſciſcitans hinc ſcrutansque, ut alios traducendi materiam captet 2. *Theſſ* III, 11. 1. *Tim.* V, 13., ſive etiam, alia quam ſua agendo, negotiis ſeculi ſeſe nimis involvat. Sat ipſi ſit, in ſuo opere fidelis inveniri. 1. *Corinth.* IV, 2.

§. VII.

Secunda pars officii Domini *Gregem* ſpectat, & in ſingulis ſuis membris, & in cœtu congregato, curandum; ubi in ſingulis quidem quotidiana & perpetua cura impendenda eſt, quæ non una eademque omnibus competit, quia nec par morum qualitas cunctos adſtringit, ſæpe namque aliis officiunt, quæ aliis proſunt, ſicuti lenis ſibilus equos mitigat, & catulos inſtigat. In eum igitur finem 1) Varia hominum genera in commiſſo grege diſtinguat Paſtor, qui ſunt *vel mortui ſpiritualiter*, idque aut *apertè*, tum ex peccato originali tantum, ut infantes & rudes, tum ex conſuetudine peccandi; *vel* planè etiam *quaſi indurati*, aut *tectè* tales, &, per hypocriſin, malitiam cordis occultantes; *Vel* 2) qui per Dei gratiam, mediante Verbo & Spiritu, *in vitam revocati* ſunt, vario tamen iterum gradu, ut alii ſint ſicuti *Infantes*, alii ſicuti *juvenes*, & potiores inſtar *virorum*; 3) *Vel* tales, *qui*, per infirmitatem naturalem, denuo *in varios morbos incidunt*, jam leviores, jam graviores, ita ut vel ſemel tantum tam graviter lapſi ſint, vel aliquandò pertinaciùs etiam in lapſibus ſuis hæreant, ſive ſoli, ſive formato cum aliis diſſidio; Vel 4) ejus conditionis, ut varia ratione *a Deo*, intùs, extùs, *affligantur*, quibus adeo vario etiam ſolamine ſuccurrendum eſt; Ad hos omnes 5) eorum ſimul etiam aliqualis cura accedit, qui vel extra Eccleſiam errant, vel ab ea deficiunt.

b) Reſpectu gregis totius.

§. VIII.

Cumque non tantum officium Paſtoris ſit, tales in communi pro concione inſtruere, exhortari; ſed etiam in id incumbere, ut oves ſuas non tantum ipſe in ſpecie cognoſcat, ſed etiam eorum ſtatum, aliquando latitantem, ipſis revelet, neceſſe

 eſt,

eſt, ut ad omnia a) ſigna, quibus illi ſeſe produnt, ſolicitè attendat. v. g. Num apud illos juge Scripturarum S. ſcrutinium, indefeſſum ſanctitatis ſtudium, inſigniora crucis exercitia, ſerium precum ardorem, & rerum omnium periturarum ingenuum contemtum videat? quæ ſtatus regeniti, exteriora etiam & luculentiora, indicia ſunt: An vero é contrario obſervet, quod adſit torpor ad pietatis exercitia, precum frigus & abuſus, ſecuritas in vita, Seculi æſtimium, verbi nauſea, bonorum fuga, verba factis contraria? in quibus ſi permaneant, periculoſioris ſtatus indicia extant: Et ſi forte, per hypocriſin, plura tegantur, tum cum attentione, tum etiam iteratis interrogationibus, exquiret, quem ſui, mundi, peccati, Dei, proximi ſenſum habeant, ſitne is contrarius, privativus, lactativus, nutritivus fidei & vitæ, quæ ex DEO eſt, nec ne? Opus eſt, ut, b) pro ratione ſtatus cogniti, remedia etiam congrua applicet, quibus, virtute divina, vel ex morte ſpirituali evocentur, vel in ſanitate confirmentur, vel ægritudini conſulatur, in quibus Paſtor, DEI gratià, feliciter procedet, ſi 1) in Myſteriis, mediisque gratiæ, & purè ſervandis, & ſolicitè applicandis, data qualibet occaſione, fidelis inveniatur 1. *Cor.* IV, 2. 2) Si Paſtor ipſe, eum in finem, debitam credendorum, faciendorum & ſperandorum ἐπίγνωσιν interiorem notitiam, & ſimul omnem αἴσθησιν intimum, beneficiorum ſalutarium viarumque DEI, ſenſum habeat *Phil.* I, 9. ut ſic non tantum נביאים *Prophetas* imitetur, ſed & inter חזים *Videntes* ſit, qui ex propria experientia & ſenſu docent, adeoque ſpiritualiter prudens, ad inſtar *Iſaſcharitarum*, qui ſciverant conſulere, quid quovis tempore Iſraeli conveniat. 1. *Chron.* XII, (XIII.) 32; ut cum diſcrimine agat, lac præbens infantibus, ſolidum cibum adultis. *Hebr* V, 12. atque ſic συγκαταβάσει utatur, quam nec DEUS omiſit *Matth.* XIX, 8. nec Apoſtoli *Act* XXI, 26. eà etiam in verbis uſi 1. *Cor.* VII, 6. cumprimis autem ſolicite diſcrimen operum naturæ & gratiæ in ſingulis, & eorum actionibus atque virtutibus obſervet, de quibus elegantem Cynoſuram dedit *Spenerus* in Tractatu Germanico, von der Natur und Gnade. Si 3) in omnibus paternum, ad curandas animas, affectum adferat, & amore ſincero ſe agi demonſtret,

ſtret, ideoque neminem impetu nimio, & vehementiori affectu pellat mage quam ducat; Vitia enim multo felicius verbo DEI, demonſtratione Spiritus, exemplo vitæ, quam nimio rigore expelluntur: Si etiam, hac de cauſa, abſtineat ab urgendis illis, quæ DEUS non præcepit in verbo ſuo, aut levioribus, veluti ſi ſemper hæreat in reprehenſione vitiorum externorum. Si porro 4) humilis ſit, & ab omni ambitione alieniſſimus, idque non verbis tantum & geſtu, ſed judicio ſuæ tenuitatis & reali prælatione proximi. Qui ſibi placent in laboribus ſuis, atque illis gloriantur ἀπέχουσι τὸν μισθὸν laborum ſuorum quaſi Apocham accepere *Matth.* VI, 2: Humilis adeoque *tum reſpectu Dei*, ut memoria ſuæ indignitatis, infirmitatis, defectuum, maxime in illis quæ officia muneris requirunt, ſemper recens ſit; *tum ratione Proximi*, ut ſeſe aliis non præferat, aliorum labores non ſpernat, ſuosve extollat, vel dicis cauſa excuſet, quarum apologiarum intimus fons plerumque ambitio eſt; *tum reſpectu ſui*, ut ſibi ſoli non placeat pertinaciter, inflatus opinione magnæ vel ſapientiæ vel pietatis *Tit.* I, 7. *Luc.* XVIII, 9. *Deut.* XXIX, 19. 1. *Tim.* III, 6. Ulterius ſi 5) patiens ſit inde in adverſis, ad ferendas calumnias, injurias, perſecutiones, neque etiam hinc nimis timidus. vid. *Franckii Tract.* Von der Menſchen-Furcht, nec, ex oppoſito, nimis audax per ruditatem, affectuum carnalium vehementiam aut faſtum, conſiderans quod, in domo DEI, œconomus tantum ſit, cui non ſua, ſed Domini voluntas pro regula eſt. Si denique 6) ipſemet eadem præſtet, quæ poſtulat ab aliis. Omnium enim requiſitorum & officiorum paſtoralium compendium ſincera pietas eſt. Cumque hæc omnia non ſine Spiritu DEI, ad DEI gloriam & Eccleſiæ commodum, dirigi poſſunt, juſtum eſt 7) ut Paſtor omni ſuo labori preces ſerias, ſine intermiſſione, adjungat, tum pro ſemet ipſo, & felici ſucceſſu miniſterii, ut DEUS ipſi det σύνεσιν ἐν πᾶσι, tum etiam pro illis, qui ejus fidei ſunt commiſſi. 2. *Tim.* II, 7. *Act.* VI, 6. *Jac.* I, 5. *Luc.* XI, 9. 10.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Officio Catechizandi rudes.

Σύνοψις.

Inſtitutio Catechetica §. I. *neceſſaria* eſt. §. II. curanda á *Magiſtratu* §. III. ſuſcipienda tum á *Parentibus* §. IV. tum á *Præceptoribus* §. V. maximè á *Paſtoribus* §. VI. *An etiam ab aliis*, qui verbi divini Miniſtri non ſunt? examinatur §. VII. *Subjectum* hujus informationis ſunt Pueri in Chriſto §. VIII. *Conſectaria* exinde fluentia §. IX. Ejusdem *Methodus* tum quoad *Materiam* & *Formam* §. X. Tum quoad ea, quæ ſive ad *Memoriam* §. XI. ſive ad *Judicium* §. XII. ſive ad *Cor & Affectum* ſpectant §. XIII. *Catechumenorum officia* §. XIV. *& Confirmatio* §. XV. XVI.

§. I.

Inſtitutio Catechetica.

C*Atecheſis* (Vox Græca, à Verbo κατηχέω *perſono*, *circumſono*, quod ex κατὰ & ἠχέω compoſitum, derivata ab ἦχος & ἠχώ, quæ vocabula *Sonum* ſive *ſimplicem*, ſive, ex reflexu & repercuſſione, *geminatum* notant) nomen, juxta uſum verbi κατηχεῖν & κατηχεῖσθαι quod in S. Literis, *generatim* pro *audire* ſive *accipere* aliquid ex aliorum relatu *Luc.* I, 4. *Act.* XXII, 21. 24. *ſpeciatim* pro *vivâ voce inſtituere Galat.* VI, 6. coll. *Rom.* II, 18., uſurpatur, in Eccleſia Chriſtiana denotat, *Elementorum Religionis Chriſtianæ inſtitutionem, quæ ſimplicioribus vivâ docentis voce tradita; & à diſcentibus repetitâ, adeoque per quæſtiones & reſponſiones inſtillatur;* qualis *tum* ex *lege Rom.* II, 18. *tum* ex *Evangelio* facta eſt. *Act.* XVIII, 25. 1. *Cor.* XIV, 19 *Hebræi*, ad hanc inſtitutionem deſignandam, nunc verbo חנך utuntur, *Prov.* XXII, 6. quo *initiatio ſcientiæ alicujus primis præceptis* ſignificatur, nunc voce שנן *Deut.* VI, 7. quia, ut iteratis mallei ictibus ferrum acuitur, vel ad cotem impellitur, ita doctrina legis, filiis populi DEI, ſedulò, frequenter & efficaciter, eſt iteratò proponenda, ut omni-

Digitized by Google

omnibus modis in animam penetret, nec ſecus ac ſi pungantur acumine gladii. conf. *Eccleſ.* XII, 11. *Hebr.* IV, 12.

§. II.

Talem rudium *informationem* eſſe *neceſſariam* 1) ipſa hominum conditio naturalis evincit. Naſcitur homo ut *pullus onagri*, naturâ Deum, resque divinas, & quæ ſunt Spiritûs Dei, nec cognoſcens nec amans, planè ut *ἔκτρωμα abortus*, qui nec aures nec oculos, pro Deo in Chriſto, habet 1. *Corinth.* XV, 8. unde merito prima circa eum cura ſit neceſſe eſt, ut illi elementa religionis mature, iterum iterumque inſtillentur, atque, hac ratione, per Dei gratiam, cœcitas naturalis expellatur. Nec enim putandum, quod, ad diſtinctam ſacrarum veritatum cognitionem, homo rudis per prolixas conciones & orationes perveniat. 2) Ducit nos ad ejusmodi inſtitutiones catecheticas ipſe Deus a) *præformando* mentem omnium ad notitiam primarum veritatum, *ſapientiam* ponendo *in renibus* ſive intimis animæ receſſibus, & dando לשכוי בינה *intellectui* ſive rationi *prudentiam*, facultatem oblatarum rerum ſpecies dijudicandi. *Job.* XXXVIII, 36. conf. *Rom.* I, 19. II, 14. 15. b) *praeundo*, etiam in informatione vocali, ſicuti factum in *paradiſo Geneſ.* III, 15. ubi catecheſis occurrit viventium ſub tempore promiſſionis, in *Veteri Teſtamento* per *Decalogum*, voce clara & diſtincta, propoſitum, ceu catecheſin fidei & morum *Exod.* XX. ſub *Evangelio*, quando nunc non modo *Moſe*, ſed *omnis caro os Domini* audivit. *Jeſ.* XL, 5 Confer. *Matth.* Cap. V. VI. VII. quippe in qua inſtitutione Chriſti ὑποτύπωσιν ſanantium ſermonum, in fide & charitate habemus; c) commendando & *præcipiendo* liberorum informationem. vid. *Deut.* IV, 9. 10. VI, 7. 20. *Exod.* XII, 16. Idem comprehenditur in *mandato Chriſti Matth.* XXVIII, 19. & quando Eccleſiæ *poteſtatem clavium* conceſſit *Matth.* XVI, 19. cum, per uſum earum, & elementorum fidei inſtillatione, &, poſt horum notitiam, fidem profitentium admiſſione, Eccleſia, veluti per claves, reſerari debuit, planè ſicuti per fundamentalem doctrinam de Chriſto, myſteria, typi, vaticinia omnia reſerantur. 3) Id ſibi negotii datum eſſe, etiam credidêre *paren-*

Neceſſaria eſt.

tes & primi *Eccleſiæ doctores*. Vid. *Geneſ.* XVIII, 19. & *Joh. Ulrici Pregizeri Catecheſis Abrahamitica Jeſ.* XLIV, 1-5. Hinc & 4) inſtitutio hæc catechetica *tum* praxi primitivæ Eccleſiæ confirmata, tum variis ſcriptis & monitis doctorum Eccleſiæ commendata fuit. Sic enim Eccleſia ſingulares ſuos habuit *catechetas*, quales initio quidem ex reliquis miniſterii Eccleſiaſtici ordinibus promiſcuè legebantur, ubi vero incrementum cœpit Eccleſia, propter varietatem ac molem negotiorum, paulatim diſtingui à cæteris, ac in peculiarem claſſem redigi cœperunt, teſte *Ambroſio Comment. in Epiſt. ad Epheſ.* Cap. IV. atque excelluerunt olim in hoc doctrinæ genere, in Eccleſia Alexandrina, *Clemens*, *Origenes*, *Heraclas*, *Dionyſius*: in Hieroſolymitana *Cyrillus*, alii alibi ab *Euſebio*, *Hieronymo*, *Auguſtino* laudati. Vid. *Auguſtini Liber de catechizandis rudibus. Cyrilli Hieroſol. Catecheſes*; &, quoad hiſtoriam doctrinæ catecheticæ, omnium inſtar *Joh. Franc. Buddei Iſagoge Hiſt. Theol.* Lib. II. Cap. I §. XI. & XII. confer ex noſtris *Jac. Lenfant Diſſert. de Catechiſmis Joh. Henr. Hottingerus Bibliothecar. quadripartitus.* Lib. III. Cap. I. *Henr. Altingius in Prolegom. ad Explic. Catech.*

§. III.

Curanda à Magiſtratu.

Cumque ex Eccleſiæ membris primarium ſint *Magiſtratus* & Principes Chriſtiani, eorum etiam officium eſt, in id incumbere, ut juventus, & maturè & ritè, in fundamentis religionis inſtruatur. Ita & hi *filios* ſuos *docent arcum* ſpiritualem tractare 2 *Sam.* I, 18. ita demum *reges* ſe *nutritios*, & *reginæ* ſe *lactatrices* eſſe oſtendunt. *Jeſ.* XLIX, 23. LX, 16. Verba enim hæc ad minimum id etiam inferunt, curam habituros Principes incrementi Religionis Chriſtianæ vel in rudioribus, lac enim & infantum cibus eſt, & incrementi medium. Impleta hæc quoque ſunt in N. T. quando Principes Chriſtiani varia edicta, & conſtitutiones, ad ædificationem Eccleſiæ propalam collocarant: qualia ſunt edicta CONSTANTINI M. de quibus vid. *Euſebius de vita Conſtantini* & in *Cod. Theodoſ. Libr. ult.*, itidem CAROLI M. *Capitularia Eccleſiaſtica*, *epiſtola encyclica* ſive circularis, *de Baptiſmo*, *ejusque ritibus*, *de ſymbolo inter baptizandum uſurpato* &c.

ad

Digitized by Google

ad Odilbertum, *Archiepiſcopum Mediolanenſem*, à *Mabillonio* evulgata *analect.* Tom. I pag. 21. vid. *Guil. Cave Scriptor. Eccleſ. Hiſt. Literaria* ad Sæc. IV. An. 316. p. m. 183. ſeqq. & ad Sæc. VIII. An 768 p. m. 632. ſeq. Ex quo autem *Reformatio Eccleſiarum*, Sæculo XVI., inſtitui cœpit, ad hoc maximè negotium de catechizandis rudibus, quod per anteriora ſæcula prorſus refrigueerat, nova impenſa fuit opera, per edicta quam plurima principum Evangelicorum. De *Saxonicis* & *Brunſwicenſibus* vid. *Brunnemannus Jur. Eccleſ.* Lib. I. Cap. VI. Singularem, ex noſtris, in hac cura laudem merentur FRIDERICUS III. *Elector Palatinus* & ſucceſſores ejus, qui in id juxta incubuere, ut principia religionis juventuti Chriſtianæ mature inſtillentur, qua de cauſa etiam *illius* juſſu & auctoritate *catecheſis* noſtra *Palatina Heidelbergenſis* conſcripta fuit, & An. 1563. lucem publicam adſpexit, cui, & in ordinatione Eccleſiaſtica Palatinatûs notabile edictum, de ſedulo volvenda hac catecheſi, præmiſſum. Cumque juventus imprudens ſic ſatis ſæpè pervicaciter inſtitutioni catecheticæ adeſſe renuat, ut tepori illius occurratur, non modo mandata de frequentanda illa iterata fuere, ſed & Saxones mulctam negligentibus impoſuêre *Ordinat. Eccleſ. artic.* XVII. Conf *Arnold. Mengeringium* in *Scrutinio conſcientiæ catechetico Cap.* VIII. *Quæſt.* 67. quorſum tamen non facile veniendum, niſi tam rebelles ſint juniores, ut etiam alios ſeducant, præſtat cæteroquin amore magis veritatem mentibus illorum inſtillare, quam ſi, ex metu pœnæ coacti, vi ad talia conſtringantur.

§. IV.

Suſcipienda tum à parentibus.

Poſt Magiſtratum vero cum maximè *parentibus* incumbit, ut *liberos* ſuos cum *familia*, in principiis religionis inſtituant, ejusmodi cura *Abrahamo* fuit, quem Deus ipſe hoc teſtimonio ornat, quod *filiis ſuis*, & *domui ſuæ poſt ſe*, familiæ, ſervis, poſteritati, *præceperit viam Jehovæ*, viam Domini ad Eccleſiam, & Eccleſiæ ad ipſum, ad quæ duo capita principia religionis, in fide & charitate, referri poſſunt, *ad faciendum juſtitiam*, reſpectu piorum, & *judicium*, quale tum temporis inſtabat Sodomitis, ratione improborum. *Geneſ.* XVIII, 19. His principiis inſtitit

ſtitit *David Pſal.* LXXI, 18. Hoc ſibi negotium datum eſſe credant omnes parentes, de quibus graviter, ut ſolet, *Lutherus Oper. Tom.* IV. *edit. Jenenſ.* fol. 524. *Vatter und Mutter ſeynd in ihren Häuſern Biſchoff, Pfaff, Käyſer, Fürſt und Herrn, darum ſoll ein Vatter wie ein Richter ſtraffen, lehren wie ein Doctor, fürpredigen wie ein Pfarrer.* Eſt vero obſervandum, quod hæc informatio differat ab informatione paſtorali, maximè ratione diverſæ ætatis, ubi minus paſtoribus, plus vero parentibus, pro temporis diverſitate, incumbit. Sic, cum *ætas* humana communiter in *accreſcentem* παιδίων, *conſiſtentem* νεανίσκων, & *decreſcentem* πατέρων diſtinguatur; *accreſcens* iterum in *infantiam*, *pueritiam* & *adoleſcentiam* ſecernatur, & unicuique ſeptennium ſuum adjungatur, *primum* autem *ſeptennium* τῷ ὀδοντοφυεῖν dentium emiſſioni attribuatur, atque tempus ſit, quo infans nondum perfectè vel incedere, vel loqui poteſt, per primum illud tempus infans ſaltem non ordinarium paſtoralis curæ ſubjectum eſt, ſed juſtum eſt, ut & parentes & præceptores, intra hoc tempus prima, memoriæ infirmiori, fundamenta, ex hiſtoria ſacra, inſtillent.

§. V.

Tum à præceptoribus.

Itaque cum parentibus etiam *præceptorum* in ſcholis, tum privatis, tum publicis, cura eſſe debet, ut juventus, & in urbibus & in pagis ſingulis, in fundamentis doctrinæ Chriſtianæ ritè & rectè inſtituatur, nec in ediſcendis tantum, ſed & in intelligendis catecheſeos rudimentis exerceatur. In hunc finem *Synodus Dordracena*, ſeſſione XVII. de hoc officio potiſſimum agens, triplicem catecheſeos formulam commendavit, ita ut *primò* generaliter quinque capitum, ſymboli ſcilicet, decalogi, orationis Dominicæ, Sacramentorum & diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtitutio præmittatur, hanc *ſecundò* excipiat breve illud compendium catecheſeos, quod illi in fine ſubjunctum eſt, tumque *tertiò* ſequatur catecheſis Palatina ipſa, profectioribus ætate & profectu inſtillanda. De fide autem & induſtria præceptorum, ſimulque de juventutis profectu ut conſtet, officium paſtorum erit ſcholas ſæpiſſimè viſitare, præceptorum diligentiam acuere,

in

in ratione catechizandi præire, atque ſic exemplo ſuo illas inſtituere.

§. VI.

Neque tamen hoc onus tantum in ludimagiſtrorum humeros eſt conjiciendum. Pertinet etiam hoc officium ad *paſtores*, ſive ita ut, ubi plures ſunt, quidam ex profeſſo huic operi deſtinentur, uti quidem ab initio, ut vidimus ſupra, catechetarum munus, maximè Alexandriæ, à munere concionatorum diſtinctum erat; unde etiam hodienum quidam optant, ut, ſicuti ad officium conſolandi ægros certæ perſonæ vocantur in Belgio, ita etiam hodienum diſtincti catechetæ ſint, διδάσκαλοι νηπίων *Rom.* II, 20. qui tanto accuratius huic negotio vacent. Vid. *Hoornbeck. Miſcell.* Lib. I. Cap. XII. Sect. 2. *Scriveri Seelen-Schatz* Part. II. Concione. IV. §. 12., ſive id cum munere concionandi jungatur, prouti, nec in priori caſu, ab omni rudium informatione Miniſtri ſe planè & plenè eximere vix poterunt, quia labor hic curæ animarum pars eſt, ipſisque imponitur diſertè, quando jubentur dare unicuique ſuum σιτομέτριον *Luc.* XII, 42. rudioribus *lac Hebr.* V, 12. 1. *Corinth.* III, 1. 2. *paſcere agnellos Joh.* XXI, 19. Sicuti & *Paulus* ipſe, non tantum publicè, ſed etiam per ædes, docens omne Conſilium Dei *Actor.* XX, 20. ſine dubio etiam ſimplicioribus prima fundamenta inſtillavit: *Hebr.* V, 12. VI, 1. & *maluit quinque verba* (alluſione forſan factâ ad quinque capita religionis Chriſtianæ *Hebr.* VI, 1.) *intelligenter loqui, ut & alios* κατηχήσει *catechizet, quam decem mille* λόγους ἐν γλώσσῃ *verba in lingua peregrina* 1. *Corinth.* XIV, 19. Ita, cum Baptiſmo, Chriſtus Apoſtolis ſuis etiam injunxit, ut baptizatos faciant diſcipulos, & *doceant* eos *ſervare quæcunque ipſe præcepit Matth.* XXVIII, 18. 19. nec poterunt Miniſtri aliquem ad S. Cœnam admittere, niſi qui fidei ſuæ rationem ſufficienter reddat, de qua illi demum, qui eam aliis inſtillarunt, optimè convicti eſſe poſſunt. *Objectiones* aut à *vilitate catechiſmi*, aut à metu, quod homines *per crebras, & accuratiores inſtitutiones catecheticas nimis elati* fiant, aut à *mole negotiorum aliorum*, ſimilibusque deſumtas prolixè ſolvit *Voetius* in *Polit. Eccleſ. Part.* I. *Lib.* II.

Maximè à paſtoribus.

Tract. III. Cap. I. Conf. *Seckendorff Chriſten-Staat* Lib. III. Cap. I. & II. *Spener von der Natur und Gnade* Dedicat. pag. 41. 42. *Arnold Geiſtliche Geſtalt eines Evangeliſchen Lehrers.* Pars II. Cap. XIII. &, ex Pontificiis, *Caroli Borromæi*, Epiſcopi Mediolanenſis, *inſtructiones* & *decreta* hinc valdè laudanda. His proinde non obſtantibus & Miniſtris, à *Synodo Dordracena*, catecheticæ inſtitutiones maximè commendantur *Seſſ.* XVII. Neque tamen omnes, vel ex Miniſtris, ad hoc munus idonei ſunt, ut juvenum catechetas agere cum fructu queant. *Eraſmus* omninò rectè & *arduum* & planè *ſenile munus* hoc eſſe dixit, ad quod ſingularis alacritas, prudentia, patientia, comitas atque zelus requiratur.

§. VII.

An & ab aliis?

An non & aliis Chriſtianis, *qui Verbi divini Miniſtri non ſunt*, permitti queat, ut pueros ſive juvenes catechizent, & quæri ſolet, & omnino poſſet, maximè ſi catechiſationes tam neceſſariæ, & in Scholis & in Eccleſiis, nimis negliguntur ab illis quibus hoc munus incumbit? Hic equidem 1) optandum eſſet, ut nemo officio ſuo deſit, dein 2) obſervandum, quod ſaltem non univerſales eſſe debeant ejusmodi privatorum catechiſationes, quia, niſi ſeriò & ſedulò ad eas attendatur, varii gravesque errores, ſub hoc prætextu, irrepere, & animis juniorum inſtillari poſſunt. Et, cum 3) catecheſis à præconio publico non re, ſed modo tantum differat, non eſſet illud permittendum, niſi propiore indagatione talis catechizans orthodoxus, & ad docendum idoneus inventus & declaratus fuerit. *Hebr.* V, 4. *Jac.* III, 1. *Jerem.* XXIII, 21. Interim ſi omnia manent intra debitos cancellos, charitatis utique erudire ignorantes non minus, quam monere inordinatè ambulantes, & conſolari puſillos animo, omnium eſt. 1. *Theſſal.* V, 14. ſicuti ad commune officium ſpiritualis ſacerdotii pertinet dona ſua communicare cum aliis 1 *Petr.* II, 9. *Actor.* XVIII, 26. Sic & *catecheſes* habemus, non ſine fructu, à *Politicis* conſcriptas, uti inſignis uſus eſt libellus *Gerb.* van *Maſtricht* JCti primum Teutoburgenſis, dein *Syndici Bremenſis*, ſub titulo: Kinder-Ubung. *Frider. Brecklingii* modus

modus catechizandi utilis. Amſtelod. 1661. editus ſuam etiam laudem meretur. Et *Joh. Charlierius* de *Gerſon*, Pariſienſis academiæ Cancellarius, ſua ætate celeberrimus, non tantum tractatum *de parvulis ad Chriſtum trahendis* ſcripſit, ſed & in catechizandis parvulis, maximè in poſtremis vitæ annis, ita totus fuit, ut, cum vires ejus decreſcerent, parvulos ſecum in templum duxerit, eorumque precibus Deo commendari voluerit.

§. VIII.

Subjectum lactis catechetici ſunt *pueri in Chriſto*, *Hebr.* V, 13. 14. ſive *per ætatem* tales, ab anno maximè ſeptimo ad decimum quartum, ſive *per conditionem*, ubi pro pueris in Chriſto habendi ſunt ab una parte, & reſpectu *cognitionis extenſivæ*, qui neſciunt elementa religionis Chriſtianæ, & ἄπειροι ſunt λόγου δικαιοσύνης i. e. *inexpertes* aut *ſermonis juſtitiæ*, ut eam ex Verbo Dei demonſtrare nequeant, aut, quia articulus omittitur, *ſermonis juſti* ſeu *articulati. Hebr.* V, 13. adeoque qui cibum firmiorem nondum ferre poſſunt, atque doctrinas ſublimiores vel planè non comprehendunt, vel non ſine difficultate multa, & cum utilitate nulla audiunt, qui, per habitum, nondum tenent ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni & mali; & quibus, ab altera parte, ratione *intenſivæ* & *ſalutaris notitiæ*, fides etiamnum infirma & initialis eſt, diverſa ab illa quæ adoleſcentibus & parentibus in Chriſto competit, adeoque quorum 1) *cognitio*, de officiis & beneficiis ſpiritualibus, etiamnum tenuis & obſcura eſt, ſimilis viſui illius cœci, quem Chriſtus ſanavit, qui homines viderat ambulantes inſtar arborum; quorum 2) *aſſenſus* magè etiamnum ſuper teſtimonio hominum *Joh.* IV, 42. quam auctoritate Dei, magè ſuper ſignis & prodigiis *ibid.* ℣. 48. quàm ſenſu gratiæ Dei ſtat, & qui proin etiamnum ſuam patitur hæſitationem, ita ut ejusmodi pueri facile fluctuent, & ſibi patiantur imponi per verſutiam hominum. *Ephef.* IV, 14. quorum porro 3) *deſiderium* Chriſti etiamnum valdè luctatur cum prævalentibus in initio concupiſcentiis carnis 1. *Corinth.* III, 1. 2. 3. & quorum 4) tandem *fiducia* multiplici diffidentia laborat, partim ex nativæ diſpoſitionis debilitate, partim ex obſtaculorum

Subjectum ſunt pueri in Chriſto.

Digitized by Google

vigore & repugnantia vehementiore. *Marc.* IX, 24. *Joh.* XI, 26. 40.

§. IX.

Conſectaria inde fluentia.

Cum vero hæc omnia puerum in Chriſto reddant, exinde patet, a) quod *lac* illud *catecheticum* non pertineat tantum ad juniores ætate, ſed etiam pluribus, imo, pro rerum noſtrarum ſitu, plerisque *adultis neceſſarium* ſit, quippe qui plerumque & in cognitione & in fide, ultra initia non progrediuntur, licet in ipſa Eccleſia nati ſint, & ſic à primis pueritiæ annis catecheſin audiverint. Sequitur exinde b) etiam, quod plures, licet, poſt leviter delibata principia religionis Chriſtianæ & ubi ad annos diſcretionis, ita dictos pervenerint, admittantur ad S. Cœnam, poſtea tamen etiam & teneantur, & perſuadendi ſint ad lectiones catecheticas, ſicuti hac de cauſa, & hîc & alibi, per mandata principum injunctum fuit, ut omnes juniores doctrinæ catecheticæ interſint, ad minimum, donec matrimonium ineant, de cujus uſu & neceſſitate plura egregiè dicuntur *in dem Beytrag eines Obadiæ an die Pia Deſideria Speneri* pag. 185. Porro c) ex hisce liquet, quod omnino maturandum non ſit cum admiſſione puerorum ad uſum S. Cœnæ, absque ſolida notitia veritatis Chriſtianæ. Sint enim quidam, ſub fideli inſtitutione, & inter ſerias ſuorum preces, ſecundum promiſſionem divinam *Joel.* II. maturè donorum Spiritus S. participes, ut ſemet ipſos explorare queant, Euchariſtiam etiam, ad confirmationem ſuæ fidei, inſtanter poſtulent, & vitæ pientioris teſtimonia edant, (quos etiam ab uſu S. Cœnæ arcendos non eſſe putamus cum Dn. *Pauli* in *Diſſert.* quæ *puer decennis ad S. Cœnam admiſſus* inſcribitur, & cum *Oſiandro* Part. III. *Theolog. Caſuiſt.* Cap. V.) ſicuti hujus rei exemplum celeberrimum eſt pientiſſimus *Saxoniæ Dux Erneſtus*, de quo, in vitæ ejus hiſtoria, ſcribitur, daß er im XIten Jahr ſeines Alters, mit hertzlicher Glaubens-Andacht, und Erweckung brünſtiger Liebe, gegen GOtt und den Nechſten, zum heiligen Abendmahl gegangen; rariores tamen illi ſunt, quam ut in exemplum trahi queant. Et licet in *agendis* quibusdam, v. g. *Haſſiacis* ſtatuatur, *non eſſe aliquem ante annum duodecimum vel decimum quar-*

tum

tum ad S. Cœnam admittendum, id tamen eò non eſt trahendum, ac ſi ea propter, ad importunas imprudentium parentum preces, ante ſufficientem religionis Chriſtianæ cognitionem, & vivæ fidei data teſtimonia, circa hoc tempus neceſſario quis admitti debeat. Cavebit potius paſtor, ne vel ſic & ipſi juventuti ignaræ anſam Corpus Domini non diſcernendi, & aliis iſtiusmodi admiſſione ſcandalum præbeat. Fluit exinde d) ulterius, quod & cum *Convertendis*, (denen ſo. genanten *Convertiten*) qui de una religione ad alteram transeunt, non maturandum ſit ad ipſorum receptionem in numerum credentium; *tum* quia multo tempore opus eſt, ad transeuntium intentionem dignoſcendam, quippe qui plerumque, ut illi Judæorum, vel *Leonum* vel *Feneſtræ Proſelyti* ſunt, de quibus vid. *Jac. Altingius Oper. Tom.* V. *in Diſſert. de Proſelytis; tum* quia præjudicia, errores & nævi, ex priori religione, illis quaſi naturales, nonniſi per ſufficiens temporis ſpatium, atque ſeriam ſedulamque informationem tolli poſſunt. Sequitur exinde e) denique, quod paſtori etiam incumbat multum operæ impendere, ut & *ſimpliciores* & *famulitia* commiſſi cœtus rectè inſtituantur, cum, per & propter tot continuos labores, raro vel ad initia fidei, & cognitionis prima principia pervenire ſoleant, ita ut labores catechetici apud illos multi majoris uſus ſint, quam frequenter iteratæ conciones. Laudanda certè praxis circa hanc rem in *Saxonia*, ubi, per mandatum Electorale, Anno 1730. injunctum fuit, ut S. Miniſterii Candidati ſpecimen etiam exhibeant inſtitutionis catecheticæ, utque literis præſentatoriis inſeratur, an Candidatus in Catechiſmo juvenibus perſpicuè elucidando idoneus ſit nec ne?

§. X.

A talibus Catecheſis iſtiusmodi Catechumenis tradenda eſt *inſtitutio ſuccincta*, qua fundamenta Doctrinæ Chriſtianæ, quatenus creditu & factu ſunt neceſſaria, per quæſtiones & reſponſiones explicantur; ſi quidem Catechiſmus tum demum fructu ſuo non carebit, ſi, *ratione materiæ*, ea tantum dogmata continet, quæ neceſſaria ſunt neceſſitate ſive medii ſive præcepti, ita ut nihil deſit eorum, quæ Chriſtianus ſcire debet, & (Methodus, tum quoad materiam & formam.)

nihil redundet, quod citra ſalutis jacturam ignorari poteſt; & ſi, *ratione formæ*, ſimplici methodo conſcriptus eſt, eumque in finem probè diſtinguenda eſt triplex *cognitio*, *ſufficiens* ſcilicet, *accurata* & *erudita*, quarum *illa* pueris, *iſta* juvenibus, *hæc* vero viris in Chriſto competit. Ad cognitionem *ſufficientem* pertinet ſimplex articulorum fidei notitia, præcipuè Chriſti & juſtitiæ, ut ad pœnitentiam & fidem facit, qualem in compendio Apoſtolus *Hebr*. VI, 1. 2. ſiſtit, ubi τὸν τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγον quoad materiam, *in pœnitentia* & *fide*, quoad rationem, qua ad hujus materiæ cognitionem pervenimus, in *Sacramentis* & *Miniſterio*; & tandem quoad argumenta perſuadentia, in *reſurrectione mortuorum* & *ultimo judicio* ponit. Vid. *Voetius Polit. Eccleſ.* Part. I. Lib. II. Tr. III. c. I & in *Diſſert. Select.* Part. II. Diſſert. *De articulis & erroribus fundamentalibus.* Cognitio *accurata* involvit ea, quæ ad perfectionem cognitionis ſalutaris conferunt, quæque, quantum cognoſci poſſunt, modum myſteriorum, nexum veritatum indicant, ad conſequendam *ſapientiam inter perfectos*. 1. *Corinth*. II, 6. Cui ſuccedit *erudita*, ad quam referuntur, quæ *in ſcholis* ſæpe controvertuntur de modo ſine modo, quæ ad dogmatum hiſtoriam, criſin &c. pertinent. In ſpecie hoc addendum & obſervandum erit, quod *Doctiſſ. Joh. Frid. Oſterwald*, in egregio libro, *de Fontibus corruptionis*, *quæ hodie inter Chriſtianos regnat*, gallicè ſcripto & in linguam germanicam converſo, cap. I. indicat; Laborem ſcilicet Catecheticum verſari debere *primò* in commendandis veritatibus *generalibus* ad conſcientiam: *Eſſe DEUM*, *Scripturam V. & N. T. eſſe verbum DEI*, *Religionem Chriſtianam eſſe veram*; his *dein* ſubjungi debere *ſpecialia*, eâque methodo, tum quoad veritates theoreticas, tum quoad practicas & morales, ita & hoc ordine procedendum eſſe, ut quædam *memoriæ*, plura *judicio*, omnia *cordi* & *affectui* commendentur. Laudatur hinc præ aliis *Catechiſmus*, quem ipſe modo dictus Cl. *Oſterwald* compoſuit, quique A. 1704. *Amſtelodami* linguâ gallicanâ recuſus eſt, vid. *Buddeus Iſagog. Hiſtor. Theolog*. Lib. II. cap. I. §. XII. p. 380.

§. XI.

Digitized by Google

§. XI.

Memoriæ itaque veritates primæ, capita Religionis Chriſtianæ, adeoque junioribus *Catecheſis* ſaltem *minor*, provectioribus ætate & profectu etiam *major* imprimantur in Scholis & Eccleſiis, nec facile varient Catecheticæ formulæ, ſicuti in *Synodo Dordracena* hac de cauſa judicatum fuit, quod *Belgæ* non aliâ quam *Palatinâ*, & *Gallo-Belgæ* non aliâ quam *Genevenſi* uti debeant *Catecheſi.* Confer. etiam *Conſil. Theolog. Wittenberg.* ſupra cap. V. §. I. laudata Tom II. p. 75. Promtam vero memoriam reddent ſequentia: Si 1) maturè infantibus exponatur *hiſtoria ſacra*, quæ ipſo ſuo ordine de DEO, creatione, lapſu hominis, de peccatorum pœna, de promiſſione gratiæ, de œconomiis fœderis gratiæ, de adventu, ſatisfactione & beneficiis Chriſti, veritatibus memoriæ imprimendis inſervit, id quod etiam genio juniorum apprimè reſpondet. Si dein 2) veritates capitales rudioribus *articulatè*, *perſpicuè*, juſto *ordine* & *frequenter* inculcantur. *Act* XVIII, 24. 25. 1. *Corinth.* III, 2. *Phil.* III, 1. Unde, ſi cum rudioribus agendum, vix conſultum erit ſingulis horis unam tantum Catecheſeos quæſtionem tractare, ſed in id incumbendum eſt, ut intra duos vel tres menſes ad ſummum potiora capita memoriæ mandanda repetantur, operæque pretium erit, ſi, eum in finem, Paſtor, Hypotypoſis ſanorum ſermonum, de fide & charitate 2. *Tim* I, 13. per aliquot partes, ſibimet ipſi formet nexum atque ſyſtema aliquod, ita ut veritates omnes primo ſuccinctè, dein aliquanto prolixius tractari, & ſic, per continuam repetitionem, à generalioribus eundo ad ſpecialiora, abſolvi queant. Exempli loco eſſe poterit ſuperius laudata *Gerb. van Maſtrichts Kinder-Ubung*, ubi inſtitutiones in quatuor partes diſtinctæ occurrunt. Interim ſimul ſolicitè cavendum erit, ne loca & dicta S Scripturæ memoriæ mandanda mutilentur, aut ad dimidiam ſaltem partem proponantur, ſed integra memoriæ infigantur. Sic non ſine periculo fieret, ſi ex 1. *Joh.* cap. I, 7. verba: *Sanguis Jeſu Chriſti, Filii DEI nos purgat ab omni peccato*, ſeorſim & citra priora: *Si autem ambulamus in luce* &c. quæ ſanctificationis in juſtificatis neceſſitatem evincunt, recitarentur, aut memoriæ mandarentur. Porro, ſi 3) quod apud paucio-

Tum quoad ea quæ ſpectant ſive ad memoriam

res

res privatim informandos commode locum habebit, omnes & ſinguli easdem reſponſiones, maxime dicta S. Scripturæ, uno eodemque tempore clare & diſtinctè recitent; Maximè vero ſi, 4) ſub finem informationis, dictorum & expoſitorum brevis, ab ipſo Paſtore, inſtituatur repetitio, atque eadem dein in ſequenti penſo dicendis præmittatur. Denique 5) ſi eadem illa, quæ ex Catecheſi tractantur in Eccleſia, eâdem etiam hebdomade inſtillentur in ſcholis, id quod tantò felicius fieri poterit, ſi ſcholas & ludimoderatorum labores ſedulò viſitat Paſtor.

§. XII.

Sive ad judicium. Ut *judicium* catechumenorum acuatur a) agendum erit per *quæſtiones* & *reſponſiones*, non equidem per easdem ſemper, ſed circa unam eandemque materiam variantes, attamen per quæſtiones captui catechumenorum accomodatas, non nimis generales, non per obſcuras aut ſublimes, nec per quodlibeticas; ſed ſimplices & utiles, de veritatibus verè fundamentalibus, & ad ſalutem neceſſariis; aliquando etiam per quæſtiones & objectiones ab abſurdo petitas, ubi catechumeni, clare videntes quod dicta & objecta, cum Analogia ſuæ fidei non conveniant, ingenii vires excutiunt ad inveniendum reſponſum. Cumprimis, ſi cum rudioribus res eſt, ita formandæ ſunt quæſtiones, ut reſponſio facilis ſit, & vel affirmando vel negando confici queat; ſaltem cum judicio quæſtiones ſuas inſtituat Paſtor, & propterea in id incumbat, ut de veritatibus fundamentalibus ipſemet accuratos & diſtinctos conceptus habeat, eosque expeditè, nunc latiùs nunc ſtrictiùs proferre, datasque reſponſiones explicare, ſupplere & corrigere queat, in quem finem operæ pretium eſſet, ut Catechetica etiam Collegia audirentur, in quibus, quomodo fundamentalia à non fundamentalibus diſtingui, qua ſimplicitate & ſoliditate priora ita proponi queant, ut juventus ſermonibus fidei ritè & recte innutriatur, docerentur. Sic requiritur b) ut Paſtor, cum catechumenis, familiariter agat. Nihil magè judicium ſupprimit, quam metus quidam ſervilis, unde nec minis, nec conviciis nec verberibus agendum, nec in ruborem facile conjiciendi ſunt, ſi vel erraverint, vel ſiluerint.

Si

Digitized by Google

Si *prius*, benigniùs excipienda ſunt errata, & ut error utcunque excuſetur, invenienda eſt ratio, cur ſic reſponderint, & alia reſponſio ſuppeditanda. Si *poſterius*, non nimis diu, poſt factas quæſtiones, ſilebit Paſtor, ſed, datâ reſponſione, explorabit, num intellexerint dicta, numque hæc illius reſponſio quæſtioni ſatisfaciat? Utque catechumeni etiam de momento quæſtionum convincantur, & proinde ipſimet eaſdem tantò altiùs animo revolvant, opus eſt c) ut veritates probentur non ex ſcriptis humanis, ſed ex legitimis probationum fontibus vid. *Jeſai.* VIII, 19. 20. *Luc.* I, 1-4. 2. *Tim.* III, 15. 1. *Tim.* IV, 6. in hunc finem commendabit illis Paſtor, ut Bibliis S. inſtructi accedant, quò poſſint ipſi, ex inſpecto textu, vim & uſum veritatis agnoſcere. Quodſi vero d) Paſtori res eſt cum provectioribus, qui veritates & memoriâ tenent, & de illis etiam convicti ſunt, tum etiam collationes ſcripturarias cum juventute, de librorum ſacrorum ſcopo, argumento, connexione generali, de dictis & locis, quæ baſin librorum conſtituunt, inſtituere poterit, ad modum *Melchioris in der Kinder-Bibel*, & *Franckii* in *Operibus* ſuis *Biblicis*.

§. XIII.

Non ſufficit autem corpus formare, per dogmata memoriæ impreſſa, ſed addenda quoque eſt Inſpiratio Spiritus. *Geneſ.* II, 7. *Ezech.* XXXVII, 5. *Cordi* cumprimis & *Affectui* commendandæ ſunt veritates. In eo, non ſine fructu, progredietur Paſtor 1.) ſi, præter *veritates* theoreticas, etiam *practicas*, tum in genere, tum in ſpecie, ad inſtar *Oſterwaldii* in *Catecheſi* ſua, docebit. Si hinc 2) maturè ad conſcientiam demonſtrabit, in ſingulis fidei & vitæ Chriſtianæ rudimentis, veritatum theoreticarum influxum eſſe in practicas, omniaque huc collineare, ut inde quidem in ſui abnegationem & mundi contemtum, hinc vero in fidem & obſequium DEO ſimpliciter præſtandum tendant, ſicuti hujus rei exempla habemus in catecheſi noſtra *Quæſt.* XXVI. XLIII. XLV. &c. & in expoſitione *Decalogi* 3) ſi catechumeni frequenter ad ſui ipſiusmet examen revocantur, & quæſtiones ad propriam eorum conſcientiam diriguntur; Porro, Sive ad Cor & Affectum

Digitized by Google

ro. ſi 4) *Litera*, quæ occidit, & *Spiritus*, qui vivificat, diſcrimen ipſis inſtillatur. Sub *illâ* intelligimus opera externa, à lege equidem definita & præcepta, ſed quæ, velut opus operatum, præſtita ſine ſpirituali cultu, & fide in Chriſtum, nullam conferunt ſalutem; ſub *hac* autem divinam illam & ſupernaturalem virtutem, quæ ſola, in homine, non fucatam fidem, & puri cordis charitatem operatur, 2. *Corinth.* III, 6. cujus neceſſitas, ad veram ſanctitatem, ipſis ſedulò inculcanda eſt, & inter pleraſque veritates inſtillari poteſt. 5) Si, præter poriſmata ex veritatibus fluentia, etiam *exempla*, ex S. Literis vel aliundè petita, cum omnibus ſuis circumſtantiis, jam neceſſitatem regenerationis, jam divinæ providentiæ certitudinem ad oculum demonſtrantia, ad animum ducuntur. Si 6) ſæpe memores redduntur fœderis ſui baptiſmalis, in quo Satanæ, mundo & carni renunciarunt, fidem ſuam DEO triuno addixerunt, quæ praxis fœderis baptiſmalis, & à parentibus & à paſtoribus, non ſatis inſtillari poteſt. Denique 7) ſi maturè removentur impedimenta virtutum communiora, & præjudicia carnalia, quibus laborant. Vid. *Oſterwald de Fontibus corruptionis Part.* I. c. II. & III. Ultimo ſi 8) maturè docentur componere aſcetica pietatis exercitia, ut ipſimet meditationes, confeſſiones, ſoliloquia & preces edant, ac, in illis quæ memoriter recitant, id ſæpius inculcatur, unum verbum cordis DEO gratius eſſe, quam mille verba oris.

§. XIV.

Officia catechumenorum.

Officia catechumenorum ſunt, ut, veluti infantes recens nati, lac rationale avidè appetant 1. *Petr.* II, 2. Spontè, nec tantum compulſi ad informationem accedant *Pſal.* XXXII, 8. Pudorem, ſi adultiores ſunt, minus decentem excutiant. *Syrac.* IV, 24. 25. in auſcultando diligentem attentionem adhibeant, ut revera adoleſcant in fide, nec ſemper fluctuent. *Epheſ.* IV, 13. 14. ut non ceſſent quoad pervenerint ad ἐπίγνωσιν cognitionem veritatum theoreticarum, cum interiori convictione, & ad beneficiorum cœleſtium αἴσθησιν *Phil.* I, 9. cum malæ notæ ſit, ſemper diſcere, & nunquam ad perfectionem pervenire 2. *Timoth.* III, 7.

cum-

cumque ſalutaris illa cognitio ſolius DEI opus ſit, ut ſine intermiſſione DEUM orent, ipſe legem ſuam ponat in mentem ad plenam intelligentiam, & ſcribat in cor ad amorem veritatis, atque ex hac fide cordis etiam vitæ ſanctitas veniat, ſicuti motus omnis à corde incipit. *Jerem.* XXXI, 33. atque paſtoribus etiam obſequantur tanquam illis, qui de ipſorum animabus rationem reddere debent. *Hebr.* XIII, 17. Qui nolunt catechizari, & doceri non ſuſtinent, é conſortio ſanctorum & communione ſacramentorum ejiciendi ſunt. Vid. *Bucerus de regno Dei* Lib. I. c. 5.

§. XV.

Si tandem catechumeni ad maturam ætatem pervenêre, ut elementà veritatis non tantum feliciter, ex memoriæ promptuario recitare queant; ſed & eadem animi judicio, & ſincero cordis affectu complectantur, non modo licitum, ſed & utile prorſus eſſet, ſi, publicâ intercedente ſtipulatione, jam quaſi altera vice, ad plenam bonorum & prærogativarum Eccleſiæ poſſeſſionem, etiam publicè, ſi commodè fieri poteſt, in DEI fœdus tranſirent, *per* illum *ritum*, qui & noſtris *confirmationis* nomine venit. Quid enim impedit, quo minus hoc nomen illi actui imponatur, in quo catechumenus publicam fidei profeſſionem, non ſine ſtipulatione conſtantiæ edit, & voto publico, etiam inter preces publicas, ſe DEO adſtringit, qui tamen à Romanæ Eccleſiæ confirmationis ritu fere per omnia differt, cum nec pro Sacramento habeatur, nec virtus illi intrinſeca tribuatur, nec prærogativa ſupremi miniſterii ſeu Epiſcopatus dicatur, & ab inutili cæremoniarum farragine, ritibusque ſuperſtitioſis ſeparetur, cum nobis nihil niſi catecheſin notet, ſeu adultiorum publicam, in profeſſione fidei explorationem, atque confirmationem in fide, quam admiſſio ad S. Cœnam excipit. Confirmatio ab illa Romanæ Eccleſiæ ita diverſa, ut diſertè in *Concilio Tridentino*, *Seſſione* VII. *de Confirmatione* Canon. I. dicatur: *Si quis dixerit, confirmationem olim nihil aliud fuiſſe, quam catecheſim quamdam, qua adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant, anathema ſit.*

Eorundem confirmatio:

Digitized by Google

§ XVI.

Probatur. Voluiſſe autem DEUM quandoque fœderis publicam & ſolennem ſtipulationem, eamque ideo fuiſſe à præfectis Eccleſiæ introductam patet ex *Joſ.* XXIV, 22. itemque ex *Jeſai* XLIV, 5. ubi, poſt promiſſionem Spiritus S. ſemini fidelium conferendi, prædicitur quod ſe tum DEO, tum populo DEI, etiam publicè, ſint adſcripturi credentes; confer *Hebr.* VI, 2. coll. *Marc.* X, 16. Et habere iſtiusmodi confirmationem publicam egregium uſum negari nequit. *Eccleſia* ſic, ſolenni actu, diſtinctos à catechumenis fideles agnoſcit, & qua tales ut fratres in Chriſto diligit atque curat. Credentes hoc modo proprii ſui voti fœderalis memores redduntur, lapſi vero fideles & voti quondam præſtiti obliti hac ratione ad reſipiſcentiam fortiter excitantur. *Catechumeni* ipſi ſic impelluntur, ut, quo magis publicæ fidei & pietatis votum fecêre, eo majori etiam cum cura ſe ad illius obſervantiam adſtrictos eſſe agnoſcant, ſicuti & votum baptiſmale, cujus memoria nunquam excidere debet, tanto efficacius cordi inſcribitur, & ſimul ad ſingulorum confirmationem in bono tam ſolennes actus facere poſſunt; ita *Spenerus Conſil. Theol. Germ.* Part. IV. *Artic.* II. *Sect* XXI. p. 257. Exempla laudat iſtiusmodi hominum, qui tam ſolenni confirmatione ſe ad veram pietatem excitatos, & memoria tam ſolennis actus in bono confirmatos fuiſſe teſtabantur. Jam & *parentes* ad majorem curam de circumſpecta liberorum educatione, & ſedula informatione excitantur, cum ipſorum liberi in publicam Eccleſiæ faciem ſint producendi, ut de profectu cognitionis & pietatis ipſorum judicet Eccleſia. Et quid quæſo eſſet in illo ritu, quod fideles offendere poſſet, quando infantes rogati publicam ſuæ fidei rationem reddunt? Quid hoc juſtiùs, maximè in locis, ubi variæ religiones ſacra ſua diverſa habent, à quibus ſic tanto magis publicè ſeparantur? Quid juſtiùs quam ut exhortatione ſeria, in oculis fidelium, inter tot ſeductionum pericula ad conſtantiam ſervandam moneantur, illamque publicè promittant? Quid æquiùs, quam ut tota etiam Eccleſia preces fervidas pro illis ad DEUM dirigat, quæ tantò magè ne-

ceſſa-

Digitized by Google

ceſſariæ ſunt, quantò difficilius eſt in Chriſtum verè & perſeveranter credere, diabolo & pompis mundanis renunciare? Verum eſt, conjungitur ille ritus cum impoſitione manuum, ſed ipſe *Calvinus* eam, quæ ſimpliciter loco benedictionis fit, & laudat, & in uſum puriorem hodie reſtitutam vellet. *Inſtit. Relig. Chriſt.* Lib. IV. cap. XIX. §. 4 Ritus hic etiam cœpit jam ante *Lutherum* introduci à *Fratribus Bohemis*, ut patet ex *ratione diſciplinæ ordinisque Eccleſiarum in Unitate Fratrum Bohemorum*, poſtea, inde à tempore reformationis, commendabatur in *Colloquiis Wormatienſi.* A. 1540. & *Ratisbonenſi* A. 1541. cui molimini decretum *Concilii Trident.* ſupra allegatum oppoſitum fuiſſe videtur. Eundem dein receperunt variæ Eccleſiæ Proteſtantium, veluti *Anglicana*, *Scotica*, *Haſſiaca* tum Lutherana, tum Reformata, & nunc etiam Palatina noſtra. Vid. *Spenerus* in *Conſil. Theol.* loc. ſup. cit. & laudatus ab illo *Trogillus Arnkiel* in der Chriſtlichen Confirmation der catechumenorum.

CAPUT VII.

De Correptione Malorum.

Σύνοψις.

Paſtorum officium etiam eſt reſiſtere corruptioni per *correptionem malorum* §. I. Quales ſunt *partim* publici *Dei*, & *religionis deriſores.* §. II. *Qui* equidem, quoad converſationem privatam, *vitandi*, ſed & prudenter *obſervandi* ſunt §. III. etiam publicè, & privatim *corripiendi* §. IV. ut ſunt א) *Athei* §. V. ב) *Epicurei* §. VI. Quorum *objectiones* diluuntur. §. VII. VIII. IX. inprimis illæ, quibus *oppugnant S. Scripturam.* §. X XI. ג) *Sceptici* & *Indifferentiſtæ* §. XII. *Partim*, qui ſtant in *via peccatorum* §. XIII. Quorum reſpectu tollendi ſunt 1) habituum malorum *fontes* 2) peccatorum *fomites* & 3) eximenda varia *præjudicia* §. XIV. Quæ ſiſtuntur §. XV-XXII. Speciatim, qui addicti ſunt α) *Intemperantiæ*

& *Ebrietati* §. XXIII. Quorum *objectiones* reſolvuntur §. XXIV. β) *Impuritati*, ſcortationi, adulterio &c. §. XXV. XXVI. Quorum removentur *effugia* § XXVII. γ) *Avaritiæ* §. XXVIII. ad quorum *objectiones* reſpondetur §. XXIX. δ) *Implacabili* proximi *odio* §. XXX. ε) *Luſui* §. XXXI. ζ) Qui *tepidi*, *vacillantes*, *deficientes* ſunt. §. XXXII. Quorum examinantur *excuſationes* §. XXXIII - XXXVI. & *inſtantia* §. XXXVII. η) *Hypocritæ* § XXXVIII. Quorum reſpectu conſiderantur 1) *illuſiones* eorum *tum* generales. §. XXXIX. XL. *tum* ſpeciales. §. XLI - XLVI. 2) Eorum characteres & *criteria* §. XLVII. 3) eorundem *reductio* §. XLVIII. Tandem etiam corripiendi veniunt *nævi*, tum ſeculo noſtro *communes*. §. XLIX. L. tum *particulares*. §. LI.

§. I.

Corruptioni paſtores reſiſtere debent per correptionem malorum.

A Paſtoribus non tantum curandi ſunt agnelli, ſed & quærendæ oves deperditæ. vid. *Buceri Oper. Anglic.* pag. 294. Et qui vocantur ad Eccleſiam, & qui educantur *in Eccleſia boni* ſunt & *mali. Matth.* XXII, 10. Nec ipſi Apoſtoli, ſub initium, ejusmodi cœtus externos formare poterant, qui ex ſolis bonis conſtiterint. Et abhinc res ita ſemper ſe habuit, ut huc verba *Senecæ de beneficentia* Lib. I. Cap. 10. referre queamus: *Hoc majores noſtri queſti ſunt, hoc nos querimur, hoc poſteri noſtri querentur, everſos eſſe mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas, & in omne nefas labi.* Ipſa ſodalitia illorum, qui ſe, corruptionis ergò, ſeparant, exempla præbent, & quidem frequentia atque inſignia, quam vana ſit eorum præſumtio, quod ex meris regenitis externi cœtus colligi queant. confer. *Pſal.* XIV, 2. 3. *Rom.* III, 10 - 18. 1. *Reg.* VIII, 46. Imo quò majores ſunt cœtus, eò etiam major malorum, in illis, eſt numerus, quàm bonorum, &, quod triſtius eſt, ad poſtrema usque tempora, ut metuendum, tanta etiam manebit corruptio, ut tolli penitùs, omni noſtra curâ, nequeat. Cum vero inter cauſas tantæ corruptionis ipſemet Chriſtus *ſomnolentiam paſtorum* referat *Matth.* XIII, 25. ubi hi plerumque id unum ſatagunt, ut, Eccleſiæ bonis fruendo, vitam absque labore ſaltem debito tranſigant, vel hac de cauſa apparet, quam neceſſarium ſit paſtoribus, ut, ſaltem

Digitized by Google

tem quantum fieri poteſt, prævalenti corruptioni reſiſtant. Itaque corruptioni *correptio* erit opponenda, quo nomine venit: *Actio ad diſciplinam pertinens, quâ cum lapſis de peccatis eorum expoſtulamus, ex charitate monentes eos ut reſipiſcant, & ſequentes, in ea admonitione, modum, formam & gradus à Chriſto præſcriptos, ut malum è medio auferatur.* vid. *Petr. Martyr* in 1. *Samuel.* II. Unde & ipſis, & quidem in ſpecie noſtri temporis, paſtoribus injungitur, ut, in ejusmodi circumſtantiis, *clament gutture, nec cohibeant* clamorem illum, utque *extollant vocem inſtar Buccinæ, & indicent populo defectionem, & domui Jacob iniquitatem. Jeſai.* LVIII, 1. certi, ex eodem verbo, ſemper aliquos fore, quos Deus è mundo, mediante hac excitatione, ſi modo, ſeriis precibus, ejecti ſeminis benedictio ipſi commendetur, ſit evocaturus. Quia vero non iidem malitiæ & malorum gradus atque ſpecies ſunt, ideo nec omnium eadem curatio eſt, &, prorſus ut in arte medica, cavendum, ne, gradibus operandi neglectis, & contemtâ illâ συγκαταβάσει, quâ Deus ipſe utitur *Matth.* XIX, 8. ſæpè plus perdamus miſeras conſcientias, quam ut iis conſulamus. vid. *Matth.* XVIII, 15. 17. *Rom.* XIV. XV. *Tit.* Cap. I.

§. II.

Ut autem à ſummo malitiæ gradu incipiamus, & quid ei opponendum ſit videamus, non deſunt quandoque, in cœtibus noſtris, ejusmodi monſtra, qui, ſub nomine *Spirituum fortium*, metum omnem excutiunt, *religionem publicè contemnunt*, & ad oppugnandum cognitionem Dei, atque obſequium fidei in Chriſtum altitudines erigunt; homines deſperatè mali, *illudentes malo Prov.* XIV, 9. (in quem locum eruditiſſima concio *Stillingfleetii* legi meretur) *canes*, ratione doctrinæ ἀντιλέγοντες, & *porci*, ratione vitæ βλασφημοῦντες.

Quales ſunt partim publici Dei & religionis contemtores.

§. III.

Hîc equidem, quoad *converſationem privatam*, a) valebunt leges *Prov.* IX, 7. 8. XIII, 1. datæ; ſunt vitandi *Hoſ* IV, 17. ut ſic pudefiant. Hoc Chriſtus notanter ſuos docuit *Matth.* VII, 6. ubi vult, ejusmodi *canes* atque *porcos* arcendos eſſe à *Sancto* & *Mar-*

Qui, quoad converſationem privatam equidem vitandi.

Margaritis, i. e. *tum* à fruitione bonorum Evangelii, ejusdem promiſſionum applicatione, *tum* ab oblatione & invitatione ad hæc bona, quæ licet communior ſit fruitione, tamen, reſpectu peccatorum iſtiusmodi pertinacium, intermitti etiam, ſaltem ad tempus, poterit. vid. *Matth.* X, 13. 14. *Luc.* XXIII, 9. *Joh.* XIX, 9. *Actor.* XIII, 46. *tum* à notificatione myſteriorum, quia non ſine diſcrimine, & perſonarum & locorum, hæc annuntiatio fieri debebat, unde & à communioribus Paulus incipit. *Actor.* XVII. Huc probabiliter pertinet *Amos* V, 13. *Prudens*, qui non modo malum, ſed etiam malos rectè diſcernit, perverſiſſimo *illo tempore ſilebit*, *cum*, graſſantibus corruptelis, *tempus mali erit*, confer ꝟ. 10. & *Jerem.* XIII, 17. atque ſic omnino locum hîc habebit obſervatio *Speneri Conſil. Theol. Germ. Part.* II. pag. 99.
» Daher ich nicht läugne, daß ich davor halte, es ſeye ein Gottſee-
» liger Menſch, der den Nechſten gern in Liebe ſtraffe, wo er ver-
» nünfftig vorſiehet, daß er nichts ausrichten, und jener nur ärger
» werden, und zu Trutz das Böſe deſto mehr thun, ihn aber dar-
» über angreiffen werde, wohl entſchuldiget, wo er ſolches unterläſ-
» ſet, indem er weder GOttes Ehre, noch ſeines Nechſten Beſtes,
» zu welchem doppelten Ende alle Beſtraffung gemeynet iſt, damit
» zu befördern ſiehet.

Sed & prudenter obſervandi ſunt.

Interim b) tamen, hac de cauſa, animum nondum penitus deſpondebit paſtor, ſed Deo potius, tanto ardentioribus ſuſpiriis, etiam illos commendabit, cum qualicunque ſpe, quali nobis *Paulus* præivit 2. *Timoth.* II, 25. 26. & hinc c) ſedulo illas divinitùs forte ordinatas horas, quibus illis callum abſtrahi poſſet, & exſpectabit & obſervabit, quales e. g. eſſe poſſunt tempus afflictionum corporalium & tentationum ſpiritualium, caſus ſingulares extra ordinem immiſſorum fatorum, quomodo ex vita *Haleſii*, à *Burneto* deſcripta, obſervamus, illum, cum ſediſſet aliquamdiu in ejusmodi irriſorum cathedra, occaſione immiſſi fulminis, quo quis è medio illius ſodalitii nec opinanter extinguebatur, ita ad meliorem mentem fuiſſe revocatum, ut poſtea ex illuſtriſſimis pietatis exemplis fuerit. In iſtiusmodi caſibus, dum calet ferrum, cudendum eſt, atque mediis illis divinitùs indicatis ſemper inſiſtendum, utileque erit, ſi viarum illarum Domini apparatum quendam nobis comparaverimus,

Digitized by Google

rimus, quia ſaltem tam iterata exempla fortius ſtringunt. Sic & d) in id incumbet paſtor, ut iſtiusmodi deſperatè malis occaſiones eripiat, ſeſe in illa malitia corroborandi, *vel* per Magiſtratum Politicum ut profanitati eorum ſepimentum obducatur, frenumque illis injiciatur, id quod ſaltem hominem externum in ordinem redigit, ut ſaltem aliis ſcandalo non ſit; *vel* per excommunicationem, ita ut publicè ejiciantur, & hactenus ligentur ἐπὶ τῆς γῆς *Matth.* XVIII, 18.

§. IV.

Etiam publicè, privatim corripiendi.

Quia vero argutuli illi Dei & religionis contemtores, nihil magè quam ſapientiam & fictum quoddam robur affectant, hinc etiam neceſſe eſt, ut dementia ipſorum ſive *publicè*, ſive etiam, datâ occaſione, *privatim* detegatur, & altitudines illæ ſive turres, quas, ad oppugnandum cognitionem Dei, & obſequium Chriſti, erigunt, per arma ſpiritualia deſtruantur 2. *Corinth.* X, 4. 5. Eum in finem, in genere illis demonſtrandum, quod ſicuti *timor Dei ſapientia*, & *recedere à malo* vera hominis *prudentia* ſit *Job.* XXVIII, 28. ita *ſtultitia* ſit *ridere de peccatis*, & illudere pœnæ *Prov* XIV, 9. Indicandum in ſpecie, patere ex eorum inſtitutis 1) quod velint *mori in æternum Prov.* VIII, 36. *Sap.* I, 16. ſcilicet quia omnia mortis repagula, quæ in ipſis, per naturalem pudorem, educationem honeſtam, legem cordibus inſcriptam, exempla ſæpè domeſtica, minas pœnasque Dei & hominum, angorem conſcientiæ propriæ, cenſuras Eccleſiæ & piorum, erant poſita, omni ſtudio perrumpant. 2) Quod ſic in æternum mori velint *pro bono vix temporali*, pro *voluptatibus* quæ pereunt ipſæ, & perdunt ipſos, etiam quoad ſanitatem corporis, dum illis fruuntur; imo pro *concupiſcentiis* tantum, quarum omnis ratio non in habendo, ſed tantum in deſiderando id quod ipſis bonum videtur, conſiſtit, quæque aquæ ſunt, quæ quò plus ſunt potæ, plus deſiderantur; & quidem pro concupiſcentiis, quæ nequidem homini rationali nedum Chriſtiano, conveniunt, ſcilicet pro *concupiſcentia oculorum*, qualis eſt *infantium*, ſive opum, quæ, dum habentur, avarum uſu ſuo privant, *carnis*, qualis eſt *brutorum*, & *pompæ*, qualis eſt *faſtus Diaboli*

Argumenta correptionis.

boli 1. *Joh.* II, 16. Porro, cum in iis, quæ ad ſuſtentationem ſui, & propagationem ſui generis pertinent, ne piis equidem, in uſu licito, moderata gaudia negentur, quod 3) *mori* velint *pro bono varietatis* ſive *variationis*, mediante qua ipſa illa, cum tanto diſpendio quæſita, voluptas in ſola imaginatione conſiſtit; *mori* proinde 4) *pro bono*, *quod*, etiam de præſenti, & *corpori nocet*, & *rationem deſtruit*, & 5) ſic, inter hæc omnia, ipſi Deo, alia omninò poſtulanti, pœnasque minanti, illudere velle, horrendum quid eſſe, cum utique nulla jocandi materia adſit, infinita enim potentia & juſtitia in neminem magis, quam in iſtiusmodi contemtores armata eſt. *Galat.* VI, 7. *Epheſ.* V, 6. Certè ſapientiam in hisce ponere extrema eſt dementia, quia ſupponit illos neſcire miſeriam hominis, qui ſine Deo & ſpe eſt in mundo. Non major depreſſio animi humani eſt, quam non adſpirare poſſe & velle ad bona æterna. Quis fortior quæſo? An ille qui ignorat num infernus ſit, & ſi ſit, ſe damnaturum iri certus eſt, nec metuit? An non ille potius? qui ſcit prœmia & pœnas hominem manere, &, devictis concupiſcentiis carnis, inter omnia adverſa, ipſam etiam mortem, confidit ſicuti Leo.

§. V.

Veluti א) Athei. Jam equidem de talibus monſtris omnium minimè inter Chriſtianos (quibus *Deus* non tantum in Verbo, ſed etiam *in* ipſorum *carne manifeſtatus* eſt) audiri deberet, cum ne gentes quidem Deos ſuos mutent *Jerem.* II, 11. interim triſtis experientia docet, & in omnibus regionibus, & in religionibus Chriſtianorum, non deeſſe tales, qui ſi non *in corde*, ceu Athei mentis, tamen *ad cor*, tanquam Athei cordis, *dicunt: Non eſt Deus Pſal.* XIV, 1. (quorum prolixum catalogum *Antonius Reiſſerus* dedit, in *Diſſert. de Atheiſmo*) His, præter argumenta, quæ Theologia & Philoſophia, ex ipſa hominis natura, ex operibus, ordinariis, extraordinariis, creationis, providentiæ generalis, ſpecialis; ex Verbo Legis, Evangelii, & potiſſimum ex Spiritus S. operatione ſuppeditant, egregiè illuſtrata à *Joh. Rayo* in Libro, *de exiſtentia & ſapientia Dei manifeſtata in operibus creationis*, & à *Roberto Boyle in Phyſico-Theologica demonſtratione Dei*, reſpon-

Digitized by Google

reſponderi poterunt & inſinuari ſequentia: 1) Hoc illos dicere *nunc*, ex quo concupiſcentiis mens corrupta eſt, ex quo ſeſe totos irrationalibus voluptatibus addixêre. Cum enim ejusmodi Atheus, non ante extremam corruptionem, ad ſceleſtum hunc auſum oppugnandi cœlum, negandi Deum progreſſus fuit, ita etiam, Dei gratia citiùs reducetur in viam diminuendo paſſiones ejus, quam cumulando argumenta pro exiſtentia Dei. *Fons Atheiſmi* plerorumque hodie *concupiſcentia ſenſitiva* eſt, hominem ſic occupans, ut neque diverſum amoris objectum admittere, neque contrarium ferre queat, hinc demùm eſt, quod cognitionem Dei non curet, ὐ δοκιμάζει τὸν Θεὸν ἔχειν ἐν ἐπιγνώσει, *Rom.* I, 28. id eſt, inter plurima & diverſa objecta, quæ menti ejus ſeſe offerunt, per pravam δοκιμασίαν ſive ponderationem τῶν διαφερόντων, cogitationem de Deo aliis bonis omnibus, etiam viliſſimis poſtponat, & ad ea teſtimonia Dei, quæ ſe ipſi copiosè ſatis offerunt, vel nullo modo, vel nonniſi oſcitanter reſpiciat, quæ non niſi νοούμενα, i. e. cum debita animadverſione perpenſa, inviſibilia Dei manifeſtant *Rom.* I, 20. *Dicet* equidem *Atheus: Si fidem divinitatis haberem, voluptatibus ipſe repudium mitterem.* Sed meritò *regerimus* ipſi: Mitte pecuniam, ſenſitivam, in vanis occupatam, homini rationali inconvenientem vitam, & credes in Deum; id quod jure ab ipſo requirere poſſumus. Fidem ipſi dare non poſſumus, daremus cæteroquin; ſed ille, ſaltem ex hypotheſi ſua, dimittere poteſt concupiſcentiam, quam ſui arbitrii eſſe credit; ubi vero ſederit impetus, recurret etiam menti inſita de Deo notio. Addemus 2) hoc illum dicere *contra proprium animæ, naturaliter Chriſtianæ, teſtimonium.* Licet enim ſenſibus immerſa mens ad ideam Dei non ſemper attendat, difficulter etiam à ſenſibus revocetur, ut puras intellectiones ſibi formet, & è contrario *ut non ſit Deus* כל - מזמותיו *omnis ejus cura & cogitatio* ſit *Pſal* X, 4. non poterit tamen illam Dei lucernam ita extinguere, ut non, ſurdis aliquando verberibus, cogitatio de Deo præcordia cædat, *partim* quia *Deus lux* eſt, quæ ſeſe, nec opinanti nec volenti, quandoque ſiſtit, *partim* quia *Judex* eſt, qui in conſcientia, factorum teſte, & de meritis factorum Judice, Angores excitat. *Rom.* II, 15. Teſtis eſt expe-

Refutantur argumentis.

Instantia.

Reſp.

experientia; qui DEUM non timent, timent tamen aliud obje-ctum, quod non timuiſſent, niſi prolepſis illa de DEO cordibus eorum inſcripta eſſet. Sic *de la* Loubere, in libro *deſcription du Royaume de Siam*, refert, *Siamenſes* equidem nullam agnoſcere divinitatem, credere tamen apparitionem ſpirituum, & timere mortuos, extantque hujus rei varia exempla. *Objicitur* equidem *tranquillitas animi* Spinozæ, dum ex hac vita ex-

Objectio.

cederet, ſed ut ex ipſius epiſtolis varia excerpuntur, quæ illum non abſque omni metu fuiſſe evincant, ita plures ex ejus diſcipulis ſenſum interiorem cum metu conjunctum oſtendêre. Ita *Hennaldus*, Poëta Gallus, qui, ex impuritate vitæ, eo usque in atheismum prolapſus fuit, ut etiam pro *mortalitate animæ* librum ſcripſerit, & in Belgium, ad ſalutandum *Spinozam* profectus fuerit, cum ejus extrema inſtarent, teſte ipſomet *Bayle in Dictionario* ſuo, à confeſſionario ſuo petiit, ut, reſte prius collo injectâ, Euchariſtiam ipſi porrigat. Vid. ad hæc *Nywentheit Werelt-Beſchouwinge* Cap. I. *Unter-Eyks Närriſcher Atheiſt* p. 387. *Speneri Conſil. Theol. Germ.* Tom. I. Cap. I. Sect. XI. XII. inprimis quoad exempla pag. 43. 44. Porro ejusmodi atheo inſinuandum erit 3) dicere eum hoc *contra voluntatis ſuæ appetitum*, quæ, cum nulla re finita ſatietur, dum DEUM negat, eò tamen illum adigit, ut huic vel illi objecto carnali totum cor, totam animam, adeoque id omne tribuat, quod Deo debuiſſet conſecrare, evidenti indicio, quod mens ejus ad Deum feratur, quodque, ſi vel ventrem, qui cum cibo perit, pro Deo eligat, inter deſideria mentis ſuæ, & rem ab eo deſideratam nullam eſſe proportionem, agnoſcere teneatur. Dicere eum hoc 4) *contra omne lumen ſolidæ cognitionis*; ſi enim Deus huic machinæ eripiatur, nec mundi, nec ullius creaturæ, nec ipſiusmet Athei, aliorumque hominum origo rationaliter probari poteſt, imo nihil, quia ipſa axiomata prima omnis veritatis, e. g. *nihil inter entia finita eſſe cauſam ſui ipſius*; *non dari progreſſum in infinitum* &c. negato Deo ſubſiſtere nequeunt; id quod M. *Haleſius* in vaſto volumine *de origine generis humani*, ab *Henr. Schmettau*, concionatore aulico regis Boruſſiæ, in linguam germanicam tranſlato, oſtendit. Ita eum 5) *ponere ſe & omnia in horrendam caliginem*,

Reſp.

ut;

ut, ſi intima ejus reſolvi poſſent, pateret illum, unde venerit, quorſum tendat, quid mundus, corpus, anima, id ipſum quo cogito, ſit, neſcire; hoc unum tantum ſcire, ſe moriturum, & tum aut in infinitum nihil futurum, aut in manus Dei, quem negavit, caſurum eſſe. Qua de cauſa vel ipſum commodum atheum ad fidem divinitatis deducere deberet; timuiſſe enim Deum, ſi nullus eſſet, utique non nocebit, cumprimis quia nec vitam hîc, veluti pecus, per omnia ex arbitrio, agere poteſt, quin vel puniatur à Magiſtratu, vel caſtigetur à voluptatibus ſuis; ſi vero Deus ſit, utique talem blaſphematorem ipſemet etiam, ob dura talia verba, & impia facta, graviſſimè puniturus eſt. *Jud.* ℣. 15. Denique 6) *dicere id* SE UNUM *contra & univerſale, & conſtans generis humani teſtimonium.* Si quos laudet ſocios, gentes fortè nominabit barbaras, quæ humanitatem equidem exuêre, nec tamen omnem divinitatem negant; allegabit Philoſophos, qui S. Scripturam non habuêre, de futuro animæ ſtatu ignari fuere, & tantùm dubitaverant, quinimo interdum notabiliter tamen de hoc argumento locuti fuêre, quod ex *Ciceronis* opere *de natura Deorum* evidentiſſimum eſt. Si divinitatis fidem *ex traditione* natam dicat, quæri meritò poſſet, quo tempore illa cœperit, quomodo fidem invenerit, ut primitùs homines ſe ſuaque omnia protinus illi divinitati ſubjecerint, cum ipſe, ad univerſalem ejusmodi traditionem, vel efficaciſſimis argumentis, ad fidem divinitatis adigi nequeat? Et ſi quæ hic traditio locum habuit, majoris tamen efficaciæ ille animi ad cultum impetus eſt, quam ut ſoli traditioni adſcribi poſſit, foretque caſus tum ſimilis illi, ſi mares educarentur inter mares ſolos, & de fœmina relatio fieret, ubi deſiderium matrimonii non utique ſolâ traditione, ſed naturali deſiderio propagandi genus ſuum niteretur. Si vero fidem hanc divinitatis *inventum politicorum* eſſe dicant Athei, reſponderi poteſt, malè itaque eos agere, quod fidem hanc ex mentibus hominum excutere velint, quæ cum bono communi conveniat, mirumque eſſe, quod hacce perſuaſione ſcopum ſuum aſſequi tum potuerint, qui nunc & aliâs nihil niſi per arma & pœnas obtinent; quodque nullus, ab initio, perſuaſioni tanti momenti ſe oppoſuerit, vel ſe oppo-

Objectio. Reſp.

Objectio. Reſp.

Digitized by Google

fuiſſe in ſcriptis legatur, uti quidem *Arium* fidem de coëxiſtentia Filii cum Patre oppugnaſſe novimus. Addimus *ultimò Atheum toti mundo abominationi eſſe.* Nemo enim illi ſe committet, qui divinitatem negat, cum illo certum commercium iniri nequit, quia ſic nullum eſt vinculum, quo fides ejus obſtringatur. Unde, poſt ejusmodi ratiocinia, ſuadendum erit tali homini, ut, miſsâ impuritate vitæ, ſine præjudiciis S. Scripturam legat, illique ſaltem fidem hiſtoricam tribuat, eamque cum notionibus, quas ſana ratio dictat, conferat, & tum, ſi ſerium veritatem cognoſcendi ejus ſit deſiderium, ex convenientia S. Scripturæ cum ratione, evidentiſſimis vaticiniis, juſtiſſimisque præceptis, detectis etiam veritatibus etiam naturalibus, vel talibus, quæ judicii humani acumen, noſtris demum temporibus, invenit, (de quo vid. *Nuwentheit* lib. ſupra cit.) eſſe Deum, qui in S. Scriptura locutus ſit, & cui omnia opera naturæ, gratiæ & gloriæ tribuenda ſint, agnoſcet, quomodo plures, e. g. hujus & Lugdunenſis Academiæ lumen *Franc. Junius* ex lectione initii *Evangel. Johannis*, & ex reliqua S. Scriptura alter ille, cujus *Spenerus Conſilior. Theol. Part* I. Cap. I. Sect. XI. meminit, convicti fuêre. Confer, præter Scriptores ſupra laudatos, *Paſcalis* penſées ſive *cogitationes*, *Abrah. Heidani Libb. de origine erroris*, *Tob. Wagneri examen Elenchticum Atheiſmi*, *Joh. Mulleri Atheiſmum devictum.*

§. VI.

ב) Epicuræi qui negant providentiam divinam.

Dantur etiam qui, ſi non priori modo ſint athei, ſunt tamen *Epicuræi*, &, ſi non exiſtentiam, tamen *providentiam Dei* negant. His indicandum erit 1) quod eo ipſo & id ſimul negent, quo exiſtentia DEI ſolidiſſimè probari poteſt; negant enim, factis, verbis, nunc DEI *omniſcientiam Ezech.* VIII, 12. *Job* XXII, 13, nunc *potentiam Exod.* V, 2. *Pſal.* XII, 5. 2. *Reg.* VII, 2. *Pſal.* XC, 11. nunc *bonitatem Deut.* I, 27. vel *juſtitiam Pſal* L, 21. *Malach.* III, 13. 14. adeoque non minus ſtulti ſunt quam priores, unde & מעלים עצה *occultans Conſilium*, tollens providentiam, בלי־דעת *ſine ſcientia*, imperitus eſſe dicitur *Job.* XLII, 3. 2) quod ſic negent ſummum bonum, quod rebus conſulit,

Digitized by Google

ſulit, adeoque cum DEO ſimul tollant ſuimet ipſius, & totius humani generis commoda, quippe quibus, in infirmitatibus ſuis, non aliter conſuli poteſt, quam per ens omniscium, omnipotens & optimum, cui confidant; quod 3) tollant ſenſum communem, cum, in neceſſitatibus, vel rudium populorum, ultima anchora invocatio DEI ſit, ad quem omnis caro venit *Jon.* I, 5. 6. *Pſal.* LXV, 3. 4) quodque hoc demum malitiæ ipſorum evidens indicium ſit, cum nullius interſit, ut nulla ſit providentia, quam malorum. Omnia cæteroquin ſupra *Mechaniſmum* quendam eſſe, invictis prorſus argumentis, ex ipſa experientia deſumtis, optimi & acutiſſimi philoſophi, ſpeciatim haud pridem *Iſaacus Newton* Anglus, ejusque diſcipuli probarunt, quorum argumentis priùs reſpondeant oportet, quam quidem eò dementiæ prolabantur, ut providentiam divinam negent.

§. VII.

Objicitur equidem communiter nota illa quærela, quod *mali* ſæpè *non puniantur*, quod *pios* ſæpè multiplex *vexet afflictio*, quod, in externis, *juſto eadem accidant*, *quæ injuſto*, pro ſuo merito, *eveniant*, imò quod aliquando *malis benè*, *bonis vero male ſit*. *Job.* XXI, 7. 9. *Ezech.* XXI, 3. Sed his objectionibus ſequentia *opponimus*. a) Statum hominum eſſe ſtatum explorationis; DEUM, in externis, homines quandoque eo usque ſibi relinquere hoc animo, ut, in hac vita, explorentur, & olim judicentur, unde non poteſt non, apud impios ſibi relictos, bonis malè eſſe, cæteroquin non agerent in bonos convenienter ſuæ malitiæ, exſpectandum itaque judicium, exſpectandus extremus hujus comœdiæ actus, ita ut præſens tempus ſtatus explorationis, & futurum judicii, providentiam potius confirment. b) Puniri interdum parentes in liberis. Eventus illi externi ſæpè prœmia vel pœnæ ſunt à parentibus in liberos derivatæ. Nihil magis hominibus curæ, cordique eſt, quam ut poſteritati ipſorum, ejusque commodis conſulatur, unde liberorum cauſa multiplex ſæpè injuſtitia committitur, atque eapropter, juſto DEI judicio, bona, à parentibus, male parta liberis iterum eripiuntur, quandoque, ut tantò magis juſtitia DEI eluceat,

Objectio. I.

Reſp.

ceat, etiam bonis. *Job.* XXI, 19. *Hoſ.* IV, 12. 13. vid. *Jac. Alting.* in *Jerem.* II, 9. & *Sanderſon* ad 1 *Reg.* XXI, 21 c) Idem eventus utrosque, bonos & malos, aliquando manet, quia in perſonis, locis, commodis ita conjunguntur, ut in externis eventibus diſtingui nequeant, non negatur interim provida Dei de Eccleſia cura, licet triticum & zizanium, in eodem agro, ſimili modo creſcant usque ad meſſem. Non inutilia ſtatim ſunt, quorum uſum neſcimus, non irregularis ideo natura, nec ſe elongat à methodo fixa, quia putamus exceptionem eſſe à regula. d) Idem eventus in externis interdum ideo neceſſarius eſt, ut diſcrimen interius, inter utrosque, tantò evidentius compareat. Integritas *Jobi* non tam clare patuiſſet, ſi ipſi omnia ſemper proſpere ceſſiſſent. Ita mali, inter divitias ſuas, & ut eas acquirunt, & ut eas adminiſtrant, cernuntur ut tales, quorum pietas quæſtui eſt. Nihil illi raperent, ſi plura per juſtitiam obtinerent, non immiſericordes eſſent, ſi crederent, ſe plura conſecuturos dando quam rapiendo. e) Ex ſtatu externo felicitas aut infelicitas minùs dignoſcitur, quia inde *neque affectus noſtri dependent*; qui extùs dives eſt, intùs æger animo, & qui extùs pauper, intùs forte lætus eſt. Pii, vel in extremis periculis, confidunt ſicuti Leo 2. *Tim.* IV, 6. 7. 8. *Pſal.* CXIX, 165; cum, é contrario, impiis, ſi vel omnibus bonis abundent, nulla pax eſt. *Jeſai.* LVII, 21; *neque ex affectibus bonum vel malum cognoſcitur*; non ex ſenſu vivendum, ſed per fidem. Ex hominum dolore atque gaudio, bonum & malum nondum dignoſcitur. Id quod fructum juſtitiæ operatur, utique bonum eſt, attamen illud primò triſtes reddit. Idem eventus piis, inter dolores, ſalutaris medicina, & malis, inter gaudia, acre venenum eſt; hoc utique providentiam non tollit, ſed potius confirmat. Et ſi, vel nulla prorſus ratione, hîc ſtatus diſcrimen diſcerni poſſet, diſcrimen tamen olim apparebit. *Jeſai.* III, 10. 11. *Malach.* III, 18. DEUS itaque bonos per tentationes ad gloriam ducit, quid mali? Malis ampliſſima longanimitatis teſtimonia præbet, quis improbet?

Inſtantia. Si neſcimus nos *efficaciam divinæ providentiæ cum Dei ſanctitate* conciliare, novit tamen DEUS, et in *malis*, *Habac.* I,

Reſp.

12. 13.

12. 13. *Jehova! ad judicium diſponis eum, & ô rupes! ad corripiendum fundas eum. Purior es oculis, quam ut aſpicias malum* &c. conf. *Rom.* IX, 17. ET in *populo ſuo*, *Jeſai.* LXIII, 17. *Pſal.* CVII. id agnoſcunt etiam ipſimet pii *Pſal. cit.* ℣ 42. Si *inſtent*; Piis tamen etiam *hujus vitæ promiſſiones* eſſe factas 1. *Tim.* IV, 8. *Reſp.* Ordinariè, tempus & caſus faciunt exceptionem vid. *Eccleſ.* IX. Sub illo nomine non tam externa proſperitas & abundantia, quam cuſtodia DEI, & gratioſa fatorum omnium directio in ſalutem fidelium intelligitur: *Rom.* VIII, 28. fecit enim DEUS nexum inter fidem per opera efficacem, & inter fructum qui juſtitiæ, bonitati, æquitati eſt conveniens, cultores ſuos nunquam deſtituit. *Pſal.* XCI, 9. 10.

Inſtantia.

Reſp.

§. VIII.

Objectio. II.

Dicunt aliquando, qui *in via Caini* ambulant, cum *Caino*, juxta paraphraſin Hieroſolymitanam *Geneſ.* IV, 8; (vid. P. *Fagii* notæ in *Paraphr. Chald.* ad h. l.) *non eſt judex, nec judicium, nec ſeculum aliud, non eſt*, in hac vita, poſt hanc vitam, *vel compenſatio boni pro juſtis, vel retributio mali pro impiis* &c. conf. 2. *Chron.* XXXIII, 10. XXXVI, 16. *Jeſai.* V, 19. Sed 1) dicet etiam talibus ſana ratio, ineſſe tamen homini notitiam turpis & honeſti, quæ, quia nullus malum quà malum appetit, omnem actum voluntatis noſtræ antecedit; eſſe, cum illa notitia, etiam legem naturæ cordibus inſcriptam, hanc vero non latam eſſe ut violetur, & proinde, cum DEUS ſit ens juſtum, violatam vindicandam eſſe, quod, cum non ſemper hìc fiat, olim certiſſimè futurum ſit. 2) De ſceleribus aliorum ipſosmet malos aliquando judices agere, quidni & ipſos juſtus mundi judex olim judicaturus eſſet. 3) Ipſos propriam judicare conſcientiam, accuſando, excuſando, vel, ſi id non fiat, ipſam indurationem & prodromum & teſtem divini judicii eſſe. Addimus, cum Chriſto *Matth.* XXII, 29, 4) *ignorare eos ſcripturam & potentiam Dei*, ignorare eos & *ſcopum creationis* hominis, qui utriusque partis, mentis & corporis, beatitudo eſt, & *fœdus Dei*, quod ſua tum ſtipulatione atque promiſſione, tum adſtipulatione & reſtipulatione hoc ultimum judicium pleniſſimè confirmat.

Reſp.

Digitized by Google

§. IX.

Objectio. III. Inter ea, quibus ultimum judicium, & hac de cauſa etiam reſurrectionem carnis oppugnare conantur, hoc potiſſimum in ore ipſorum verſatur, *quod eadem tamen caro, per* Ἀνθρωποφαγίαν, *ſubſtantia fiat diverſorum hominum.* Resp. Reſpondemus: a) non noſſe illos *virtutem* & perfectiones *Dei*, omnia, per omniſcientiam, dignoſcentis *Hebr.* IV, 13, &, per omnipotentiam, diſcernentis, ut unicuique ſuum tribuatur. b) Non noſſe eos *naturam carnis*, quæ diſſoluta non in nihilum, ſed in ſua, Dei nutui ſubjecta, elementa redeat, & ab hominibus abſumta nec tota alat, nec ſola. Quis probabit enim hanc in ſpecie, inter tot alia nutrimenta, accreſcere anthropophagis, cum maxima pars alimentorum non in ſubſtantiam corporis, ſed excrementa vel ad ſeſſiones abeat, atque, de eo quod alendi vim habet, multum, per internum calorem aut per ſudores, in aërem exeat. Vid. *Witſius in Symbol. Apoſt. Exercit.* XXVI. §. 22-27. c) Non noſſe etiam *reſuſcitationis conditionem*, quæ non ea eſt, ut univerſam illam molem, quam, per alimenta, homo, toto vitæ curriculo, conſequebatur, reſtituat; ſed ſaltem id quod ad beatam corporis perfectionem aptum, & deſtinatum fuit, quod ipſum tamen in quolibet homine certum quid eſt, ſicuti nulla, toto vitæ curriculo, tanta ſubſtantiæ noſtræ diſſipatio fit, quin multæ partes, ex quibus & primum conſtituti fuimus, & paulatim crevimus, usque ad ſupremum vitæ diem ſuperſint.

§. X.

Oppugnatur ab illis Scriptura Sacra. Cumprimis autem *Scriptura Sacra* à profanis, DEI & religionis, contemtoribus naſo ſuspenditur adunco, & *oppugnatur*, unde ſtudioſe conglomerant, quidquid ejus divinitati opponi poteſt, jam veritatem ejus per contradictoria, apparenter tantum talia, jam verecundiam atque modeſtiam S. Literarum ſugillando. Jam equidem divinam S. Scripturæ originem, quæ alibi demonſtratur, non multis probabimus, ſufficiat hîc id quod *Paulo*, ad omnem pudorem, vel in orbis metropoli Roma, excutiendum ſuffecit, nempe *tum* excellentia *ſcopi* S. *Scripturæ* qui non

non minor eſt, quam & credentium in Chriſtum, & piè viventium æterna ſalus, qui ita ubique elucet, ut Scriptura hinc *Verbum ſalutis Act.* XIII, 26. *Via ſalutis Act.* XVI, 17. *Evangelium ſalutis Epheſ.* I, 13. audiat, quam tamen nemini promittit, niſi illis, qui inde quidem ſectantur pacem erga omnes, hinc ſanctitatem illam veram, ſolidam, internam, ſine qua nemo DEUM videt. *Hebr.* XII, 14. *tum convenientia* & *efficacia mediorum*, quæ faciunt ad hunc ſcopum. Siquidem, ſi ille abſque mediatore & fide in illum obtineri potuiſſet, non permiſiſſet DEUS, qui charitas eſt, ut tanta & Doctorum & credentium multitudo, per hocce præconium Evangelii, ſe tot ſuppliciis & martyriis ſubjiceret. Si doctrinæ philoſophorum de ſummo bono, & mediis ad illud ducentibus, & ſuffeciſſent, & certitudinem fidei ſuppeditaſſent, utique non opus fuiſſet hac revelatione. Quodſi S. Scripturæ lux cum illis confertur, in illis, eorumque diſputationibus de ſummo bono, meras tenebras, in hac vero luculentiſſimam δύναμιν eſſe ad ſalutem patet. Vid. plura in *Sam. Werenfelſi* Diſſert. *de Præſtantia Religionis in S. Scriptura revelata.*

§. XI.

Videamus tamen quasdam, quas formant, *Athei* & *Deiſtæ*, objectiones, & potiores argutias, quibus divinitatem S. Scripturæ oppugnant. Sic rident א) Creationem mundi ex nihilo.

א) Ridet *Spinoza*, cum diſcipulis ſuis, quod *Moſes* tradat, *mundum ex nihilo creatum* fuiſſe, cum una ſubſtantia non efficiat alteram, & DEUS, mundi non tranſiens ſed immanens cauſa ſit. At verè jejuna hæc ſunt. Reſp. 1) Sic DEUS non poteſt ex nihilo aliquid facere, & tamen *Spinoza* ex nihilo, quod longè pejus, DEUM ſuum facit; *mens* enim noſtra, quæ ante paucos annos non fuit, ab eo *modus Dei*, & *ex eſſentia Dei neceſſario emanare* dicitur. Ex nihilo aliquid fieri poſſe negat, & tamen ſtatuit, quod mens, quæ ante aliquot annos non erat, ſui ipſius cauſa ſit, nam ſecundum ejus principia mens mea nihil aliud eſt, quam DEUS mentem meam formans. Videt idem 2) omnia, in mundo viſibili, ortui & interitui eſſe obnoxia, & tamen ſtatuit, quod

Digitized by Google

vi eſſentiæ ſuæ conſiſtant, ex quo ſequitur, quod ipſe DEUS, vi eſſentiæ ſuæ, ortui & interitui ſit obnoxius, adeoque quod DEUS ſi non nihil, ſaltem contingens aliquid ſit, quod abſurdiſſimum eſt.

ב) Formationem Evæ in adjutorium viri. Reſp.

ב) Ridet *Julianus*, cum ſuis, *formationem Adami*, & cum maximè *Evæ*, cumprimis quod hæc *in adjutorium viri* formata dicatur, quæ tamen in ejus ruinam fuerit. Sed videatur hîc *Cyrillus Alexandrinus*, qui, in *Libb.* X. *contra Julianum*, libros, quos adverſus fidem Chriſtianam ſcripſit *Julianus*, egregiè & validè refutavit, itidemque ſupra §. V. laudatus M. *Haleſius* de origine generis humani, & certè non meliorem hominis productionem philoſophi gentiles referunt. Quod Eva ſic formata fuerit, hoc ex ſapientiſſimo Dei conſilio erat, ut ſic ex uno ſanguine totum genus humanum ſit, latuitque in eo typus ſapientiſſimus, qui poſt aliquot annorum millia patefactus fuit, dum indicatum fuit, in eodem verbo, exſtructionem Evæ fuiſſe typum exſtructionis Eccleſiæ ex Chriſto. *Job.* XIX, 34. *Ephes.* V, 30-32. coll. *Geneſ.* II, 24; ita ut hæc formatio ſic deſcripta librorum Moſis divinitatem confirmet. Sic & Eva, non obſtante defectione ejus, Adamo in adjutorium manſit, & multiplicationi generis humani inſerviit. Si lapſa eſt, id inde fuit, quia natura ejus, ex nihilo petita, mutabilis fuit. Naturalis immutabilitas in bono divina tantum proprietas eſt, ſic ut & inde infinitum inter DEUM & creaturas diſcrimen apparuerit.

ג) Eſum prohibitum Adami. Reſp.

ג) Ridet *Deiſta* profanus quidam *alius*, quod *unius eſus prohibiti peccatum totum genus humanum in extremam miſeriam conjecerit*; ſed ridet, quia non ſentit malitiam cordis humani naturalem, non ſentit autem quia non attendit. Certè univerſalitas, antiquitas & inemendabile malum peccati, nos ab origine, & ſic majores noſtros, malos fuiſſe evincit. Et quanta eſt imputationis hujus peccati miſeria, tanta è contrario omninò non imputantis DEI gratia eſt. Licet enim non mirum eſſet, ſi Adamo & iis qui in ipſius lumbis erant, & pariter omni modo deficientes, peccatum, ſine venia, ad mortem imputatum fuiſſet, ſub fœdere tamen gratiæ, & communi DEI, erga totum genus humanum, benignitate, primorum hominum defectio,

ſecun-

Digitized by Google

ſecundum rigorem, potius non imputatur, quam imputatur. Vid. *Lavaterus* in erudita Diſſertatione de *Imputatione & non Imputatione Juſtitiæ & Peccati.* Addamus, peccati hujus primi, & inde ortæ miſeriæ quamplurima jam, in antiquis gentium traditionibus, extare veſtigia, ita ut ne ſerpentis quidem colloquium cum Eva materia incredulitatis eſſe queat, ſicuti in C. Jul. *Hygini Fabulis & Poëtico Aſtronomico* Cap. III. *Hercules* ſiſtitur *poma* decerpens ex *arbore*, cui *ſerpens* eſt involutus. Confer Nicol. *Gurtleri origines mundi.*

ז) Diluvium univerſale. Reſp.

ז) Objiciunt etiam quandoque *diluvium*, quaſi illud non potuerit tam *univerſale* fuiſſe, quam quidem à Moſe deſcribitur. Sed incredulis Chriſtianis prudentior *Seneca* opponi poſſet, qui, in eadem quæſtione: Unde magna pars terrarum undis obruatur? *Nihil*, inquit, *difficile eſſe naturæ in ſuum finem properanti.* vid. *Quæſt. Natural.* Lib. III. § 27.; multò minus igitur DEO. Præter voragines omnes terræ, etiam cataractæ cœli aperiebantur, é quibus miſſa aquarum moles tellurem littori vicinam facile fregit, ut aqua latius graſſari, & vel ex inferioribus terræ cavernis emergere potuerit. Saltem iterum gentes, multiplici teſtimonio, idem diluvium confirmant, & ad noſtra usque tempora, ſicuti Doctiſſ. Dn. *Scheuchzerus* probavit, variæ diluvii reliquiæ, ex maximis montibus, petuntur.

ח) Chronologiam de Longævitate Patriarcharum. Reſp.

ח) Credere nolunt *Chronologiam de longævitate patriarcharum*, quodque homines primi mundi per tot annos vixerint, quot illis tribuit Moſes, quem fortè menſes tantum recenſuiſſe putant. Sed *Geneſ. cap.* VII. & VIII, ubi menſium & dierum expreſſa mentio fit, clarè ſatis indicant, Moſen non menſes ſed annos vitæ indicaſſe. Id quod etiam confirmat effatum *Jacobi Geneſ.* XLVII, 9. Nec mirum illos, rebus omnibus integris, viribus naturæ non exhauſtis, cibus ſucculentioribus quam hodiè, alimento tenuiore, ex herbis potius quam carne, petito, per tot annos atque diutius vixiſſe, maxime cum voluntas DEI fuerit, ut mundus incolis repleretur, &, longo rerum uſu, artes atque ſcientiæ promoverentur; ut Eccleſia per ipſos illos, qui & lapſui & promiſſioni gratiæ proximi fuerant, in doctrina

Digitized by Google

ſidei & pietatis inſtrueretur, atque ſic traditiones illæ ad poſteros impollutæ tranſirent.

ו) Electionem populi Judaici ad ſalutem. Reſp.

ו. Urget cumprimis *Spinoza*, quod Deus tamen, vel *Paulo* teſte, noluerit tantum *Judæorum*, ſed etiam gentium Deus eſſe, unde, quidquid pro illius populi *electione ad ſalutem* dicatur, incertum ſit. Sed *Reſp.* Voluiſſe Deum favere gentibus tum, cum impiæ & idololatriæ addictæ erant, nunquam probabit. Velle Deum etiam gentium Deum eſſe, verum eſt; ſed ab illo demum tempore, quo gentes etiam ipſum ut ſuum Deum, colere incipient. Sic etiam

ז) Miracula. Reſp.

ז. *Miracula* explodit idem *Spinoza*; quod, qui omnia neceſſario agit, à legibus naturæ æternis recedere nequeat; ad quæ videri poſſunt *Sam. Werenfels in diſſert. de veritate miraculorum S. Scripturæ. Joh Locke* in diſcurſu *de miraculis*, & cumprimis *Heideggerus* in *Exercit. Bibl.* pag. 332. (352.) Idem porro, cum aliis ejus affectis paſſim ſugillare ſolet.

ח) Leges Moſaicas. Reſp.

ח. *Sapientiam* & *modeſtiam legum Moſaicarum*, veluti *Exod.* XXII, 16. 17. *Deut.* XXII, 13. ſeqq. *Numer.* V, 12. ſeqq. Hiſtoriam itidem *Rathæ*, dationem etiam *mulierum Saulis* in ſinum *Davidis.* 2. *Sam.* XII, 8. de quibus, & aliis ejusmodi cavillationibus, omnium inſtar, videri & legi meretur Doctiſſ. *Stillingfleet in originibus ſacris*, inprimis in *Epiſtola ad Deiſtam, pro adſerenda S. Literarum auctoritate, & religionis Chriſtianæ veritate*, quam, Anglicana lingua ſcriptam, in latinam convertit *Andreas Adamus Hochſteterus*; impreſſa eſt *Ulmæ* 1695.

§. XII.

3) Sceptici & Indifferentiſtæ.

Præter Atheos & Naturaliſtas, hic quoque obſervandi ſunt *Sceptici* & ſic dicti *Indifferentiſtæ*, qui, in religionis negotio, ἀδιαφορίαν quamdam admittere volunt. Quomodo cum illis agendum, & contra eos pugnandum ſit, egregiè docuit *Gottlieb. Wernsdorffius in brevi & nervoſa de Indifferentiſmo Religionum Commentatione*, & *Joh. Fechtius, in Hiſtoria & Examine novæ Theologiæ Indifferentiſticæ, ſive Religionis Univerſalis* confer. h. Cap. §. XXXVI.

§. XIII.

Digitized by Google

§. XIII.

Si non deſunt, cœtibus noſtris, qui *ſedent* in *cathedra de riſorum*, multo plures ſunt, qui *ſtant* in *via peccatorum*, qui non modo ad malum faciendum ſunt diſpoſiti, ſed &. per contractos peccandi habitus, & iteratas, tota die, vitioſas actiones, manent & progrediuntur in malo. Ejusmodi Ἁμαρτωλοὶ à reliquis ſeſe diſtinguunt per continuationem in peccatis actualibus varii generis, per contemtum Verbi divini & ſuffocationem omnis ſenſus gratiæ divinæ, per malitioſam repugnantiam, ſi monentur, per excuſationes pariter vanas, *Prov* XIV, 9. plauſibiles obtentus, & ſubtiles extenuationes peccatorum. Cumque utplurimum apud illos extincta cernantur deſideria ſpiritualia, ſeriæ etiam correctionis, regnetque è contrario ſecuritas carnalis, hinc illorum revocatio ad mentem meliorem difficillima eſt, & labor omnis ferè plerumque fruſtra impenditur. Quia tamen, Dei gratiâ, etiam ex hiſce deperditis ovibus quædam, maximè per continuum Paſtorum laborem, ad inſtar *juvenis* illius, qui inter latrones aliquamdiu verſabatur, quemque *Johannes Apoſtolus*, teſte *Clemente Alexandrino*, in *Libris Hypotypoſium* ſive inſtitutionum, Chriſto lucratus eſt, in viam reduci poſſunt, hinc neceſſe eſt, ut & reſpectu talium cura non omnis ſeponatur.

Partim, qui ſtant in via peccatorum.

§. XIV.

Eum autem in finem in id juxta laborandum erit, ut 1) *malorum habituum fontes* tollantur, cumque *ignorantia* credendorum & faciendorum omnium primus ſit, atque principia cognitionis ſalutaris, ſine quibus nec intellectus nec voluntas officium ſuum præſtabunt, ejusmodi profanis deſint, inſtillanda illis erunt totius religionis fundamenta, cum maximè doctrina de Deo, ejus juſtitia, potentia, ſapientia, veritate, bonitate &c. de omnimoda noſtra à Deo dependentia, de termino peremtorio ſalutis, ut hodie, dum vocem Dei audiant, aures non obturent, de unico medio perveniendi ad ſalutem, per pœnitentiam & fidem &c. Curandum 2) ut, cum fontibus mali, ipſis etiam *fomites* peccatorum habitualium eripiantur, objecta ſcilicet & occaſiones pec-

Horum reſpectu 1) tollendi ſunt habituum malorum fontes.

2) Peccatorum fomites.

peccandi, prava conſortia, ſimiliaque, maximè vero, qui peſſimus omnium fomes eſt, licentia patrandi malum, idque, ſi fieri poteſt, etiam auctoritate Magiſtratus Civilis. Quodſi vero corrupta Politiæ facies eſt, nec auxiliatricem manum Magiſtratus præbet, Paſtor ſaltem eò laborabit, ut malum per redargutiones, ſed tempeſtivas, indeſinentes, conjunctas cum ſeriis precibus tollat, ſi non in totum, tamen in tantum. Cumque malitia hominum etiam ingenioſa ſit, ut, ad ſupprimendos conſcientiæ remorſus, vario ſmegmate utantur; cum, ſicuti deriſoribus ſuæ turres ſunt, & altitudines, unde Deum oppugnant, ita peccatores ὀχυρώματα ſua habeant 2. *Corinth.* X. 4. 5. quibus peccati nidulationem atque conſuetudinem defendunt, hinc & 3) varia illorum *præjudicia*, per quæ exercitium religionis, & peccati Dominium conjungere volunt, clarè & evidenter eximenda, atque deſtruenda ſunt. Operæ pretium erit, ſi illa paulò ſpecialiùs conſideramus.

& 3) eximenda varia eorum præjudicia.

§. XV.

a) Obtendunt fatalem aliquam ad peccata neceſſitatem. Refutat.

Sic a) obtendere ſolent *fatalem* aliquam *neceſſitatem*, qua ad peccata quaſi urgerentur: neſcire ſe, quo malo fato ad tam enormia crimina prolapſi ſint, aut, quod magis eſt, illis ita implicati, ut ſeſe extricare nequeant. Ad hæc Paſtor reponet: 1) Ita homines peſſimos providentiam divinam, quam, ſi intima cordis paterent, agnoſcere nolunt, ultra quam fas eſt, extollere, ita ut Deo potius, quam ſibimet ipſis peccati culpam adſcribant, id quod omnino nihil aliud eſſet, quam peccatum in immenſum augere. 2) Sic illos ex homine nonniſi brutam machinam facere, quo actum foret cum omni religione, atque diſcrimine boni & mali in actionibus hominum, ſpe itidem præmii futuri; ſic tolli omnia principia moralitatis, ſinè quibus tamen homo non eſſet. 3) Proprios conſcientiæ remorſus hunc prætextum refutare, quos utique non paterentur, ſi actiones hæ fato eſſent coactæ, & non ſpontaneæ atque liberæ: ſaltem per ipſos illos ejusmodi conſcientiæ remorſus hoc illis concludendum eſſe, quod æquè fatale ſit, credere ſe liberos eſſe, cum non ſint, atque ſe talia ſcelera, ex propoſito deliberato, agere:

Mirum

Digitized by Google

Mirum illud omnino eſſe; *Fato cogi ad actionem*, & tamen *torqueri conſcientiâ*, quod eandem liberè fecerint; certè, ſi unquam homo liberè & ſponte agat, vel agere poſſit, non majorem hujus libertatis conſcientiam & convictionem eſſe poſſe, quam quidem illa eſt, qua nunc fruitur, ita ut vel ſtatuendum ſit, hominem nunquam cum ſpontaneitate & libertate agere, vel fatendum ſe, in peccatis ſuis, libertate hac abuti. 4) Si ſciret vel maximæ intemperantiæ addictiſſimus homo, quod in calice propoſito venenum ipſi porrigatur, an quæſo mortalem hauſtum neceſſitate fatali excuſabit? Quodſi itaque præſentis periculi conſideratio ipſum à propoſito malo ſponte retinet, quidni & futuri judicii, tantò gravioris quod maneat illud in æternum, contemplatio eundem, à tam vitioſo & periculoſo vitæ genere, retraheret? ſicuti certè non fatalis neceſſitas, quæ minimè ad laudem vergit, ſed ſpontaneus DEI timor *Joſephum Geneſ.* XXXIX, 9. ab ejusmodi peccatis retinuit. 5) Si credant efficacem providentiam, credere etiam illos debere potentiam atque juſtitiam Dei, quæ, ſi omnia peccata punitura ſit, cum maximè tales, qui peccatorum ſuorum culpam in Deum conjiciunt, impunitos non dimittet. Et tandem 6) oſtendi poterit, rigorem legis divinæ, ſeveritatem judicis, exactitudinem juſtitiæ, minas & promiſſiones divinas clarè ſatis indicare, perditionem peccatorum non ex Deo, ſed ex ipſis eſſe. Conferantur ad hæc ſcripta Belgica, quæ T. H. *van den Honert*, *Burmannus* & alii, Libro *Frid. van Leenhof.* cui titulus: *Cælum in terra, ſeu deſcriptio veræ lætitiæ*, oppoſuerunt, ubi prolixè oſtenditur, quomodo officia noſtra cum efficaci providentia Dei, etiam ad excitationem pietatis, & ad conjunctam cum ſolicitudine fugam peccatorum, cohæreant.

§. XVI.

Opponitur b) *infirmitatem* hominum *naturalem* tantam eſſe, ut non poſſint omnia præſtare, quæ quidem ab illis exigantur: nos, carne infirma cinctos, in terris non poſſe Angelos agere: cœlum ſanctitatis, terram infirmitatis & corruptionis locum eſſe. Ad hæc diluenda regerendum erit. 1) Infirmitatem hanc agnitam

b) Infirmitatem hominum naturalem.

Reſp.

 tam

tam ipſos judicaturam eſſe in ultimo judicio, quo enim infirmiores ſumus naturâ, eo majori cura peccato aditus præcludendus, & Dominium non eſt concedendum. Nemo repentè fit peſſimus. Ubi primum admittitur peccatum, cui facile reſiſti poterat, tum demùm progrediendo vires acquirit, ut infirmos proſternat. 2) Quia infirmi ſumus naturâ, in id juxta incumbendum eſt, ut firmi reddamur per gratiam; omnia enim valemus in illo, qui nos corroborat, Chriſto. *Phil.* IV, 13. idque 3) exempla docere, qui enim ſemel carnem cruci affixêre, cum ipſius cupiditatibus, illis non modo facile eſt ea, quibus peccatores addicti ſunt, ſcelera vitare, ſed & horrori eſt illa committere. 4) Iſtiusmodi querelam tam latè patere, ut nullum non peccatum, voluntarium etiam & graviſſimum, à quo tamen multi eorum etiamnum abhorrent, committi queat. 5) Si per naturalem infirmitatem, etiam poſt ſeriò quæſitam gratiam, horrenda illa ſcelera vitari non poſſent, cur igitur Deus jurat, eos, qui talia faciunt, *non ingreſſuros eſſe in regnum Dei.* 1. *Corinth.* VI, 9. 10 & cur ℣. 11. ſtatim additur, *tales ipſos* olim *fuiſſe, ſed nunc* & *ablutos*, & *ſanctificatos* & *juſtificatos eſſe?* 6) Scripturam S. terram, atque hujus ſeculi vitam, locum & ſtatum dicere explorationis, quam ſequatur judicium, itaque ſaltem hîc portam eſſe apertam, quæ poſt hanc vitam clauditur, ut adeo hîc obedientiam Deus cumprimis efflagitet, ſicuti etiam virtutes pleræque, ut pœnitentia, patientia, caſtitas, ſobrietas &c. hujus tantum vitæ ſunt, & præſenti Seculo alligantur, cumque ſpe Adventus glorioſi Domini conjunguntur. *Tit.* II, 11-14.

§. XVII.

e) Vocari nos ad impoſſibilia. Reſp.

Objicitur e) *ad impoſſibilia nos vocari*, pulchra equidem eſſe officia, ſed præſtitu difficillima. *Reſp.* Ita Tyrannidis accuſari Deum, & falſum omnino eſſe, quod, maximè in fœdere gratiæ, ad quod, poſt lapſum Adami, Verbo Evangelii vocamur, Deus ad impoſſibilia nos vocet Si conſideratur ſumma mandatorum, omnia eò tendunt, ut ſobriè, juſtè, piè vivamus, atque ad has virtutes, ſerio propoſito, ſincero ſtudio, contendamus. Quis vero negabit, gulæ ſuæ quem imperare poſſe, ut ſibi caveat

Digitized by Google

veat ab ebrietate? Quis negabit, præſtare nos poſſe & debere aliis, quæ nobis præſtita vellemus? Id ipſimet gentiles optimam converſationis humanæ regulam & menſuram eſſe judicarunt. Sic non deſunt etiam, qui obedientiam, prouti requiritur in Evangelio, præſtant, & hoc reſpectu *Joſias* dicitur amaſſe Deum ex toto corde. 1. *Reg.* XXIII, 25. *Mandata Dei* Johannes dixit eſſe *facilia* 1. *Joh.* V, 3. quia, ubi ſaltem amor Dei, fides Chriſti, &, mediantibus precibus, Spiritus Dei nos agit (in quibus radix omnium virtutum ſita eſt) fides, charitas & ſpes nemini difficiles, ſed omnibus gratæ erunt. Et qualis quæſo difficultas credere in Redemtorem, amare ſummum bonum, & apprehendere vitam æternam? ſaltem quisquis hæc præſtare incipit, ei æquè ac *juſto gaudium eſt facere* quod *rectum* eſt. *Prov.* XXI, 15. Dicendum itaque ejusmodi hominibus: *Nolle in cauſa eſt, non poſſe obtenditur.*

§. XVIII.

Sic d) quandoque etiam *ſpes ſalutis in minoribus ponitur plus quam par eſt*; v. g. Tam exactam vitam nequidem Deum deſiderare; ſufficere aliqualem veritatum cognitionem, fidei profeſſionem publicam, atque ſic credere in nomen Filii Dei, cujus ſanguis nos purgat ab omnibus peccatis; Deum quandoque ipſo peccato uti ad noſtram humilitatem. Ad hæc regerendum 1) Spem ſalutis absque uſu mediorum gratiæ nullam eſſe, fidem requiri in charitate efficacem. 2) Nihil prodeſſe cognitionem veritatis ſine charitate, ſi vel cum fide miraculorum ſumma conjuncta ſit. vid. *Jac. Altingius* ad 1. *Corinth.* XIII, 1. 2. *Oper. Tom.* V. pag. 464. 3) Non ſufficere confeſſionem *Matth* VII, 21-23. *Recedat ab injuſtitia* neceſſe eſt, *qui nomen Chriſti nominat.* 2. *Timoth.* II, 19. 4) Fidem in Chriſtum equidem includere fiduciam; ſed non temerariam. Malos habere præſumtionem, pios timere. *Abrahamus* per fidem juſtificatus eſt, *Rom.* IV. ſed fides ejus non fuit ſine operibus. *Jac.* II, 21. 22. Qui ſequitur exemplum Abrahami in fide, ſequi etiam debet in operibus. Sine hac fide per charitatem efficace nequidem 5) externa gratiæ media & beneficia prodeſſe. Arcam, Petram, Mannam &c. nihil

d) Spem ſalutis ſibi formant latiorem, quam par eſt.

Refut.

Digitized by Google

nihil profuiſſe perverſis Iſraëlitis. vid. *Jerem.* IX, 25. 26. in textu originali, *Jeſai.* XXIX, 1. *Hagg.* II, 12. *Jerem.* VII, 12. 1. *Corinth.* X & XI. *Vallem viſionis* habere graviſſima *onera.* Elevationem *Chorazin* & *Bethſaidæ* ad id factam, ut tanto graviore caſu ruant. 6) Sanguinem Chriſti nos purgare à peccatis, ſed ſi in luce ambulamus. 1. *Joh.* I, 6. 7. Voluntas Dei eſt noſtra ſanctificatio 1. *Theſſal.* IV, 3. absque qua nemo Deum videbit. *Hebr.* XII, 14. 7) Si non vellet ut ſimus ſancti, quò humiliemur per peccatum, & auctor eſſet, & ſuaſor peccati. Inter eventum apud fideles, contrito corde, peccata commiſſa dolentes, & poſthæc ſanctitati ſtudentes, atque inter voluntatem Dei nobis præſcriptam maxima eſt differentia, tanta illa, atque inter effectus peccati naturales, qui ſunt mors temporalis & æterna, & inter gratiam, quam Deus credenti in Chriſtum exhibet.

§. XIX.

e) Etiam poſt pœnitentiam ſeram.

Cumprimis autem e) miſeri ejusmodi homines ſibi adulari ſolent temerariâ ſpe ſalutis poſt *pœnitentiam* vel *ſeram:* Putant, quod ſufficiat, ſi modo ante mortem converſi fuerint; reſtare ſibi & in futuro tempus pœnitentiæ: Deum gratiam ſuam nemini, vel in ultimis eam petenti negare. Sed *Reſp.* 1) In hoc effugio peccatoris id omne eſſe, quod peccatum ejus graviſſimum reddit. Peccat, & ſcit ſe peccare, ita ut nulla hic excuſatio ſit, in quo proprius character peccati diabolici eſt, primaria enim ratio, quod Deus diabolum tam ſeverè puniat, eſt, quod per meram malitiam peccaverit, cum lumine ſufficienti ad cognoſcendum officium inſtructus erat. Ita qui ſe, in peccatis, tali effugio confirmat, ſe utique peccare intimè novit, & convictus eſt, atque ſic *peccat contra conſcientiam,* cujus, inter alia, etiam hic triſtis effectus eſt, quod hominem, & ad patiendum & ad faciendum malum, ſenſim aſſuefaciat, unde, ſuffocatis conſcientiæ angoribus & clamoribus, nihil ſibi boni in futurum de ſe promittere poteſt. Peccat ſic 2) ex profeſſo *contra bonitatem Dei* ipſum tolerantem, quæ eum, ut amor Chriſti, ad ſanctitatis ſtudium conſtringere deberet; quaſi diceret in corde ſuo: Licet peccare, poſſum lædere Deum, quia bonus Deus poteſt

Refut.

remit-

Digitized by Google

remittere. An igitur, ſi minus bonus eſſet, illum magis vellet amare? Sic 3) peccat non tantum actu, ſed *formale propoſitum* concipit *hodie peccandi*, hodie libidinibus carnis, conſuetudinibus mundi, tentationibus dæmonis, *cras* vero Deo & Domino ſuo ſatisfaciendi, atque hoc propoſitum, ex habitudine mali, & Dominio peccati fluens, eum tam vitioſum reddit, ut ſe poſthæc à tali ſervitute liberare nequeat, quamque vana illius promiſſio, quoad futurum, ſit, docet continua, ejusmodi peccatoris, praxis. Corvi naturam habet, non *hodie* tantum, ſed & *cras* illud ſemper intonans. 4) Quo *provectiore ætate* peccator fruitur, eò *minus vitioſitatem* ſuæ naturæ *ſentit*, eò plurium *peccatorum obliviſcitur*, ut pœnitentiam de illis poſthæc agere nequeat; eò plura crimina, ob conſuetudinem peccandi, ne quidem amplius pro criminibus habet. Et *quid* quæſo 5) illud eſt, quod in tempus futurum *differt?* Conditio vivendi rationalis, jucunda & beata. Quid vero eſt, *quo de præſenti frui* vult? Status irrationalis & miſer, in quo, ex peccato væ! multiplex eſt, reatus ſcilicet culpæ, cœcitas mentis, ignorantia Dei, rerumque divinarum, odium Dei, & ſic privatio ſummi boni, nulla fiducia in Deo, nulla fiduciæ illius requies, nulla acquieſcentia in voluntate Dei, ſed appetitus inſatiabilis, cupiditatum dominium, paſſionum inquietudo, unde ſequuntur divinæ complacentiæ amiſſio, & diſplicentiæ, è contrario, plurima teſtimonia, ablatio beneficiorum Dei, Satanæ dominium in hominem. Addimus 6) in peccatis plerisque hominem, ſi remiſſionis gratiam conſequi vult, teneri ad *reſtitutionem*, ſive honoris, ſive bonorum, *proximo* faciendam, quid vero ſtultiùs quam calumniari & rapere hodie, quod cras, cum multiplici fructu, reddendum erit? Jam 7) quod caput rei eſt, *incertum eſt mortis tempus*, & prouti arbor cadit, ita jacet. Ne quarta quidem hominum pars, in iſtiusmodi morbos incidit, in quibus homo, de imminenti morte, certus eſt; & incertior multò converſio ejus, ſi vel mortis tempus imminere ſentiat. Nuda peccati derelictio, quod tum committi non poteſt, nondum eſt converſio, ſed plura multò ad illam requiruntur. Quo plures anima ſordes contraxit, eò difficilior illarum purificatio eſt, cumprimis ſi *judi-*

Digitized by Google

cium indurationis, *Hebr* III, 7. 8. *Actor.* XIII, 46. *Prov.* I, 29. quod extrema hominis ſæpius præcedit, accedat. Et quis quæſo crederet, hos gratiam conſecuturos, qui gratiam ipſam, tam horrendo effugio, indeſinenter læsêre.

§. XX.

Inſtantia. Quodſi dicant; eſſe tamen *tempus morbi*, *tempus reſipiſcentiæ*, vel *Petro* teſte 1. *Epiſt.* cap. IV, 1. *Qui patitur in carne*, Reſp. *ceſſat à peccando*, reſpondendum erit, hoc dici poſſe de regenitis, non poſſe ſemper dici de nondum regenitis; confirmare experientiam, pleroſque illorum, quando ad ſanitatem redeunt, ſi vel optima quæque polliciti ſint, redire etiam ad vomitum ſuum. Provocant etiam ad *exemplum latronis* à Chriſto in Paradiſum admiſſi. *Luc.* XXIII, 39-43. Sed unde probabunt, eum in cruce demum reſipuiſſe? cum & regenitus in grave quoddam peccatum incidere, capi, puniri poſſit ſupplicio publico, id quod vel tum temporis facile fieri poterat, ubi, ex intempeſtivo zelo, vel meliores etiam ad rebellionem abrepti fuêre. Poterat etiam in carcere jam converſus fuiſſe. Saltem nemo, ſi vel hoc exemplo uti vellet, ſibi gratiam promittere poterit, niſi fidem habeat, qualem latro iſte tum patefecit, optimam in ſuo gradu, quippe qui, vel extremâ Chriſti ignominiâ adeo non ſcandalizabatur, ut potius, ipſi regnum DEI competere, pleniſſimè convictus fuerit, ad qualem gradum vix optimi, poſt exercitia fidei plurima pertingere poſſunt. Sic & virtus crucis Chriſti ſe hac ratione, per miraculum quaſi, orbi univerſo manifeſtavit. Adde; unum ſic converſum fuiſſe, dum mille cernuntur in impœnitentia perire; tantumque abeſt, DEUM ſimilia in S. Scriptura promiſiſſe hominibus, ut é contrario potius, peccantibus juvenibus, vitioſum ſimul & miſerum prædixerit ſenium. *Eccleſ.* XII, 1. 2. Videantur hac de re, *Bernardus de Pœnitentia ſera*, *rarò ſeria.* *Tillotſonii ſermonem* ad *Jerem.* XIII, 23. *De difficultate diſcedendi à malis habitibus.* *Oſterwaldum*, *de Fontibus corruptionis.* Cap. III.

§ XXI.

Objicitur f) porro à profanis, vitam nimis ſtrictam ſapere *Quackeriſmum*, *Enthuſiasmum*, *Pietiſmum*. Reſp. 1) Non negari equidem poſſe, quod, ſub iſtiusmodi nominibus, orbem ſæpe perambulent, qui graviter errant, aliosque ſeducunt, ſed errores, iſtiusmodi hominum, ferè plerumque detegi & indicari per graviora flagitia, in quæ tandem erumpunt; profanos itaque homines convenire cum illorum fine, ſicuti veræ pietatis cultores conveniunt, vel cum eorum initio, vel cum illo quod externè profitentur. 2) Horrendum id omnino eſſe, quod pietatis ſtudium, & ſtrictior vita hodie ſectarum iſtiusmodi potius, quam orthodoxæ Religionis character habeatur; evincere id extremam Eccleſiæ corruptionem, quod, qui ſecundum externam rerum faciem tantum judicare valent, adeo videant cultum pietatis abjici in Eccleſia, ut ſtudium illius, totum quantum eſt, ſectis adſcribant. 3) Profanos hoſce homines non poſſe non pietatem odiſſe, & ſinceros pietatis cultores, quia ſpinæ ſunt in ipſorum oculis, qui vitiis reſiſtunt, quæ unicè fovent. Ita vero ſimul produnt, quod, per peccata, judicium diſcretionis ita illis ſit ademtum, ut veram etiam lucem tenebras vocent.

f) *Putant, vitam nimis ſtrictam ſapere Quackeriſmum &c. Resp.*

§. XXII.

Urgent etiam g) aliquando: *Neminem* tamen, *in hac vita, perfectum* eſſe poſſe; ſed, ſi ejusmodi profano adultera eſſet uxor, quæ infidelitatem ſuam hoc effugio excuſare vellet, an quæſo iſtiusmodi obtentu contentus eſſet? Annon protinus fidem ipſam, ſive fidam amoris directionem ad ſemet unum, à nævis quotidianæ incurſionis, in rebus œconomicis, diſtingueret? Sique, præter iſtiusmodi nævos, obtenderet, quod, per impotentiam ſuæ carnis, non poſſit non etiam alios, præter maritum, amare, næ illa pro merito exciperetur; ita nulla prorſus fides Deo data eſt, ubi non amor illius ita prædominatur, ut omnes vitioſos & dominantes affectus ſubigat. Interim notum eſt, quousque perfectio illa Evangelica pertingere queat, debeat-

g) Urgent imperfectionem hominis. Reſp.

beatque. Vid. de hoc argumento. *Heideggerus*, in peculiari tractatu Germanico, *de Perfectione*, & *Lampe*, in Libb. de *Fœdere gratiæ* Part. I. Cap. XI. §. 37. ſeqq. Et, quoad hæc & alia, hujus furfuris, effugia, *Theod. Undereyck närriſcher Atheiſt. Wigleben Vorſtellung der Hindernuſſen des Chriſtenthums, und der Bekehrung, ſamt denen gewöhnlichen Ausflüchten*; & ſupra §. XIX. laudatus *Oſterwald de Fontibus Corruptionis.*

§. XXIII.

Speciatim corripiendi veniunt a) Intemperantes & ebrioſi.

Ut vero profanitati huic, etiam in ſpecialibus criminibus, occurratur, quædam dabimus exempla. Sic aliquando, maximè his in locis, paſtori res eſt cum hominibus, qui *intemperantiæ* & *ebrietati* addicti ſunt. His, inter alia, hæc proponi poſſent. 1) Quod illud ipſum, quod, à DEO, vitæ & ſanitati conſervandæ, deſtinatum eſt, cibus ſcilicet & potus, ab ipſis adhibeatur ad hominis interitum. 2) Quod utique contra rationem ſit, totum corpus unico ſenſui tranſitorio, guſtui nempe, ſubjicere. 3) Quod, per tale opus carnis, in eadem claſſe, cum idololatria, fornicatione, adulterio, poſitum, *Galat.* V, 21. 1. *Corinth.* V, 11. VI, 9. 10. cum corpore etiam anima deſtruatur, *vino* enim *aufertur* (quaſi ab hoſte in prædam, vel, juxta Chaldaicam vocem שלף extracto gladio) *cor*, &, ſub hoc nomine, ſapientia, judicium, animi robur. *Hoſ.* IV, 11. *aggravatur cor. Luc.* XXI, 34. & cum illo etiam ipſum corpus, ſicuti eadem phraſi utitur *Plutarchus* in *Mario* p. 416. & in *Sympoſ. Lib.* III. p. 651. ita ut homo ne ratione quidem ſuâ fruatur, multo minus Spiritu DEI, qui enim pleni ſunt vini. non poſſunt eſſe pleni Spiritu: *Epheſ.* V, 18. ſic non indui poſſe Chriſtum, *Rom.* XIII, 13. 14. eſſe illos, é contrario, beſtiis ſimiles, imo pejores, quippe quæ & nullum meliorum bonorum guſtum naturâ habent, & ſatiatæ acquieſcunt, dum é contrario ipſi, ſi ſobrii maneant, & inter cibos, & abſque illis, guſtare poſſent bonitatem DEI. 1. *Petr.* II, 3. Jam etiam 4) triſtiſſimos intemperantiæ effectus eſſe; eſſe in ebrietate ἀσωτίαν *Epheſ.* V, 18. Negationem imo excuſſionem omnigenæ ſalutis. Qui ſemel, ſine reſipiſcentia, ebrius eſt, mox fiet ebrioſus. Qui huic vitio fores

Digitized by Google

res aperit, mox quaſi torrente ad crimen illud feretur. Nec manet malum intra hujus criminis limites. Qui ſedent ad edendum & bibendum, illi deinde etiam ſurgunt ad impudicè ludendum. 1. *Corinth.* X, 7. *Hoſ.* IV, 11. uti ſine Baccho Venus friget. Sequitur ebrietatem paupertas, & quidem ut vir armatus, quem vincere nequeunt. *Prov.* XXIII, 20. 21. *Amos.* VI, 6. 7. eſtque multiplex væ, ubi vinum eſt. *Prov.* XXIII, 29-35. Quorum DEUS venter eſt, eorum gloria in meram exit confuſionem *Phil.* III, 19. Non rara ſunt exempla eorum, qui, cum omnia deglutierunt, necem ſibi propria manu intulêre, & in extremam deſperationem incidêre, & tandem talibus nec opinanter dies judicii ſupervenit; *Luc.* XXI, 37. ut, quantum antea voluptatis guſtarunt, tantum, in æternum, doloris ſentiant. *Luc.* XVI, 19. *ſeqq.* Atque 5) omnium minimè iſtiusmodi profligatam vitam eos decere, qui ſub judiciis divinis, varia & multiplici ratione, ſuſpirant. *Amos.* VI, 4. 5. 6. *Jeſai.* XXII, 12. 13. atque ubi ingens pauperum multitudo requirit, ut propriorum bonorum rationem habeamus.

§. XXIV.

Si *objiciatur.* I. *Eſſe tamen omnem creaturam bonam, poſſe nos frui libertate, in illarum uſu, à Deo nobis conceſſa, dediſſe Deum bona, ut illis fruamur.* *Reſp.* utique omnem creaturam bonam eſſe, ſed quæ, cum debita gratiarum actione, & verbis & vitâ declarandâ, ſumitur. Eſſe nos liberos, ſed non ut tales, qui *libertatem accipiunt in* ἐπικάλυμμα pileum, veſtitum, ſive pulchrum & coloratum *prætextum malitiæ*, ſed ut agamus tanquam *ſervi Dei*, confer *Exod.* XXVI, 14. 1. *Petr.* II, 16 *Galat.* V, 13; *Scriptum* jam *ab ævo eſſe illorum judicium*, *qui gratiam*, etiam libertatis, *ſunt* μετατιθέντες, à juſto uſu & ordine transferentes, *in luxuriam Jud.* ℣ 4; non, quia res licita eſt, licitum etiam eſſe abuſum rei, ſive in exceſſu, ſive in aliis circumſtantiis; omnia equidem licere, ſcilicet quoad uſum rei, ſed tamen non omnia vel prodeſſe nobis, vel ædificare proximum. 1. *Corinth.* X, 23; qui, hac ratione, ſe liberum dicit à jugo Dei, multò ſe miſeriorem ſervum eſſe ſciat opinionis, carnis, vitiorum, mundi & diabo- Object. I. Reſp.

diaboli, ea tandem vera libertas eſt, quâ ab horum dominio ſumus liberati; dedit DEUS illa bona, ſed dedit illa ad neceſſitatem, non ad luxuriam, ut œconomis, non ut dominis, ut proximo ſerviamus, non vitioſæ carni, & dedit, reſpectu hujus, ut hæc tentetur 2. *Chron.* XXXII, 27-31.

Obj. II. Si *objiciatur* II. *Non illicita tamen eſſe honeſta gaudia, poculum bilaritatis: Non invidere Deum hominibus, quo minus etiam ex creaturis voluptatem quandam capiant.* Sed *Reſp.* Non eſſe ſummam felicitatis conſtituendam in ſenſilium rerum poſſeſſione, earundem uſu immoderato, & delectatione ſenſuum, dum meliorem ſui partem, & lucem omnem animi extinguant. Peſtiferi fomites reſtinguendi potius quam exſufflandi ſunt, demendum potius quid permiſſis quam addendum. Voluptatem ex creaturis nemo meliorem & conſtantiorem capiet, quam qui illis ad DEI laudem, ſuique conſervationem, cum gratiarum actione, utitur, quæ tantum abeſt, ut à profanis obſervetur, ut potius gaudia illorum nihil ſint, niſi gaudii ſpiritualis abnegatio, quorum omnes delitiæ in eo tantum conſiſtunt, ut, remotis omnibus juſti & honeſti limitibus, Baccho & Venere totum diem diſtinguant, atque comeſſationibus indulgeant. Conſiderandum illis eſſet, *Salomonem* in ipſis illis verbis, quibus quandoque abutuntur, ex intimo ſenſu & experientia docuiſſe, in gaudiis illis carnalibus DEUM quandoque *reſpondere* ſive teſtari *contra lætitiam cordis.* vid *Eccleſ.* V, 19 (18.) & conferatur, quoad phraſin, *Numer.* XXXV, 30; eundemque obſervaſſe, quod *panem ſuum facere ad riſum, & vinum ſuum dirigere ad gaudium vivorum*, anſam ſæpe det ad id, ut *pigritiâ attenuetur contignatio, & demisſione manuum perſtillet domus* propria, & Eccleſia. *Eccleſ.* X, 15. 16. (18 19) Unde ſuadet, ut, ab iſtiusmodi gaudiis homo *cor avertat, quia juventus & ortus* auroræ, ſive infantia, in quibus iſtiusmodi gaudia maximè locum habent, mera *vanitas* ſunt, & cito tranſeunt. *Eccleſ* XI, 10. (XII, 2.) Atque eadem reponantur illis, qui III *Verba Salomonis Eccleſ.* II, 24 opponere ſolent; quippe quæ propriè ſic reddi poſſent: **Es iſt nicht gut dem Menſchen** (der nemlich kein überbleibendes Gut hat) **eſſen und trincken/ auch** nicht (gut.) **daß ſeine Seele guter dings ſeye in ſeiner**

ſeiner Arbeit. Si vero verba, ſecundum ordinariam verſionem, accipiuntur, oppoſita ea ſunt tum avaritiæ opulentorum, tum luxui principum, idemque ſibi volunt, quod Cap. IX, 7. (9.) dicitur, ſcilicet hominem tum cum lætitia cibo frui poſſe, ſi opera ejus DEO placent, ita ut de uſu legitimo cibi potusque piorum agatur.

Objectio III. Sunt etiam, qui *miraculo Chriſti*, qui generoſo *temeto* ejus defectum, *in nuptiis Canæ* celebratis, reſarciit *Job.* II, 10. abutantur. Reſp. Sed *reſponderi* poteſt, dediſſe hoc *Chriſtum* ad gaudia nuptiarum, non ad temulentiam, cujus nullum teſtimonium extat, imo dediſſe non tam ad præſentem voluptatem, quam ad futurum uſum, & in teſtimonium non negandæ benedictionis, ut olim *Eliſæus oleum* 2. *Reg.* IV, 7.

Inſtantia. Si *inſtent*, quod proprio motu ad *comeſſationes* non ferantur, ſed has *in gratiam amicorum* concedant vel permittant, *Reſp.* Reſp. Quod tamen, in gratiam amicorum, nullus eorum venenum bibat; quod mortem ſibi, ſi non corporis, quæ tamen frequenter id vitium ſequi ſolet, ſaltem animæ eâ indulgentia ſibi concilient; quod effectus, iſtiusmodi intemperantiæ, ipſa morte deteſtabiliores ſint, dum, in exceſſu ratione ſua privantur; quod ejusmodi exceſſus amicitiam ſæpe non firmet ſed perturbet. *Prov.* XXIII, 29. commoda non adferat ſed pericula; quod pro amicis haberi nequeant illi, qui, per iſtiusmodi exceſſus, non modo bonam famam, rationem, ſed ipſam vitam atque ſalutem deſtruant, quod præſtet proinde aliquam ipſorum reprehenſionem ſubire, quam ſeſe iſtiusmodi tentationibus exponere. Vide plura in libro quantivis pretii: Die gantze Pflicht des Menſchen, & conſulantur quæ *Goth. Heideggerus* ad *Epheſ.* V, 18. collegit.

§. XXV.

β) Impuri, fornicatores, adulteri &c. Eſt & aliquando cum talibus agendum, qui ſe omni genere *impuritatis* polluunt, &, ſi nondum ad extrema, *ſcortationem* & *adulterium*, prolapſi ſunt, impudicis geſtibus, turpibus colloquiis, impudico veſtitu, ſimilibusque animi impuritatem demonſtrant. His repreſentari poterit; eſſe hæc vitia, quæ tam aliena inter Chriſtianos eſſe deberent, ut nequidem nominentur.

Digitized by Google

Epheſ. V, 3. 4. é diametro contraria voluntati DEI, quæ noſtra ſanctitas eſt. 1. *Theſſ.* IV, 3. 4. Concupiſcentiam hanc matricem eſſe omnis mali, motus tales brutis magè quam hominibus convenire. Quantum autem criminis in omni genere impuritatis lateat, exinde facile conjicere eſt, quod tales impuri *injuriam* faciant a) *corpori* ſuo, quod ſic vario & multiplici morborum generi ſubjicitur, ut martyres reddantur diaboli 1. *Cor.* VI, 13-20, b) *Menti* ſuæ, quia ſcortatio aufert cor, vigorem rationis & judicii. *Hoſ.* IV, 11. *Prov.* V, 5. VI, 33. id quod etiam lapſorum *exempla* confirmant, *Davidis*, qui durante adulterio nihil in Dei laudem cecinit, & *Salomonis*, qui vel ad idololatriam ipſemet, vel ſaltem ad illius conceſſionem, per mulieres peregrinas, ſeductus fuit, atque ſic facere injuriam ſibi & ſuæ ſaluti. 1. *Cor.* VI, 9. Injuriam quoque c) *ſemini* ſuo, quod enim, in legitimo matrimonio, ad propagationem naturæ, & multiplicationem ſeminis Dei datur, id, in impuris fornicationibus, offertur diabolo ad propagationem dedecoris perpetui, ſicuti ſpurii quondam ex conventibus publicis, ad minimum civilibus, & hodie etiam ferè plerumque à privilegiis reipublicæ excluduntur; quo ipſo ſimul graviter peccant in naturalem illam στοργὴν, cum liberi utriusque parentis educationem, hinc & utriusque conjunctionem perpetuam & legitimam requirant, à qua tales alieni ſunt. Injuriam porro d), quantum in illis eſt, faciunt *Deo*, qui corpus humanum, ceu opus Phrygionicum, artificioſiſſimè fecit, ut & illud purè, ab homine, conſervetur 1. *Cor.* VI, 18. Injuriam ſic ſanctiſſimæ hominis ex DEO origini, imagini, & voluntati divinæ *Epheſ.* V, 1. 3. 2. *Cor.* VII, 1. 1. *Theſſ.* IV, 3. cum nihil delectationi in DEO magè contrarium ſit quam voluptas in carne, quò major illa eſt, eò alienior homo eſt à DEO *Rom.* I, 24. Non placet DEO *Eccleſ.* VII, 26 (27) Qui abominatio DEO eſt cadit in hoc rete. *Prov.* XXII, 14; injuriam *Chriſto*, cujus membra corpora noſtra eſſe debent 1. *Corinth.* VI, 15. à quo corpus redemtum, ut non ſit noſtrum pro omni arbitrio, ſed Dei. *Ibid.* ℣ 20. Injuriam *Spiritui S.* cujus templum ſic deſtruitur ℣ 19. 2 *Cor.* VI, 16. Injuriam quoque, cumprimis in adulterio, horrendam e) *proximo*, atque

Digitized by Google

atque in eo, quod tenerrimè amat, ubi fides violatur, ſuper divina inſtitutione, mutuo contractu, ſolenni conteſtatione coram DEO facta. Mulier cujus cor rete, & manus vincula ſunt, amarior eſt morte. Proponendum illis eſt, eſſe hoc crimen pœnam aliorum peccatorum. *Rom.* I, 21. 24. *Eccleſ.* VII, 26. (27.) *Prov.* XXII, 14. vaſtare illud conſcientiam, extinguere gratiam, difficilem eſſe ejus remotionem, cum nullum crimen diutius hæreat, in membris, illo; *Apoc.* II, 21. 22. facilem ex illo, ad alia peccata, idololatriam, homicidia, perjuria, avaritiam &c. tranſitum, unde conjunguntur *Rom.* I, 29. 30. *Epheſ.* IV, 19. 1. *Corinth.* V, 10. 13; hinc & DEUM, juſtiſſimum judicem, ſcelus hocce, quia ſacrilegus eſt polluens templum Dei, immediato judicio ſuo punire velle. 1. *Cor.* III, 17. VI, 9. 2. *Petr.* II, 9. 10. *Hebr.* XIII, 4. & actu puniviſſe, ignem *Sodomitarum* per ignem Dei *Geneſ.* XIX, 24. 25. Fornicationem *Zimri* & *Cozbi* per manum *Pinehaſi Numer.* XXV, 8. 14. 15. Inceſtum *Amnonis* per gladium fratris. 2. *Sam.* XIII. Scortationem *Iſraëlitarum* per furorem Iræ Jehovæ. *Numer.* XXV. coll. 1. *Corinth.* X, 8. *Adulterium* mulieris conjugatæ, *amaro potu zelotypiæ*, quo femur & venter, ſedes primaria criminis, puniebantur. *Numer.* V, 12-31. (conf *Wagenſeil* ad *Tract. Talmud. Sota*) idque ſimul in typum ſpiritualis ſcortationis Iſraëlis, & graviſſimæ illius pœnæ. *Deut.* XXIX, 18. ſeqq. *Hoſ.* I.

§. XXVI.

Atque ſicuti voluptatis hujus dominantis, licet ad extrema nondum progreſſa ſit, manifeſta ſunt criteria, ſi non, quanta voluptas erat, tantus etiam de illa ſit dolor, ſi non cum Davide, non cum ſerio deſiderio, inde remiſſio, hinc ſanctificatio cordis petatur, ad inſtar precum *Pſal.* LI. Si grata maneat memoria peccati, ſi malum illud etiam in aliis, ſine ſingulari dolore & ira, feratur; ita, ut tam horrendo crimini via omnis præcludatur, ſuadendum erit iſtiusmodi hominibus, ut ſeria ſit de illo contritio, utque, eum in finem, ſemper memores ſint *præſentiæ Dei. Jeſai.* XXIX, 15. *Matth.* VI, 4 Ejus *juſtitiæ* & *iræ* in hoc peccatum. 2. *Sam.* XII, 10-12. *Sanctitatis*, cujus imaginem Reductio eorum.

referre deberent. 1. *Petr.* I, 15. 16. *Fœderis* etiam *cum Chriſto* *Epheſ.* V, 32. *Dignitatis Chriſtianorum.* 1. *Corinth.* VI, 9. ſeqq. ut conſiderent ignem hunc intima comburere. *Job.* XXXI, 9. 12. ut aſſidui ſint in precibus, quæ ſimiles illis *Syrac.* XXIII, 4. 5. 6. nec ceſſent quoad puri ſint, ut ſtudeant ſobrietati & temperantiæ *Matth.* XVII, 21; ut vocationi ſuæ diligenter vacent, & ſolicitè evitent converſationes & occaſiones malas. *Prov.* I, 10. 11. *Matth* V, 29, ut oppugnent motus primo primos *Rom.* VII, 7. 8 ut odium adſit voluptatis, & delectatio in DEO tantò major, *Luc.* VII, 42. 43. ſeqq.

§. XXVII.

Cumque non deſint, ſceleratis iſtiusmodi hominibus, effugia vel ex ipſis S. Literis petita, his quoque occurrendum eſt.
Obj. I. Ita I. *Objicitur* locus *Levit.* XIX, 20. ubi dicitur, quod, ſi quis cum *ancilla* נחרפת i. e. non tam *deſponſata*, quam *deſpecta* ſive non plenè deſponſata (vid. *Ainsworth* ad h. l. & *Pauli Fagii Annotat. ad Paraphr Chald. Onkeloſi.* h. l.) rem habuerit, illa equidem flagellanda ſit, ipſe vero ſacrificio tantum crimen illud expiare debeat. Sed *Reſp.* vel hoc ipſum oſtendere, quod, licet vilitas perſonæ in tantum illum excuſaverit, ut morte non fuerit afficiendus, crimen ipſum tamen non excuſetur in totum, vel leniùs toleretur. Pertinuit hoc unicè ad diſcrimen, ſervorum atque liberorum, in foro externo, reipublicæ Judaicæ, declarandum, quod in N. T., ubi nullum inter homines amplius diſcrimen eſt, nullam, etiam minuendi criminis, rationem præbet.

Obj. II. Resp. *Objicitur* II. *Actor* XV, 20. 29. ubi, juxta eorum opinionem, *ſcortatio* cum adiaphoris jungatur. Sed *Reſp.* 1) incertum eſſe, an h. l. voce πορνεία *ſcortatio* intelligatur, vel annon *carnis ſanctæ in carne gentili inquinamentum? Eſavus* ſaltem *Hebr.* XII, 16. πόρνος dicitur, quia, contra parentum voluntatem, *alienigenam* in matrimonium duxit, nec forſan alio reſpectu *Rahab*, *Jacob* II, 25. πόρνη nominatur, quam quia *gentilis* erat, ſicuti & Judæis זונה & *meretrix*, & uxor ex alia quam Iſraëlitica ſtirpe oriunda, veluti *gentilis*, audit. Hoc certè cum ſcopo Con-

Concilii Hieroſolymitani, decidendi lites de circumciſione gentilium, convenire poterat. Incertum 2) an idolothytorum. Eſus, omni reſpectu, ad adiaphora pertineat, contrarium ex 1. *Corinth.* X. & collatione eorum cum Sacramentis fluere videtur. Certum è contrario, 3) per univerſale S. Scripturæ teſtimonium, ſcortationem inter manifeſta opera carnis recenſeri. *Galat.* V, 19. Sic

III. Abutuntur impuri hi homines *Polygamiâ Patriarcharum*; ad quam objectionem, ut ante omnia reponi poteſt debet que, quod illa & inſtitutioni matrimonii. *Geneſ* II, 21. 22. & verbis vel Adami vel Moſis. *ibid* ℣. 24. & iis quæ *Malach.* II, 15. *Matth.* XIX, 5. ſeqq. dicuntur, non conveniant; ita cumprimis hoc urgendum eſt, quod, etiam illo tempore quo tolerabatur utcunque polygamia, adulterium tamen & ſcortatio graviſſimis pœnis ſubjecta fuerint, *tum* in foro humano, punitis illis gladio & igne, *tum* in foro divino. cum talibus, in inferno, gradus pœnæ major attribuatur. *Job.* XXXI, 12. Obj. III. Reſp.

IV. *Opponunt* quandoque virorum ſanctorum, ſpeciatim *Davidis exemplum*, qui, ceu vir ſecundum cor Domini, eò tamen etiam, ut loquuntur, infirmitatis prolapſus, atque gratiam, poſt peccatum, conſecutus fuerit. Sed non perpendunt 1) quod David peccatum illud nunquam excuſaverit, quod illud non commiſerit ſub ſpe indulgentiæ, ſed potius illud antea ſeriò deprecatus fuerit *Pſal.* XIX, 14 2) quod idem illud crimen, licet eum nec opinanter obruerit, eundem tamen abhinc & in graviſſimum homicidium pellexerit, & maculam ei inuſſerit indelebilem, ita ut, diu etiam poſt obitum *Davidis*, actionis cum Uria, in ipſius vituperium, mentio facta fuerit 1. *Reg.* XV, 5. & tam graves conſcientiæ remorſus excitaverit, ut inde etiam in graviſſimos morbos inciderit. *Pſal.* VI. & XXXVIII. 3) quod illud ipſum afflictionibus concatenatis ſubjecerit, ſicuti non modo filius, ex adulterio natus, immaturà morte ſublatus fuit, ſed & filia à fratre, violata, unus fratrum trucidatus ab altero, à filio & populo in eum conſpiratio excitata, concubinæ ejus publicè violatæ fuerint, ipſeque ſic abhinc vix paucas per horas, omnem ſuam vitam tranquillè tranſigere potuerit, imo, vel Obj. IV. Reſp.

circa

Digitized by Google

circa finem ejus, per diſſidium inter Adoniam & Salomonem, adhuc dum graviter turbatus fuerit. Confer, ad gravitatem hujus criminis agnoſcendam & declarandam, *Oſterwald* in tractatu Gallico *de impuritate*, & *Preſton* Anglus in tractatu *de mortificatione carnis.*

§. XXVIII.

v) Avari. Aliquando Paſtori res eſt cum *Avaris*, & *injuſtis bonorum proximi raptoribus.* His *in genere* ob oculos ponendum, quod coacervando aurum, tantum aggravent contra ſe *denſum lutum*, ſive terrena lucra cum pondere peccati. *Habac.* II, 6. quod *avaritia*, quæ *idololatria* eſt *Coloſs.* III, 5. ſit *radix omnis mali* 1. *Timoth.* VI, 10. & omnia quaſi in ſe contineat peccata. *Pſ.* CXIX, 36. uti Judæi eleganter huc referunt verba *Amos.* IX, 1. ובצעם בראש כלם quæ ſic reddunt: *Et avaritia eorum* (ex בצע) *in capite omnium* eſt, & teſtantur Hebræi; propter avaritiam primum & ſecundum templum deſtructum fuiſſe. *In ſpecie* vero, quod avarus *injuriam* faciat a) DEO, dum *aurum colit* amore & fiduciâ, quali alii colunt *idola* (unde avaritia *idololatria* dicitur *Coloſſ.* III, 5. eique jungitur *Job.* XXXI, 24 27. *Ephef.* V, 5.) ſervitque *Mammoni*, cui olim infantes, in ventilabro collocati, ab infantia dedicabantur, in futurarum divitiarum & affluentiæ auſpicium, quodque, è contrario, fidem non habeat Deo omniſufficienti *Geneſ.* XVII, 1. Providentiam turbet, paternum Dei animum abneget, ſicuti pluribus oſtenditur *Matth.* VI, 24. ſeqq. atque ſic etiam Deo rapiat, quod ſuum eſt. *Hag.* II, 9 *Pſ.* XXIV, 1. Injuriam b) porro PROXIMO, contra quem ſic ſe durum oſtendit, viſcera claudit. *Job.* VI, 14. XX, 19 1. *Joh.* III, 17. nemini proficuus eſt, ſed potius alteri, quod ſuum eſt; varia ratione aufert, unde nomen *Mammonis injuſtitiæ*, *Luc.* XVI, 9. quia talis dives aut iniquus eſt, aut iniqui hæres, ratione originis, &, ratione effectus, opibus ad vana, contra Domini veri voluntatem, abutitur. Injuriam c) quoque SIBIMET *ipſi*, cum bona equidem colligit, ſed ex collectis nullos fructus capit. *Eccleſ.* V, 9. rapta incerto hæredi, imo, ex juſto Dei judicio, ſæpe hoſti relinquit. *Levit.* XXVI, 16. *Deut.* XXVIII, 38. *Jeſai.* I, 7. LXII, 8. LXV,

Digitized by Google

LXV, 20. 21. *Nahum.* II, 9. 10. & cauſas tamen rapinæ ſecum in judicium defert. 1. *Timoth.* VI, 9. 10. *Spinas* colligit, quibus nemo magis, quam ipſemet pungitur. *Mich.* VII, 4. *Ignis* ſunt opes malè partæ, quibus poſſeſſor ipſe conſumitur *Mich.* VI, 10. ſeqq. Animum deprimit avarus, acſi eſſet ad metalla condemnatus. Sibimet ipſi viam, vel inter preces & lacrymas, ad gratiam intercludit; non enim remittuntur peccata, niſi reſtituantur ablata. Inter collectas divitias diu manere nequit, dum feſtina mors repentè & ſimul aufert, quidquid ejus nequitia, nec ſimul nec repentè, congeſſit; *Luc.* XII, 20. 21. ita ut, ſi difficile ſit diviti, ingredi in regnum cœlorum *Matth.* XIX, 24. (veluti ditiſſimæ Tribus extra terram ſanctam habitarunt. *Num.* XXXII, 1. ſeqq.) impoſſibile prorſus ſit illud Avaro. *Epheſ.* V, 5. *Prov.* XXVIII, 20. Sicuti, è contrario, qui, per eleemoſynas, diſpergit bona ſua, ſalvat perſonam ſuam, veluti in naufragio. *Prov.* XI, 24. ſeqq. XVI, 6. *Pſal.* CXII, 9. *Dan.* IV, 24. (27.) Et quid proderit illi, ſi totum hoc, quod extra ipſum eſt, congregaſſet, ſi vero ſummoque bono, in æternum, privatur? Eleganter hoc ob oculos ponit *David Pſalmo* XLIX. ubi, in exordio ℣. 1-5. alloquitur *omnes populos*, כל-ישבי חלד *omnes habitatores mundi* (qui præſentem vitam, mundumque, cum grata ejus luce, inhabitant, mundum, cujus avari *durationem* laudant, ſicuti חלד *Arab. vegetâ ſenectâ* eſſe, *perennare*, *manere*, *perpetuò durare*, & nomen חלד *ſeculum*, *æternitatem* notat) ſive fuerint בני-אדם plebji, ſive בני-איש dignitate & potentiâ alios antecellentes, *divites* & *egenos*, adeoque ſummos & infimos, bonos atque malos, &, poſitâ theſi ℣. 6. oſtendit, felicitatem mundanam impiorum & avarorum homini pio nec *optandam* ℣. 7-16. nec *timendam* eſſe ℣. 17 fin. Probat eam non eſſe *optandam*. Licet enim avari divitias habeant, & pro fundamento fiduciæ, ut ſibi inde ſecuritatem promittant, & pro fundamento gloriationis, ut felicitatem ſibi, ex illis, tribuant, utrumque tamen ſine fundamento fieri, tum ob mortem inevitabilem omnibus ℣. 7 14. tum ob miſerrimum ſtatum malorum poſt hanc mortem ℣. 15. Inevitabilem eſſe mortem inde demonſtrat, *tum* quia nullum divitibus adverſus illam datur remedium, idque propter defectum

& voluntatis & facultatis fratrum ℣. 8. 9. *tum* quia remedium, quod ipſimet ſibi fingunt in mente, inane eſt, *&* ratione opum, & ratione honorum ℣. 10-14. Quod mori teneantur & כסיל *ſtultæ fiduciæ homo*, licet per aliquam *ſapientiæ* ſpeciem cogitet, & diſponat de futuro, & בער *ſtultæ negligentiæ* homo, qui, bruti inſtar, ſine intellectu fruitur præſentibus, *quibus* utrisque *opes* deſerendæ, imo *relinquendæ ſunt aliis*, imo ſæpè alienis. ℣. 11. Jam velle equidem illos in contrarium remedia quærere, tum in conſervatione memoriæ, per familiam & poſteritatem ſtabilem, tum in ſtructuris & ædificiis magnificis, tum in fama & nominis celebritate ℣. 12. ſed hæc in nullo pretio eſſe, dum interea, ſenſus & felicitatis expertes, *beſtiis ſimiles*, *qui in gloria*, ſi aliquando hìc fuerint, *non* maneant, imo nequidem *pernoctent*. ℣. 13. ita ut magna ſit ipſorum ſtultitia, nec minor ſtupor eorum, qui illorum viam & mores tamen laudant. ℣. 14. Hæc omnia tandem excipere, poſt mortem, ſtatum miſerrimum, quem ad quinque capita refert Pſaltes ℣. 15. a) Quod *ſicuti pecudes*, tanquam oves occiſionis, ad ulterius graviusque, quod ſua ſibi inſipientia & aberrationibus accerſiverunt, judicium, & anguſtè (quibus vix unus antea orbis ſufficiebat) & gregatim, ſine ullo honoris & dignitatis diſcrimine, *in ſepulchrum*, carcerem tenebricoſum, aut ponant ſeſe, aut *ponantur* ipſi. b) Quod *mors illos* non conſumtura, ſed *paſcitura* ſit, rectura & ſub dominatu ſuo retentura, ita ut, orbati luce, jaceant oppreſſi, ſub horrendis doloribus conſcientiæ, qui illos, veluti vermes, perpetuò vellicant & mordent. conf. *Job.* XVIII, 13. ſeqq. *Donec* c) *recti*, à tyrannide malorum liberi, gloriæ regni participes *Matth.* XXV, 34. *dominabuntur in eos manè*, id eſt, in ultimo judicio. conf. *Jerem.* XXI, 12. *Pſal.* XVII, 15. *Et* ſic d) צירם ſive *Petra* ſive *forma eorum* (יצר à צרה) erit *ad inveteraſcendum* (i. e. conſummabitur in conſummatione ſeculi. *Pſal.* CII, 27. ut infinitivus cum ל ſit pro futuro *Pſal.* XXXII, 9. XXV, 14.) Abibit in nebulas omnis pompa, & forma, omne ſolamen, quod vel de futuris habebant, ſemel ſimulque ceſſabit, & tandem e) *infernus* מזבל לו *pro habitaculo illi* ſit, ut qui hìc perpetuas ſedes, domusque voluère, illas non inveniant niſi in inferno; vel, cum

זבול

Digitized by Google

זבול propriè habitationem fixam, eamque in cœlo ſignificet *Jeſai.* LXIII, 15. cumque מפתח *Levit.* X, 7. *extra oſtium* notet, hac phraſi etiam indicari poterit, ipſos in inferno, extra cœlum, permanſuros eſſe in æternum, adeo ut nulla prorſus illis, ad Deum redeundi, ſpes ſuperſit.

§. XXIX.

Quodſi 1) *objiciatur*: Eſſe tamen *agendum per media*, adeoque ſolicitam *mediorum curam* improbari non poſſe; *reſpondendum* erit, *vivere* tamen *hominem non de pane ſolo, ſed & de omni eo, quod prodit ex ore Jehovæ. Deut.* VIII, 3. adeoque de Verbo tum efficacis providentiæ, tum mandati divini. vid. *Pſal.* XXXIX, 6. *Prov.* XXIII, 5. Si vero quis 2) avaritiam *frugalitatis* nomine excuſare vellet, reponendum eſt; evidens inter utramque diſcrimen eſſe. Frugalitatem nihil nimii, nec nimis appetere, ſolius avari eſſe amare pecuniam, velle divitias. *Eccleſ.* V, 9. *Hebr.* XIII, 5. Frugalem opes conſervare, ſed & conſervatis, in ſui & proximi commodum, uti, nihil illum vitare niſi impenſas ſuperfluas. Avarum vero, & ſe & proximum, opum ſuarum fructu privare. S. Scripturam clarè ſatis determinare, quid avaritiæ nomine veniat, quod ſcilicet ſit inordinarium deſiderium obtinendi, & retinendi divitias, ita ut avarus non contentus ſit de illis, quæ de præſenti adſunt, *Hebr.* XIII, 5. quærat ſuperflua *Luc.* XII, 13. 14. 15. *Prov.* XXX, 8. 9. *Eccleſiaſt.* V, 9. 1. *Timoth.* VI, 8. Fiduciam in illis ponat, *Jerem.* XVII, 5. contra 1. *Timoth.* V, 5. *Pſal.* LXII, 9. 10. 11. nec miſereatur afflicti *Prov.* XXVIII, 27. ut premat è contrario proximum uſuris. *Exod.* XXII, 25. Mercedem retineat operariorum, *Jacob.* V, 4. imo vel ipſi quæſtum facienti benedicat. *Pſal.* X, 3. Quodſi *inſtet* avarus 3) *divitias* tamen eſſe *benedictionem*, *reſpondendum*; Eſſe illas talem non ſine relatione ad Deum, diſponentem de illis. *Pſal.* IV, 7. 8. *Eccleſ.* V, 12. *Conf.* ad hæc Anonymus *von der gantzen Pflicht des Menſchen*, *Sanderſon de contentatione animi in Serm. ad Phil.* IV, 11. *Guil. Ameſius de caſibus conſcientiæ* Lib. V. Cap. 51. & 57.

Obj. 1. Reſp.

Obj. 2. Reſp.

§. XXX.

*) Implacabiles, contentioſi. Sæpiſſimè vero cum *implacabilibus* luctandum eſt Paſtori, & *contentiones*, vel inter proximos componendæ. His in mentem vocabit; in *amore inimici*, qui vel animo *odio habet*, ore *execratur*, & opere *perſequitur*, *ſummam* tamen *legis* eſſe *Matth.* V, 44. *Levit.* XIX, 17. *Galat.* V, 14. in quo poſtremo loco, proximorum nomine ſchismate diviſi veniunt; idem, cum lege, poſtulare *Prophetas*. *Prov.* XXV, 21. 22. & cum maximè *Evangelium*, *legem Chriſti*. Id facere *Deum* ipſum, qui, vel injuſtis atque malis, *ſolem ſuum*, quem nemini debet, exoriri facit, & malos etiam quotidianis beneficiis mactat. *Matth.* V, 45. *Actor.* XIV, 16. Id *Chriſtum* feciſſe, qui pro nobis mortuus eſt, cum eſſemus ejus inimici. *Rom.* V, 8. 10. Sic demum patere, quod *Filii Dei* à ſeculi filiis, diſtincti. *Matth.* V, 45. 46. Eſſe tamen inimicos carnem noſtram. *Jeſai.* LVIII, 7. *Actor.* XVII, 26. imo, dum inimici ſunt, hoc ipſo ſatis miſeros eſſe. Crudelitatis eſſe ſævire in mortuum, etiam ſpiritualiter talem. Stultitiæ arrodere leproſum, forte veſtes ejus lacerare, & lædere nosmet ipſos; ejus aſinam proſternere, & vulnerare noſtram animam; eò ſtultiùs id eſſe, quod inimicum non odium placet, ſed potius illius dilectio, quæ ex inimicis amicos reddit. Id vel gentibus fuiſſe notum, ut *Seneca* dicere potuerit: Ridiculum eſſe *odio nocentis innocentiam ſuam perdere*. Ita ſpiritum pacis expelli, & diabolo dari locum. *Epheſ.* IV, 26. 27 ſaltem Dei nutu & voluntate optima nos ab inimicis affligi. *Pſal.* LXVI, 12. CV, 25. Nosmet ipſos, dum alios offendimus, velle ut nobis ignoſcatur, unde idem omnino amor & offendentibus nos præſtandus eſt à nobis. *Matth.* VII, 12. Nec erit illud adeo difficile, dummodo amor inordinatus deponatur. *Phil.* II, 4. 5. Inimicus non in ſe, ſed in Deo æſtimetur, injuriæ proximi cum noſtris, quas Deo inferimus, compenſentur *Matth.* XVIII, 33. ultionis judicium illi ſoli relinquatur, qui ſolus inimicos, ſine paſſione, judicat. Quodſi, ab ejusmodi implacabilibus, opponantur *execrationes* illæ, quæ in lege & Evangelio extant. *Pſal.* LXIX, 23. CIX, 8. 9. *Galat.* V, 12. reponendum erit: Si injurias nobis illatas tantum reſpi-

Digitized by Google

reſpicimus, hæc eò non pertinere, nec enim ſuas ſibi, ſed Deo illatas Sancti reſpexêre, & vel ipſa illa verba non ipſorum, ſed Dei erant, in improbos, fortè magis ad comminationem, quam ad indicandam voluntatem abſolutam, dicta, nec improbis illius temporis magè, quam futuri, ut ſententiam exhibeant judicialem in Judæos poſtremi temporis, & hinc in teſtimonium extremæ longanimitatis, latam. Cœterùm eosdem Patriarchas & ſanctos nullis uſos fuiſſe execrationibus, ſed pro hoſtibus Dei, vel inter minas Dei, oraſſe *Moſen*, *Samuelem*, *Jeremiam.* Quæ *Paulus* protulit *Galat.* V, 12. in his non ſuam, ſed Eccleſiæ Deique cauſam egit. Si ſancti odio habuêre malos, odium illud flagrabat in malum, non in malos, vel in congregationem malorum, non in ſingulos. *Pſal.* XXVI, 5. ut non communicent cum operibus eorum malignis. 2. *Joh.* ℣. 10. 11. Vide plura apud *Heideggerum* Diſſert. Tom. IV. *de amore inimicorum*; & *Ulricum* in *concionibus ad Matth.* V. VI. VII. ad ℣. 14. Cap. VI. pag. 527. ſeqq.

§. XXXI.

Corripiendis etiam annumerandi ſunt *aleatores*, & *qui tempus luſu terunt*, quibus in mentem revocabit paſtor, quod ſic, amore lucri, tempus perdant, cujus maxima habenda eſt ratio, quod perdant opere, quo nec corpori proſunt, nec animæ; quo nec proximo ſerviant, nec ſibi; opere quo ſe non idoneos reddunt, ſed ineptos prorſus ad omne bonum opus, dum & ſenſus ita occupat, ut ad alia mentem advertere nequeant, & affectus accendit, ut tantum fortiores in malo ſint; opere quod, ut avaritiam, & illicitam lucrandi cupiditatem pro fonte habet, ita triſtes ſaltem poſt ſe relinquit effectus, ut familiæ, creditoribus, pauperibus auferatur id, quo cummaximè indigent; quod, quæ luſu lucremur, ad injuſtè ablata pertineant, quæ, ſalvâ conſcientiâ, retineri nequeunt, ſed proximo reſtituenda ſunt; ut, quam graviter DEUM tentent, providentiam turbent luſores, non addamus. Vid. *Pictet Morale Chretienne* Lib. VII. cap. 17. *La Placette in Tract. de quibusdam caſibus conſcientiæ*, Gallico & Germanico idiomate ſcripto. *Speneri Conſil. Theol. Germ.* 5) Luſores.

Part. II. Cap. III. Artic. III. Sect. XIII. p. 342 ſeqq. *Digeſt.* IX, t. 5. c. 1. *Codic.* l. 3 tit. 43. & ſcriptum de *Aleatoribus*, quod *Cypriano*, ſed, judice *Guil. Cave. Hiſt. Liter.* Tom. I. p. 128, falſò adſcribitur, &, juxta ſententiam *Bellarmini* Pontificis alicujus Romani recentioris eſſe videtur.

§. XXXII.

ζ) Tepidi, vacillantes, deficientes.

Magna quoque hodie *tepidorum*, *in fide vacillantium*, etiam *deficientium*, multitudo, in cœtibus externis, eſt. Jam equidem id beneficii loco haberi poſſet, ſi Eccleſia, ab iſtiusmodi palea, liberatur. Sed quia officii noſtri eſt, in id incumbere, ut & convertantur, & tanquam converſi DEUM etiam ore profiteantur, neceſſe eſt ut à paſtoribus, publicè, privatim, & veritas & momentum veritatis religionis noſtræ, itemque falſitas & pericula errorum atque ſuperſtitionum in religionibus à noſtra diverſis, eique contrariis, modeſtè equidem, ſed tamen etiam ſolidè, candidè, clarè ob oculos ponatur, utque gravitas illius criminis, quod in defectione conſiſtit, oſtendatur, cumprimis ex verbo Dei. v. g. Quod, qui non manet in doctrina Chriſti, non habeat DEUM 2. *Joh.* ℣ 9. quod timidorum pars ſit cum Hypocritis; *Apoc.* XXI, 8 qui adorat Beſtiam, & imaginem ejus, bibiturus ſit de calice iræ Dei, *Apoc.* XIV, 9. & qui, vel minimo acceſſu ad idololatriam, ſcandalizet vel minimum, ei melius eſſet, ſi cum lapide molari in abyſſum maris projectus fuerit. *Matth.* XVIII, 6. *Marc.* IX, 42. Deinde & confesſionis Chriſti, & conſtantiæ neceſſitas, itidemque exempla præſtantiſſima martyrum ipſis proponi deberent; de quibus varia, ſummi ad hæc uſus, ſuppeditat *Heideggerus* in *Diſſ. de Martyrio.*

§. XXXIII.

Excuſationes variæ.

Sed cum variis *excuſatiunculis* defectiones ſuas palliare ſolent apoſtatæ, etiam his inprimis nervus incidi debet. Ita qui de fece plebis deficiunt, propriam defectionis cauſam minus ſimulantes quam alii, א) lapſum excuſare ſolent *inopiâ*, quam in religione, quam cæteroquin pro vera habent, pati debent; *neminem*

א) Inopia

minem obligari, ut confeſſionis cauſa famem patiatur; hanc naturæ vim non eſſe inferendam; ſi quis ædium, agrorum, bonorumque poſſeſſione privetur, eam hodie reliquorum naturam eſſe, ut nullius miſereantur; exempla, quantopere fidei confeſſores negligantur, eorumque qui miſeriâ ferè pereunt; in promtu eſſe. His *reſponderi* poterit 1) moderatam naturæ curam, ſine qua nec ſibi quis, nec aliis prodeſt, utilem equidem & neceſſariam eſſe, ſed hanc, in mutatione religionis, ferè plerumque obtendi magis quam quæri, aliud prorſus eſſe, quod propriè ad eam impellat, deſiderium nempe otioſè vivendi, & lautius cuticulam curandi. 2) In Religione vera nemini, qui modo velit laborare, & honeſtæ vocationi vocare, occaſionem defuturam, unde naturæ ſuæ, quæ paucis contenta eſt, conſulat, quomodo qui vel tenui cibo utuntur, meliori ſanitate fruuntur quam reliqui. 3) Certè, extra caſum famis univerſalis, ob inopiam diurni panis neminem etiamnum obiiſſe, omnium minimè ex illis, qui vocationi ſuæ ſedulò vocant; evidens eſſe ex experientia, plures eorum, qui fidem abnegarunt, inopiam paſſos eſſe, quam eorum qui DEUM vera pietate colunt. 4) De eo perſuaſos eſſe noſtros, quod vel ipſa inopia neminem tollat ante ſuum tempus. Si tempus mortis nondum inſtat, etiam inde unde neſcimus, lagenula olei nobis augebitur. Non metue parve grex, vel inopiam, DEUS enim tibi regnum deſtinavit. *Luc.* XII, 22-32. Quodſi autem 5) quis, per vim majorem, vel ad famem usque urgeatur, hac de cauſa tamen religionem velle deſerere, quam quis pro vera judicat, hoc eſſet verbum DEI æſtimare ad uſum corporis, animam occidere, ut corpus vivat, conſcientiam lædere, ut cuticulam cures, futuræ vitæ repudium dare, & æternæ damnationi ſe ultro ſubjicere, pro ſuſtentatione ad breve tempus, ſicque, cum *Eſavo*, duplicem primogenituræ partem, pro uno eoque vili cibo vendere. Saltem 6) qui, hac ratione, vitam quærit, eam, teſte Chriſto, certiſſime perdet, dirigente DEO eorum fata eò, ut proditionem equidem hoſtes ament, ſed proditorem odio habeant, atque agnoſcant, non ſervaturos ſibi fidem, qui eam DEO non ſervarunt. Ad minimum 7) ipſa opum conſecutio poſt defectionem, & ſui ſuſten-

ſuſtentatio incertiſſima eſt, quia incerta ſunt tempus judicii, dies mortis, & hora deſtructionis Babelis. *Luc.* XXI, 34. 1. *Theſſal.* V, 3 cum è-contrario illis, qui, propter Chriſtum, parentes & opes abnegant, centupla reſtitutio earum promiſſa ſit. *Marc.* X, 29. 30. Imo, ſi vel 8) apoſtatæ opes conſequantur, quid proderunt, absque animi, inter eas, acquieſcentia? Quænam autem erit animi quies in illis, quæ cum perpetuo conſcientiæ remorſu conjunguntur? Unde ſi quis eſſet defectus, cogitandum potius eſſet; ſi panem neceſſarium DEUS non ſtatim præbeat, ducere illum nos, cum Israëlitis, per tam ſterile deſertum, non ut eum neget, ſed ut nos tentet, num divina promisſione niti velimus, quæ neminem fefellit unquam, neque fallet abhinc, aut fallere poteſt, ſecundum argumenta, quæ *Matth.* VI, 25-33. nobis exhibentur.

§. XXXIV.

ב) Nihil requiri quam cultum in Spiritu & veritate. Reſp.

Objiciunt ב) illi, qui, ut ajunt, coacti ad alium cultum tranſeunt, vel eundem, ad tempus ſaltem, ſimulant: *Nihil requirere Deum, quam cultum in ſpiritu & veritate, Joh.* IV, 24. *ſufficere proin ſi mentem ei conſecremus, licet corpore diverſus, à vera religione, cultus exerceatur.* Ad hæc *reſpondendum.* 1) *Veritatem* loc. cit. *umbris*, & *cæremoniis* carnalibus opponi, proinde quisquis ad iſtiusmodi cultum tranſit, qui totus ex cæremoniis potiſſimùm conſiſtit, ille præceptum Chriſti *Joh.* IV, 24; ex profeſſo, violat. 2) Non adorant DEUM in veritate, apud quos exterior cultus non reſpondet interiori. 3) Non requirit Chriſtus cultum in Spiritu & veritate, ſine certo objecto, cui cultus ille deſtinetur, qui non præſtatur, quando corpus proſternitur coram eo, quod DEUS non eſt. 4) Idem ille, qui hoc dixit, poſtulavit etiam, ut omne genu ſe illi flectat, ut ſoli DEO ſerviamus, & illum adoremus, ut nemo ſeſe coram imagine proſternat. 5) Corpus utique etiam vult eſſe templum ſuum, corpus non minus redemit quam animam, unde etiam corpore vult glorificari. vid. *Rom.* X, 9. 10. *Hebr.* X, 23. 24 25. XIII, 15. 1. *Petr.* III, 15. 1. *Corinth* VI, 20. Si hæc 5) ſejungere, ſalvâ conſcientiâ, liceret, poſſet quis intus arbor bona

eſſe,

Digitized by Google

eſſe, & extus malos fructus ferre, contra *Luc.* VI, 45. ovis Chriſti eſſe & ſequi extraneos, contra *Joh.* X, 4. bonum ſemen eſſe, & tamen, tanquam id quod in Petram ſeminatum, tempore perſecutionis, deficere, contra *Matth.* XIII, 20. 21. 23. ſcriptos eſſe in libro agni, & tamen adorare beſtiam. 6) Si mulier diceret animam ſe puram marito ſervare, dum corpus alteri proſtituit, utique adultera eſſet. 7) Externa tantum petebantur ab omnibus illis, qui martyrium ſubiêre, à *Sociis Danielis. Dan.* III, 16-19. ab *Eleazaro*, ut, ſumtis carnibus licitis, tantum ſimulet, ſe ſuillâ veſci. 2. *Maccab.* VI, 18 *ſeqq.* à *Martyribus Chriſtianis*, ut ſaltem granum thuris in focum conjiciant, & noluêre. 8) Etiam ipſo, extremæ corruptionis, tempore, qui, in occulto, DEUM timuêre, genua etiam non incurvarunt Baali. 1. *Reg.* XIX, 18. Et tandem, ſi neceſſe eſt, ut luceat lux noſtra coram hominibus, ſi abſtinendum eſt, ab omni etiam ſpecie mali, providendum utique, ne homines, opera noſtra externa intuentes, DEUM verum blaſphement.

§ XXXV.

Frequenter 3) opponitur exemplum *Nahamanis* 2. *Reg.* V. ſeu potius *Eliſæi*, qui, per verba: *Abi in pace* ℣ 19. *Nahamani* conceſſerit, ſe, in commodum regis ſui, incurvare coram *idolo Rimmon* ℣ 18. Sed obſervari hîc debent 1) *perſona; Nahaman* tantum *proſelytus portæ* erat, adeoque in porta religionis Judaicæ tantum ſubſtitit, ubi, ſecundum *Judæos*, imo vel ipſum *Paulum* 1. *Corinth.* IX, 19., tantus rigor locum non habuit. 2) *Actio* illius perſonæ; quæ fuit *incurvatio*, proin actio quæ & religioſa & civilis eſſe poterat; incurvatio equidem *in templo Rimmonis*, ſed quæ ex circumſtantiis dijudicanda. Si quis, in templo idololatrico, ſeſe ideo tantum incurvaret, ut ſpinam, vel è pede ſuo, vel alterius evelleret, id cultus rationem habere non poteſt; ita hic regem ſaltem, ritu civili, proſequi volebat, confer. 2. *Reg.* VII, 2. 17. 3) *Locus*, qui erat extra terram Iſraëlis, ubi adeo nullum Iſraëlitis ſcandalum dedit. 4) *Remedium*, adverſus ſcandalum, ſive ſiniſtram hujus incurvationis interpretationem, ab ipſo *Nahamane* poſitum, dum, eum in finem, ter-

3) Exemplum Nahamanis.

Resp.

Digitized by Google

ræ Israëliticæ maſſam ſecum abduxit, ut, ſuper altari inde erecto, ſe DEUM Iſraëlis colere, publicè oſtenderet, qui cultus ejus ordinarius quædam quaſi proteſtatio interpretativa fuerat, qua omni ſiniſtræ interpretationi, de incurvatione ejus, coram rege, in *templo Rimmonis*, præcavebatur. 5) *Diſpenſatio Prophetica*, absque qua nec ipſe *Nahaman* hoc feciſſet; quæque eatenus locum habuit, quatenus alia eſt ratio actionum earum, quæ per ſe ſunt vetitæ, alia illarum, quæ ſaltem propter aliud prohibentur; alia actuum, qui idololatrici per ſe ſunt, alia vero illorum qui eò duci, & ad idololatriam imputari poſſunt, alia idololatriæ directæ, alia indirectæ; ſed & *diſpenſationem* hæc dicentes, *factum toleratum* fuiſſe dicimus, *non* item *probatum*. Nec poteſt hoc exemplum particulare, ad regulam quandam generalem ſervire, tam parum atque ſanatio lepræ illius, in exemplum ſimilis remedii trahi poteſt. DEUS non ſecundum exempla, ſed juxta legem ſuam nos judicaturus eſt, ex qua clarè ſatis conſtat, quod nulla ſit communio templi DEI, proin & corporis noſtri, cum idolis. Addimus, inter *Nahamanem* & illos differentiam eſſe longè maximam; in *perſona*: dum *Nahaman* novitius erat, *hi* vero voluntatem DEI ſciant, *Luc.* XII, 47. In *facto*: *Ille* in templum idoli venit, non ad cultum DEI, ſed ad præſtandum, juxta vocationem ſuam, officium civile, è contrario publicè profeſſus fuit, ſe DEUM Israëlis adorare, cum *hi*, ut bonis & honori conſulant, actum perpetrent, qui idololatriam directam involvit, & adorationem ſibi concedi poſtulent, quam corde deteſtantur. In *ſcopo*: *Nahaman* hoc fecit, non ut haberetur idololatra, ſed fidelis regis ſui ſervus, *hi* vero, non ut ſerviant regi, ſed ut habeantur pro ſociis religionis ejus. Differentia tandem etiam in *jure*: *Nahaman* hoc non fecit ſine diſpenſatione, quæ *his* deeſt, & deerit ſemper. Exempla *Nicodemi* & *Joſephi* *Joh.* XIX, 38. 39. huc non quadrant. Nullis illi ſacris illicitis adſtitêre, ſed iis à quibus nec ipſe Chriſtus abſtinuit. Siluêre tantum de eo, quod publicè profiteri debuiſſent, ſed per infirmitatem, *Joh.* XII, 42. quam, ſuo tempore, ita ſuperarunt, ut iidem, Jeſu mortuo, vel fugientibus apoſtolis, vivam, per opera, fidem, clarè ſatis demonſtraverint publice.

§. XXXVI.

Digitized by Google

§. XXXVI.

Objicitur ד) *à Weigelianis*, *Socino Prælect.* 2. *Joh. Ludov. Vive*, aliis: *Quemlibet in qualibet religione ſalvari poſſe*, modo piè, juſtè, ſobriè vivat: Cuivis religioni aliquid ineſſe, quod DEO placeat: Tranſitum ab una ſecta ad alteram non adeo vitioſum eſſe &c. Ad hæc varia reponi debent. 1) Si quis tranſeat ab una religione ad alteram, contra lumen conſcientiæ, & perſuaſus quod veram fidem abnegaverit, impoſſibile prorſus eſt, ut, quantumcunque ille ſatagat, vitam verè piam tranſigat, continuis enim conſcientiæ remorſibus actus, cum murmure & odio veritatis agnitæ, commiſſi, quaſi per ſemet ipſos, refutabuntur. 2) Qui deficit à fide, pro rato habebit id quod DEO diſplicet, quod cum pietate nemo conciliare poterit. In quolibet, qui piè DEUM colere vult, ratio, voluntas & actiones externæ ſibi invicem reſpondere debent. Qualis quæſo pietas, ſi quis cultus veritatem agnoſceret, actiones autem externas, contra mandatum DEI, in cultum prohibitum dirigeret? Non licet ſuperſtitioſos, cultus externi, actus pro liberis habere, maxime ubi præcepta hominum docentur, & exercentur ut doctrina DEI, ubi, in credendis, pro parte divinæ veritatis, in agendis, pro parte divinæ voluntatis, habentur, quæ tamen DEUM non auctorem, S. Scripturam non judicem, conſcientiam non teſtem habent. Sic 3) ſupponitur, quod *Chriſtus* & *Belial* eodem loco haberi poſſit, quod eodem jugo quis conjungi queat cum infidelibus, contra 2. *Corinth.* VI, 14 15. 16. 4) Si religio Chriſtiana vera eſt, falſas eſſe oportet reliquas, ob *Actor.* IV, 12. *Joh.* III, 16. *Hebr.* III, 11. Veræ eſſe non poſſunt diverſæ religiones, quia contradictoriæ ſunt. Si vero falſæ ſunt, agnoſcendum erit nullam in illis dari ſalutem; verum enim & falſum, in rebus quæ rationem medii habent, cum reſpectu ad finem dicitur. Et certe DEUS non patietur, ut alius juxta ipſum colatur, nec modum, quem tanquam ſe indignum aliis interdicit, his præſcribere poteſt. Unde eleganter *Iſraëlitæ*, ad idolorum cultum tranſeuntes, *Hoſ.* VII, 16. *Pſal.* LXXVIII, 57. comparantur cum *arcu fallaci*, cujus tela non antrorſum in hoſtem,

ד) Quemlibet in qualibet religione ſalvari poſſe.

ſtem, ſed vel ad latera, ad amicum offendendum, vel retrorſum in ipſum jaculatorem, tendunt. 5) In qualibet religione pium, juſtum & ſobrium agere, contradictio eſt in adjecto. Religio conſiſtit in cognitione, & amore ſummi boni. Jam nulla niſi revelata ſummum illud bonum indicat. Reliquæ neſciunt juſtificationem impii, quomodo juſtitiæ divinæ ſatisfiat &c. vid. ad hæc *Heideggeri Diſpp.* Tom. III. Diſp. X. *de Errore falſarum religionum.*

§. XXXVII.

a) Inſtantia. *Inſtant* indifferentes a) *juſtum* tamen *fide ſua vivere. Rom.* I, 17. Reſp. *Reſp.* Eo ipſo, quod *juſtus* tantum vivit, *non quilibet* vivet; quod *fide, non quocunque modo* vitam conſequitur, quod fide *ſua* vivere dicitur, hoc innuit fidem, quæ in ipſo reperitur ſubjective, relate ad verbum, non autem illam, quæ ab ipſo invenitur effective, ex corrupta ratione, quæ fidei opponitur. Licet præſtet locum, cum *Coccejo*, ita explicare, ut in particula *ſua* ad ſalutare objectum, Meſſiam nempe & præconem reſpiciatur.

b) Inſtantia. Reſp. *Inſtant* b) porro: *Placere patrifamilias diverſitatem laborum in familia; placere regi diverſarum ipſi ſubjectarum gentium diverſum cultum. Reſp.* 1) Placeat *diverſitas, non* placet *contrarietas.* Regnum in ſe diviſum deſtruitur. 2) Religionum diſcrepantia non tantum eſt in *modo*, ſed etiam in *objecto*. An placeret patrifamilias, ſi ſervus alium illi dominum vel ſubjungeret, vel ſubſtitueret. *Qui non mecum eſt*, dicit *Chriſtus, contra me eſt. Luc.* XI, 23. Differentia etiam in *modo* non tantum in adiaphoris, ſed in eſſentialibus cultus partibus verſatur; alia enim veri, alia falſi, alia adorationis in Spiritu & veritate, alia ſuperſtitionis & idololatriæ ratio eſt.

c) Inſtantia. Reſp. *Urgent* c) *fundamentum fidei retineri; in cæremoniis tantum mutationem eſſe.* Reſp 1) Sic & olim nonniſi proſtratio coram *ſtatua Nebucadnezaris*, non abnegatio veri Dei, *Dan.* III poſtulabatur, & maluere tamen *Sadrach, Meſach* & *Abednego* ignem ſubire, quam idololatriam committere. 2) Dantur etiam cæremoniæ, quæ ſpectant ad doctrinam dæmoniorum, & apoſtaſian fidei.

Digitized by Google

fidei. 1. *Tim.* IV, 1. & quarum reſpectu *Paulus* metuit, ſe fruſtra laboraſſe. *Galat.* IV, 10. Meræ fraudes ſunt, quando controverſiæ, ſub hoc obtentu, imminuuntur. In cæremoniis ſe tantum differre dicunt, & tamen, ut fidem evertant, laborant. Hoſtis non protinus interiora civitatis poſtulat, modo exteriora mœnia concedantur. Etiam characterem beſtiæ non licet admittere. Qui in tentorium ingrediebatur, ubi homo mortuus erat, quidquid attigit impurum erat. *Numer.* XIX, 14. Inprimis d) *objici* ſolet: *Deſerere ſe ſectam*, ſive *ſchisma*, *regredi in Eccleſiam*, *quod unum ſufficiat.* *Reſp.* Nomen hoc *Eccleſiæ*, in illorum ore, aut merum eſt figmentum, aut nobis magis quam illis competit. In Eccleſia Apoſtolica, cultus, dogmata & cæremoniæ illius religionis, quæ ſibi Eccleſiæ nomen appropriat, ne nominabantur quidem; in ſequentibus ſæculis nominari cœperunt, ſed nondum aut introducebantur in Eccleſias, aut prævalebant. In tertia temporis periodo prævalebant equidem, ſed ut opiniones certæ cujusdam ſedis atque curiæ (prorſus ut hodie in Gallia Janſenismus) non vero ut dogmata Eccleſiæ univerſalis; reclamantibus pluribus contra opiniones illas, earumque abolitionem atque Reformationem petentibus, in quibusdam Eccleſiis etiam abuſum tollentibus, quod ipſum tamen nullum ab Eccleſia Schisma conſtituit. In quarta demum periodo, quæ annis aliquot reformatione poſterior eſt, omnes illi ritus, dogmata & cultus, a quibus noſtri differunt, ab aliis, pro conditione ſuæ communionis, ſub anathemate obtrudebantur; ab hoc tempore ritus illi, & dogmata cœperunt eſſe non opinio, ſed doctrina illius Eccleſiæ. Quisnam igitur jam eſt, qui Schisma fecit, qui ſectam introduxit? An is, qui antiquiori puritati inſiſtit, & doctrinam puriorem retinet, cui ſaltem prævalens, ad tempus, opinio opponebatur? Annon potius ille, qui ex opinione ſenſim prævalente, abſolutam ſuæ communionis conditionem fecit?

d) Inſtantia. Reſp.

Obtenditur e) aliquando: *Se eo animo ad alios tranſire, ut religioni veræ tanto melius inſervire queant, & ſaltem hac de cauſa diſſimulare, quædam etiam aliis, cum præjudicio religionis concedere.* Sed 1) hoc idem eſſet, ac ſi mulier quædam ſeſe alteri violan-

e) Inſtantia. Reſp.

Digitized by Google

dam præberet, ſuſtentandæ familiæ ergo, nam & in defectione ſpiritualis fornicatio eſt. 2) Ita *Saul* oves optimas, bovesque ſe ſacrificio Dei repoſuiſſe cauſabatur, &, hac intentione non obſtante, tamen inobedientia ejus magiâ pejor erat. 1. *Sam.* XV. 3) Si ſic omnes cogitarent, ubi maneret regnum Chriſti, ubi non creſceret error? 4) Tantum ex apoſtaſia ſcandalum oritur, ut promiſſa commoda in auram exeant. Plus, una die, talis nocet ſuo exemplo, quam, per omnem vitam, prodeſſe poterit; manetque regula generalis: non faciendum malum, ut inde bonum eveniat, quam *Sanderſon*, & in *ſermonibus ſacris*, & in *tractatu de conſcientia*, egregiè expoſuit.

f) Inſtantia. Tandem etiam f) eo ſe excuſare conantur, *quod*, vel præter voluntatem, *per circumſtantias*, ad iſtiusmodi inſtituta, *cogantur*, unde facile ſibi gratiam & condonationem ſibi promittere poſſent. *Reſp.* 1) *Ad fidem neminem cogi poſſe*; neminem 2) etiam facilè *cogi*. Non eſſe 3) coactionem, ſi poſtuletur, ubi quidem id juris in regionibus locum habet, ut aut diſcedas, aut ſacris illis accedas; ſic enim diſcedendum potius eſt. Et ſi vel 4) coactionem hoc dicas, ſaltem tantam ut propter eam fides abneganda ſit, hoc idem eſſet, ac ſi miles, per labores & pericula ſubeunda, ſe coactum diceret ad perjurium, aut ad fugiendum. Ad crucem Chriſtianus vocatus eſt. Qui tranſeunt ad alia Sacra fere plerumque ſpe potius quam metu moventur, metu potius, quam malo præſenti, aut malo ſaltem durationis brevioris, & ſic voluntas tranſitus principium eſt, non coactio. Quodſi autem 5) vel ipſa aliquando coactio accedat, oportet utique Deo magis obedire quam hominibus, & conſiderare, quod, quidquid ex fide non fiat, peccatum ſit contra conſcientiam; quod, qui diſcipulus Chriſti eſſe vult, ſe abnegare debeat, quodque hoc, primo loco, requiratur, ut, poſtulante neceſſitate, animam vitamque, Chriſti causâ, deponamus, cumprims quia non metuendi ſunt, qui corpus trucidant, animam autem trucidare non poſſunt; metuendus autem is, qui poteſt, & animam & corpus, perdere in gehenna. *Matth.* X, 28. 33. Confer ad hæc, præter auctores, ſupra § XI. laudatos, *Heideggerus, in Exercitat. Bibl. de Religione communi. Amyrald in Tract. Gallico de Religione* Part.

Digitized by Google

Part. II. Cap. I. & ſeq. *Perkinſius de idololatria.* Tom. II. p 821. *Placæji colloquium Patris cum Filio de Apoſtaſia.*

§. XXXVIII.

Nulla vero difficilior Paſtori opera eſt, quam cum illis, qui ſe pœnitentia non indigere putant, id eſt, cum *hypocritis*, quorum ingreſſum, in regnum cœlorum, Chriſtus ipſe difficiliorem dicit, quam peccatorum & fornicatorum. Hypocritarum autem nomine veniunt, partim *qui ſemet ipſos*, partim qui *alios*, vel *ſimulando bonum*, quod abeſſe ſciunt, vel *diſſimulando malum*, quod aut intendunt, aut faciunt, aut fecerunt, *decipiunt.* Infinitæ fere ſunt eorum, maximè priorum, *illuſiones*, *Difficilis diſcriminis* inter pios, cumprimis in infirmiſſimo, & inter hypocritas, in meliori ſtatu, *ſigna*, & ſingularis, in Paſtore, requiritur *prudentia*, ut ad *agnitionem* ſuæ *miſeriæ* compellantur. •) Hypocritæ.

§. XXXIX.

Initium faciendum erit à demonſtranda *vanitate illuſionum* multiplicium; ſunt autem harum illuſionum aliæ *generales*, aliæ *ſpeciales*. Horum illuſiones.

§. XL.

Generalium duplex ſpecies eſt. *Primò* arbitrantur, *quod non tam mali ſint*, *quam ſunt.* Hoc irregeniti plerumque omnes ſibi imaginantur. *Apocal.* III, 17. *vel* quia callo laborat conſcientia; *vel* quia, abſente gratia, vel nullam, vel non adeo ſenſibilem, adverſus malum, ſentiunt reſiſtentiam; *vel* quia peccata carnis eorundum ſunt, & temperamento naturalia. Augetur hæc perſuaſio, dum ſe membra eſſe credunt veræ religionis, de religione non judicant, niſi ex actibus externis, quorum praxis facilis eſt, à gravioribus ſceleribus abſtinent, cum proximo tranquillè vivunt, licet interea, de vera cordis contritione, de proprietatibus fidei non fucatæ, & ſinceræ pietatis, nullum conceptum, nedum ſenſum & praxin habeant. Huic ut occurratur, in genere quoque & ſedulò inculcandum erit, viam ad cœlum Tum generales,

non

non tam latam eſſe, unicam eſſe portam, eamque anguſtam ſatis ad Chriſtum, & communionem cum Chriſto; etiam illam ficum, quæ nullos bonos fructus fert maledictam eſſe, licet venenati nihil contineat; ſi tranquillè vivant, id inde eſſe, quod Satanas Satanæ non ſit contrarius; nimiam animi tranquillitatem ſuſpectam, & ſecuritatis malæ indicium eſſe; Paulum perſecutorem nullum Satanæ ſtimulum ſenſiſſe, ſed tum demum cum gratiæ divinæ particeps factus &c. *Altera generalis illuſio* eſt, quod *ſecundò* putent, *ſe meliores eſſe, quàm* revera *ſunt*. Prior perſuaſio oritur ex defectu graviorum ſcelerum, hæc autem ex actionibus in ſpeciem bonis, & quas philautia hypocritæ mirè auget. Ita *tenuis* quædam vel unius & alterius, vel etiam omnium articulorum fidei *notitia*, pro *lumine* protinus *ſalutari*, *qualiscunque* etiam, ſuper perſuaſione ſæpe etiam irrationali fundatus, *aſſenſus* pro *fide* habetur. Quandoque ſola *proſperitas temporalis* pro *ſigno gratiæ* ſpiritualis æſtimatur, quaſi, qui modo felix eſt in mundo, innocens ſit coram Deo. Jam &, ſi una vel altera actio, aut *beneficentiæ* aut *zeli*, acceſſerit, parum abeſt, quin pro heroe in pietatis cultu haberi velit. His reponi poterit, non opinionem noſtram de nobis, ſed Verbum Dei, & regulam & judicem juſtitiæ noſtræ eſſe *Hebr.* IV, 12. 13. Nullam eſſe cognitionem ſalutarem, ubi non Spiritus Dei mundum, in nobis, efficaciter arguit de peccato, de juſtitia & judicio; etiam reprobum *Saulem* quæſiviſſe aſinam, & inveniſſe regnum, &, ſi ex una vel altera actione judicium formari deberet, evinci poſſe, quod & bruta animalia rationalia eſſent.

§. XLI.

Tum ſpeciales.

Illuſiones ſpeciales, quibus hypocritæ decepti meliora quæque ſibi, de ſemet ipſis, promittunt, oriuntur *vel* ex *temperamento* naturæ, *vel* ex *erroneo conceptu de* peccatis, & *ſtatu deſerendo*, vel ex ſimili *errore de* reſipiſcentia atque fide, adeoque de *ſtatu ineundo*.

§. XLII.

§. XLII.

א) *Primi generis* illuſiones ſunt 1) *pium illum eſſe, qui ſingulari, pro vera religione, ferveat zelo*, ita ut quædam quaſi hîc ſit τυμπανίτης ſpiritualis, tumor carnis, ex ſcientia inflante ortus. Quamprimum aliquis ab inſtitutis ſacris pauxillùm recedit, bilis illorum ita movetur, ut nihil niſi injurias & flammas evomant, nec quieſcant quoad tales ejecerint; uti quidem ejusmodi zelotarum & hypocritarum mundus plenus eſt, & olim fuit. Vid. *Rom.* X, 2. 1. *Corinth.* III, 3. 18. IV, 18. 19. V, 2. VIII, 1. *Apocal.* III, 1. 2. Atque hæc illuſio tantò facilius ſeſe menti inſinuat, quod carni gratiſſimum ſit, violentas ſuas & naturales paſſiones quadam apotheoſi donare, & quod iſtiusmodi zelus, inter rudiores, quamplurimos approbatores habeat. Quodſi vero tales homines ſeſe penitius excutere vellent, cernerent utique, principium hujus zeli *temperamentum, non gratiam*, imo vel *avaritiam*, vel *ambitionem* eſſe, *non amorem Dei*, agnoſcerent fructum Spiritus eſſe fidem, ſed cum manſuetudine conjunctam. *Galat.* V, 21. & intempeſtivum ejusmodi zelum eſſe ad inſtar earum exhalationum, quæ medium aërem equidem accendunt, ſed, loco luminis, fœtorem bituminis & ſulphuris poſt ſe relinquunt. Ignis bonus eſt, ſed in ſuo loco. Et ſicuti, ex oppoſito, cognitio ſine zelo laudabilis non eſt *Jac.* IV, 17. ita zelus bonus erit, ſi & objecto & modo legitimus eſt. *Galat.* IV, 18. coll. III, 1. ſi non, plus detrimenti infert, quam commodi, adeo ut ejusmodi zelotæ, ipſo ſuo effectu, manifeſtent, quod characterem verè fidelis non habeant.

א) Quæ oriuntur ex temperamento naturæ. Scil. 1) zelus eorum.

§. XLIII.

Sic 2) uſu ſæpe venit, ut *alii*, ex temperamento eodem, *triſtitiæ, ſolitudini & melancholiæ* ſint *addicti*, qui, quo magis ſe à mundo ſeparant, eò ſe aliis etiam meliores eſſe judicant, quod ipſum tamen, ſi recte excutiatur, mera illuſio eſt, & inſervit hypocriſi; clarè enim characteres melancholiæ & effectus conſcientiæ, per Legem & Evangelium, ſalutariter tactæ & contritæ. Sic a) *melancholia* ſine *lumine* eſt, proſternitur homo *metu*, ſed *non rationali*, ſentit *angores*, ſed angorum *nullas* pot-

2) Triſtitia.

Digitized by Google

eſt reddere *cauſas*, ſaltem non ex gratioſa convictione ortas; contrita vero conſcientia conjuncta eſt, cum claro criminum ſuorum conſpectu. Spiritus S & evincit, & reprehendit eam de peccato. b) *Melancholiæ motus lenti* ſunt, ut humores corporis non corrumpantur in inſtanti, ſed vulnera conſcientiæ citò lædunt, & vehementer. *Actor.* II, 37. c) *Melancholia* omnia *colligit argumenta afflictionis per externa*, affligitur per *externa faſtidia* magè quam per ſenſum peccati, ſed conſcientia ſalutariter contrita unicè dolet de peccato agnito, & vel eapropter juſtitiam fatorum adverſorum agnoſcit & approbat. d) *Melancholia animam*, ad agendum, *reddit tepidam* & *frigidam*, ſed in conſcientiæ contritæ morſibus multum vivacitatis eſt, omnia ſatagit, ubique remedium quærit, excuſſum vellet dolorem; hinc & *illi* per media naturalia ſuccurrendum eſt, cum *huic* nulla medela ſit, quam in promiſſionibus & Verbo Evangelii. Interim *illa* ad *hanc* aliquando viam parat, & cum illa conjuncta eſt, ſed ita tamen, ut ſolus ater ille humor, de meliori ſtatu, nullum præbeat indicium.

§. XLIV.

3) Aſcetica. Per idem naturæ temperamentum 3) aliquando *illuſio* eſt ex *aſceticis*, *jejuniis*, *vigiliis* & *caſtigationibus externis*, ita ut ejusmodi homines in iis & toti ſint, & ad ſtuporem usque aliquando vim naturæ inferant, veluti exempla plurium aſcetarum teſtantur. Jam negari equidem nequit, quod caro etiam à piis ſubigenda, & caſtiganda ſit; ſed ſi tamen pietas in his tantum ponitur, illuſio & hypocriſis eſt. Hypocriſis, punire corpus, & non humiliare animam, quæ prima tamen peccati cauſa eſt, ſic, dum affligitur corpus, animæ faſtus facile extollitur. Unde *Paulus* affirmat, *exercitationem corporalem parum prodeſſe*, *pietatem* vero veram & ſolam, id eſt, cognitionem & amorem Dei, & juxta hunc ſenſum inſtitutam vitam, *promiſſiones habere hujus & futuræ vitæ*. 1. *Timoth.* IV, 8. Totum inſtitutum illorum ſuper judicio fundatur, quod, ſi non per omnia, ſaltem in multis vitioſum eſt; corpus nempe noſtrum, quâ tale, hoſtem noſtrum eſſe, cum propria mali radix concupiſcentia ſit. Inde etiam eſt, quod

Digitized by Google

quod ſeveros aliquando morum cenſores agant, ſive domi, ſive publicè, & vel ipsâ cenſurâ ſe multo illis, quos notant, meliores eſſe judicant, ſecus tamen atque Apoſtolus, qui talibus opponit, quod vitii illius, quod reprehendunt in aliis, ipſimet rei ſint. *Rom.* II, 1. Fluit illud etiam ex bilioſo temperamento, vel quod diffidentiâ laborent, in adverſo rerum ſuarum ſtatu, unde bilis in quemlibet occurrentem evomitur, ita ut nimio rigore ſuo ſaltem mage noceant. Blandus imber fruges producit, eluviones nubium totam ſegetem tollunt. Videantur hæc & ſimilia in *Basnage* Tract. Gallico *de Conſcientia* Lib. II. Cap. I. *ſeqq.*

§. XLV.

כ) Illuſiones, *ex erroneo conceptu de peccatis* ortæ, ſunt variæ falſæ de peccatis perſuaſiones. Sic 1) aliquando ſibi perſuadent, *non eſſe peccata, quæ pro peccatis habentur, adiaphora ea eſſe, quæ faciunt.* Ad hæc regerendum: Triſte hoc ſignum eſſe, eos ambulare in tenebris, ereptam illis eſſe mentem, callo laborare conſcientiam: Hûc peccare ignorantiam, quæ quandoque & in iis eſt, qui alia omnia ſimulant. *Joh.* III, 10. *Actor.* XIX, 1. 2. Aliud utique prudentibus, & ſenibus, qui extra tentationem poſiti ſunt, videri: Aliud oſtendere judicia DEI in tales. v. g. in impuritatem. *Levit.* XVIII. in avaritiam, quando cor illis abſtulerit Deus, quibus bona conceſſit: Aliud dictare, ſuo tempore, conſcientiam propriam, & jam dictaturam, ſi modo mentem à flagrante concupiſcentia, vel ad tempus, avertere, ſeriamque, de his, divinæ legi meditationem impendere vellent.

כ) Ex erroneo conceptu de peccatis.

Addunt 2) *non ſaltem tantam eſſe peccatorum minorum labem atque reatum: Kleine Sünden, keine Sünden;* ſed indicat Scriptura S. quod qui vel in uno impegerit, omnium factus ſit reus. *Jac.* II, 10. etiam in minimis offenditur Deus. Qui peccata ſua pro minimis habet, eo ipſo ex minimo magnum facit. *Chriſtus* minorum reos ut maximorum arguit, qui vel vidit mulierem, ut eam concupiſceret, adulterii reus eſt *Matth.* V. Cap. Etiam timidis pars eſt cum hypocritis & canibus. *Apocal.* XXI, 8. Multa peccata minora unum grave ſuperant, facilis hinc etiam deſcenſus eſt ad majora.

Digitized by Google

Dicunt 3) *ſe tamen*, inter iſtiusmodi peccata, *deſiderare reſipiſcentiam*, quod utique jam boni viri ſignum eſſet, cum & *Paulus velle* quidem habuerit, at *perficere* non invenerit. *Reſp.* Si hoc univerſaliter verum eſſet, judicium Chriſti de duobus illis filiis, quorum alter dixit: *Volo abire in vineam, & non abiit*, falſum fuiſſet. *Matth.* XXI, 28-31. Ubi ſincerum gratiæ divinæ & pœnitentiæ deſiderium eſt, ibi & ſtudium eſt & zelus. 2. *Corinth.* VII, 11. Qui fame laborat, id unum ſatagit, ut famem ſedet. *Paulus* non invenit *perficere* ſcil. *perfectum*, quale pro ſcopo ſibi propoſuit, ſed, ut inveniret, tamen *cucurrit. Phil.* III, 12. & *omnia potuit in Chriſto Phil.* IV, 13. Aliter ſe habet objectio illa in ore hypocritæ, aliter in ore afflicti. *Ille*, quæ non fecit, extollit, *hic* vero, quæ facit, imminuit, unde & huic, vel ex ſinceritate ſui deſiderii, ſolamen præberi poteſt.

§. XLVI.

3) Ex eodem erroneo conceptu de fide & pietate.

3) Dantur etiam *illuſiones*, ex *erroneo conceptu* de *regeneratione*, *fide* & *pietate* ortæ. Sic a) aliquando urgent: *Peccata priora omitti*, & ſic, per conſequens, *vel nunc demum pœnitentiam eorum ſinceram* eſſe. *Reſp.* Bene quidem hactenus, ſi prorſus omittantur, ſed nec ſufficit illud, nam & *Judas* mercedem iniquitatis in templum projecit, & gulam tamen ſibi laqueo fregit. Eſt & quandoque interruptio ſaltem criminis, ut tamen omnimoda perverſitatis abolitio locum non habeat. Vitatur interdum actus vitioſus, non amor actûs, non grata criminis memoria. Etiam lupus à rapiendis ovibus abſtinet, clamore Paſtorum abſterritus. Ita

b) porro gloriari ſolent: *Multa tamen, & ferè pleraque à ſe præſtari, quæ quidem, in Verbo DEI, à fidelibus requiruntur. Reſp.* 1) Ita quidem ipſis videri. *Prov.* XIV, 12. XXX, 11. 2) eſſe μόρφωσιν εὐσεβείας, ubi tamen non eſt, δύναμις 2. *Tim.* III, 5. 3) *Multa* illa non tamen impedire, quo minus, vel in illis, hypocritam agant, ut adſint tantum legalis, ſive ſervilis obedientia erga Deum, ex metu pœnæ, ſanctimonia Phariſaica, dona animi naturalia, cognitio Chriſti nata ex natura & arte, applicatio præcipitata promiſſionum divinarum, humilitas affectata, miſeri-

miſericordia nonnulla, & tenuiter ſæpè, in proximum exercita &c. Sic & 4) omnium illarum *actionem fontes* eſſe poſſunt, naturalis conſcientiæ metus. *Rom.* II, 15. Judicium ſingulare. *Pſal.* LXXVIII, 34. CVI, 13. 14. potens, ſed citò tranſiens convictio verbi, cujus ſtimulos etiam profanus felix ſenſit, honeſta educatio, uti *Joas*, vivente *Jojada*, in viis Domini ambulavit. 2. *Reg.* XII, 2. *Finis perverſus*, vel ſeducendi alios, *Galat.* II, 4. vel tegendi malum, quod intendunt, *Prov.* II. ℣. 14-22. vel quæſtus, quem ex pietate facere volunt, 1. *Timoth.* VI, 5. vel propria gloria & commoda *Matth.* VI, 2. 5. XXII, 16. ſeqq. 5) Ab iſtiusmodi externis non ſemper valere conſequentiam ad interna. Sic & *Simon Magus.* membrum veræ Eccleſiæ fuiſſet. *Actor.* VIII, 13. Etiam *Judas* proditor, vel à Chriſto, ad miniſterium vocatus erat. Poſſe quem frui prærogativis externis, electi à Deo populi, frui, & Deo tamen diſplicere; 1. *Corinth.* X, 1-5. adeſſe Sacris Euchariſticis, & Chriſto tamen ignotum eſſe; *Luc.* XIII, 25. 26. agere Paſtorem, etiam eâ cum efficacia, ut & dæmones ejiciat ex mentibus hominum, & tamen non facere voluntatem Dei, atque ejici; *Matth.* VII, 22. adjungere ſe ſanctis, & eſſe ſtolidum; *Matth.* XXV, 1. audire Verbum cum delectatione, & eſſe vulpem, ut *Herodes*; *Marc.* VI, 20. induſtrium eſſe in cultu publico, & tamen exoſum eſſe Deo; *Jeſai.* LVIII, 2. ſeqq. loqui linguis Angelorum, multa, & pietatis & charitatis, opera præſtare, pauperibus bona omnia, & quidem cum prudentia, per partes & fruſta, diſtribuere, etiam maxima pro Chriſto pati, ut tamen hæc omnia nihil ſint; 1. *Corinth.* XIII, 1. ſeqq. unico verbo, multa agere, ſed corde non ſincero.

§. XLVII.

Eorundem characteres.

Quales quales autem *hypocritarum* illuſiones ſint, certis tamen characteribus, & per certa *criteria*, & *ſemet ipſos*, & quandoque *ipſos* etiam *alii dignoſcere* poſſunt. Ut enim jam de illis non loquamur, qui per ipſam ſuam religionem tales ſunt, & *mendacium loquuntur in hypocriſi.* 1. *Tim.* IV, 2. talis hypocrita *in communi* eſt, qui, in inſtitutis, & actionibus ſuis, ad dictamen ſuæ conſcientiæ, & divinam voluntatem nunquam reſpicit,

&, in immergentibus caſibus, poſt maturam deliberationem, non ad id faciendum procedit, quod juſtum eſt, ſed quò per animi ſui motus, per commoda, honorem, voluptates abripitur. *In ſpecie* vero hypocrita eſt 1) cujus *facta* non reſpondent *verbis*. *Pſal.* L, 16. qui multa promittit, & nihil, ſive pauca, præſtat, multa folia oſtendit, ſed nullos fructus. 2) Cujus *cor* non reſpondet *factis* & *verbis*. *Jerem.* XII, 2. *Pſal.* LXXVIII, 35. 36. *Pſal.* L, 16. qui, quod obtendit, non intendit, cujus ſcopus, in cultu, eſt, ut non tam DEUS ab ipſo, quam quidem ipſe ab aliis colatur, qui non tam virtutem quærit, quam honorem, qui virtutis comes eſt, idquod etiam extus facile patet, quando, per varias artes, laudes & applauſum, etiam dum illum fugere videtur, quærit, &, ex oppoſito, correptionem, etiam juſtam, ferre non poteſt. 3) Cujus, in eum finem, *cultus in externis*, ſive in iis maximè actionibus conſiſtit, quæ in oculos incurrunt, ad inſtar *Phariſæorum*, qui קריאת שמע tempore conſtituto in plateis recitabant, diebus illis, quibus plures ad mercatum confluxerant, jejunabant, cum tamen DEUS in occultum non modo videat, ſed cor quaſi intendat & oculos, atque confeſſionem requirat, quæ ſit, ad inſtar ſacrificii laudis, non modo extùs, ſed & intùs oleo Spiritus uncta. *Pſal.* L, 14. Tales hypocritæ in laude publica τὴν ἀποχὴν & mercedem, & mercedis ſuæ jam ablatæ teſtimonium (*Quittung*) habent. 4) Cujus *obedientia* tantum *particularis* eſt, & electitia, ut uni fortè vel altero officio vacet, ſed tantum quò, in reliquis peccatis, tantò tutiùs & ſecuriùs verſetur, ut *Jehu.* 2. *Reg.* X, 12. 31. cum ſinceri hominis obedientia, ſicut *veſtis Chriſti*, tota & integra ſit, à capite ad calcem. 5) Cujus *operationes bonæ* etiam non ſunt naturales quaſi, ſed *coactæ*, ut faciat equidem quædam, quæ non admodum culpari poſſunt, ſed ſine ſtudio cordis, & voluntatis promtitudine *Jeſai.* XXIX, 13. unde nec vivum quid, in illius actionibus, eſt, ſed ſunt inſtar aquæ, quæ in lacu & ciſterna hæret. 6) Qui *ſibi multum, & proximo nihil indulget*; benignus eſt erga ſe, rigidus in alios, quaſi hoc demum eſſet ſincerum hominem agere; aut ſaltem indulget malis, & ſeverus eſt in nævis piorum. 7) Cujus *finis non reſpondet initiis*; cui bonitas, ſed ſæpius inter-

terrupta, & tandem deficiens eſt; ſimilis *ſtellis errantibus*, quæ multum lucis aliquando ſpargunt, ſed evaneſcunt; ut quod citò fit, citò perit; qui relapſus multiplex, cummaximè in eadem peccata, & in præjudicia carnis de peccato triſte hypocriſis ſignum eſt. Ita 8) ſpecialis *hypocriſis in precibus* eſt, ſi quis in publico videatur fervidè precari, non ita vero in occulto, precari cum fervore ob amiſſionem bonorum terrenorum, ſed cum tepore in defectu ſpiritualium; precari ſine humilitate, & ſui, atque vanitatum ſuarum abnegatione, dum interea DEO iraſcitur, ſi eum non exaudiat. Alia ſpecialia criteria ſuppeditat *Spenerus*, in Tractatu Germanico, *Von dem Unterſcheid der Wercken der Natur, und der Gnaden*, & de *triplici hypocriſi* vid. *Rob. Bolton Diſcours of true Happineſs*, ſive *de vera beatitudine* à pag. 29.

§. XLVIII.

Hypocritas hoſce *reducere*, etiam *Chriſto teſte*, perquam *difficile* eſt. Interim, quoad modum, ſub divina gratia, convertendi hypocritam, obſervanda ſunt ſequentia. Requiritur ut 1) ipſemet paſtor ſincerus, non hypocrita ſit. vid. *Matth.* VII, 5. ut 2) paſtor converſionem talium, ſingulari zelo, DEO commendet per preces, DEUS enim ſolus eſt, qui cor flectere, & ſanctificare poteſt. Ut 3) hominem ipſum, quocum illi res eſt, ſecundum regulas, ad ſcrutinium ingeniorum pertinentes, exactè obſervet, quale κατανοεῖν *Paulus* omnibus commendat. *Hebr.* X, 24; conferat ejus ætatem, agendi conſuetudinem, temperamentum, ipſumque ſæpè, vel ex improviſo, viſitet, ut, qualis in ſuis ſit, deprehendatur. 4) In colloquio cum ipſo inſtituendo non tam medicè agat, quam cum prudentia quadam judiciali, & per ambages inquirat, an, & qualem ſui indignitatem agnoſcat, qualis ejus, ratione mundi propenſio ſit, num in adiaphororum uſu ſibi omnem licentiam promittat, an peccatorum, & in DEUM, & in proximum, juſtum ſenſum habeat? 5) Ut, data occaſione, & publicè & privatim, vanitatem & pericula hypocriſis ob oculos ſiſtat; quanta præſentiæ divinæ Majeſtas, quanta veritatis, olim tamen certiſſimè revelandæ, & ſinceri- Atque reductio.

ceritatis gloria ſit; quam parum DEUS ſe decipi patiatur, quod, qui putat ſe quid eſſe, cum nihil ſit, ſemetipſum, & proprium cor, fontem omnis judicii, fallat, quod exteriora ſine interioribus DEO non placeant, ſi vel ſumtuoſa & laborioſa ſint. *Amos.* V, 21-25. quod, in ſacrificiis, grata DEO victima ſit, quæ pelle exuta eſt; quod *Chriſtus* nullis magis ſæpiusque væ! intentaverit, quam hypocritis, quodque pars peſſimorum, ſecundum S. Scripturam, futura ſit cum hypocritis. unde & *Judæi*, &, ex illis, *Turcæ*, ex variis conclavibus orci, infimum hypocritis adſcribunt, quorſum reſpici videtur *Apoc.* XXI, 8; quod miſerrimum revera inſtitutum ſit, vivere aliis, & ſibi mori, laudem quærere tranſitoriam, cum damno gloriæ æternæ; eſſe, è contrario, ſummam ſinceritatis laudem, maximumque prœmium, ſolam veritatis viam eſſe notam, fixam & uniformem, *Prov.* VIII, 8. 9. cum principia ejus ſint tuta & ſolida; gaudium eſſe, facere quod rectum eſt; ipſi mundo neminem gratiorem eſſe, quam qui, ex ſincero cordis propoſito, ad dictamen ſuæ conſcientiæ, vitam componit, quando cor cernitur in facie, mens ipſa exprimitur in ſermone, ut multum columbæ, parum ſerpentis habeat. Hinc & 6) ejusmodi homini ſuadebit paſtor, ut in finem rerum oculos mentis figat, quia & humanæ laudis atteſtatio præterit, & ſuperna ſententia manet, quæ & abſcondita penetrat, & retributionem perpetuam confert, ut penſet humana judicia, quantum evolent, & divina, quanta immutabilitate perdurent. *Gregorius* in *Paſtorali* Lib. III.

§. XLIX.

Tandem & corripiendi veniunt nævi ſeculo noſtro communes.

Sed & communis hodie vivendi ratio, apud Chriſtianos, *quatuor* maxime *nævis* laborat, cum quibus fido paſtori continuò luctandum eſt. Ita α) mira, tantum non in omnibus, æternæ *ſalutis* cernitur *incuria*; ultimum ſibi finem aliquando equidem proponunt, ſed, per nulla media, ſe eò tendere poſſe credunt, hinc parum operæ impenditur, & ad acquirendam divinæ voluntatis cognitionem, & ad præſtandam eandem, ad ſuperandas tentationes, ad ſemet ipſum, qualis quilibet ſit, explorandum. Quod moris eſt in mundo, cum familia, manè, veſperi, pre cari-

Digitized by Google

cari, adeſſe ſacris, vitam agere moraliter honeſtam, hoc, quia moris eſt, & ne habeantur pro atheis, qualitercunque præſtatur, ſed quæ, ſupra illam conſuetudinem, pietatis interiora officia requiruntur, ferè plerumque negliguntur. Vid. *Oſterwald* de *Fontibus Corruptionis Cap.* VII. Neque mirum illud, quia ב) totum plerorumque tempus negotiis hujus vitæ, & mundanis impenditur, his totus dies tribuitur, quando pauca momenta, nec hæc quidem ſeriò, ad ſalutis animæ curam adhibentur. His mundi negotiis totum cor datur, dum involuntarium eſt, quidquid in animæ bonum ſuſcipitur, adeo ſeſe ultrò hiſce obruunt, ut præterea ſibimet ipſi vacare nequeant, &, quod calamitatis fundus eſt, omnia mundi negotia, in mundi tantum carniſque bonum dirigunt, dum & quando edunt, quando bibunt, & omnia dirigi deberent ad Dei gloriam. Vid. *Oſterwald* Lib. cit. c. VIII. Cumque, ex illis occupationibus terrena quædam commoda oriantur, quidquid ſupereſt lucri id ג) fovendæ vanitati, voluptati, luxui in cibis, veſtibus, ædificiis &c. ita datur, ut modum omnem excedant, utque unus, in his, alteri vel par, vel ſuperior ſit, eædemque opes, par varias artes, fas nefasque rapiantur. Et ita etiam ד) ut, dum talibus animus addictus eſt, vix etiam fieri poſſit, ut non ubique frena animi motibus laxentur, & iræ, imo furori, in ædibus & extrà illas, ſi vel minimo verbo aut facto unus alterum lædit, odiis implacabilibus, contumeliis, & perſecutionibus locus detur. Et talia etiam quandoque in illis cernuntur, qui ſibi, de meliori luto, præcordia formata eſſe imaginantur.

§. L.

Hæc corruptio ita prævalet in cœtibus noſtris, ut, qua ratione illi occurri queat, vix ac ne vix quidem videamus. Interim hac de cauſa paſtores, in ſermonibus publicis & privatis, id unum curabunt; ut oſtendant 1) quantæ *neceſſitatis* ſit, in ſtatu gratiæ eſſe, & ſalutis æternæ tum communionem, tum certitudinem obtinere, quæ una nos ab omni malo liberat, animamque & corpus, in æternum, perficit. Vid. *Pictet. Theol. Moral. Lib.* I. c. III. 2) Quantæ *difficultatis* tamen ſit, hanc *Correptionis eorum via.*

ſalutem conſequi, quâ violentiâ cœlum rapiendum, quo agone contendendum ſit, ut per anguſtam portam ingrediamur. Et, cum homines communiter *ſanctitatis gradus* ſibimet ipſis forment, *ſummum*, qui in perfectione legali conſiſtat, *medium*, quem ſancti & heroes in hac vita aſſequuntur, atque *infimum*, qui ſufficiat ad ſalutem, & in eo potiſſimum conſiſtat, quod homines abſtineant à gravibus ſceleribus, & exercitiis ſacris ſedulò & devotè interſint, id cumprimis 3) urgendum eſt, iſtiusmodi conceptum falſiſſimum eſſe, quodque, qui infimo pietatis gradu tantum contenti ſunt, eo ipſo ſe nullum habere demonſtrent, quod proprium regenerati Chriſtiani criterium ſit in ſanctitate creſcere; 1. *Petr.* II, 1. 2. quod infimus ille, quem ſibi formant, gradus, ne ad id quidem accedat, quod à multis gentilibus & olim præſtitum fuit, & hodie præſtatur, ſicuti *Ziegenbalg*, in *Epiſtolis* ſuis, de *Indis Orientalibus* teſtatur, quod ſpes futuræ cujusdam beatitudinis multò majorem, in illis, rigorem excitaverit, quam quidem inter Chriſtianos cernitur. 4) Quod illâ *negligentiâ* etiam, vacandi tam pretioſæ ſaluti, occaſio præripiatur, quodque dum opportunè agere, quæ poſſumus, nolumus, paulò poſt, cum volumus, non valeamus. 5) Quod *nimiæ occupationes* non modo Spiritum diſtrahant, ſed & ſanctificationem impediant, & pellant. In quo enim amor mundi eſt, in illo non eſt amor DEI. 6) Quod multò minus vanitates Sæculi, cum ſtudio pietatis conſiſtant, quam illæ occupationes; cum enim *hæ* prætextu vocationis aliquatenus excuſentur, *illæ* prorſus ſuperfluæ ſunt; amorem mundi prædominantem teſtantur quo nugas æternis bonis præferri indicant, pauperibus & propriæ familiæ ſua præripiunt, in eumque denique ſtatum rediguntur, ut nullam planè, de ſuis bonis, rationem reddere queant. Ita 7) quod paſſiones illæ, tota die prævalentes, ſi non, in ſingulis nævis, deplorentur, & ſincera pœnitentia eluantur, evidens teſtimonium ſint, abeſſe charitatem, ut deſcribitur 1. *Corinth.* XIII. absque qua omnia reliqua opera nihil valent, & proin, cum hoc fructu Spiritus, ipſum etiamnum Spiritum abeſſe.

§. LI.

§. LI.

In nævis particularibus, earumque *correptione*, quia peccatori moleſta eſt, non ſecus atque vellicatio eis, qui lethargo correpti ſunt, a) certa diſtinguenda ſunt ab incertis, in jure & in facto, ad exemplum Chriſti. *Jeſai.* XI, 2. XLII, 2. 3. *Joh.* VII, 24. non judicandum ſecundum aſpectum. b) Mitiora de caſibus dubiis judicabit *Luc.* IX, 56. 2. *Tim* II, 24. c) In certis & perſpectis nævis, & ad corripiendum, & ad corrigendum fratrem, accedat cum ſapientia, ne fructu careat, *Rom.* XV, 14. ſicuti *Nathan* Propheta *Davidem* per parabolam, ad gravitatem ſui peccati agnoſcendam adduxit; veritas enim nuda peccantium mentes, ut oculos lippos radii ſolares directi, lædit; porro ex fide itidem ſincera, erga DEUM & proximum aget. *Prov.* XXVII, 6. hinc ſine proſopolepſia, cum ſingulari animi fiducia, ad nihil neminemque metuendum, ſint principes *Luc.* III, 19. 2. *Sam.* XII, 7. Nobiles *Neh.* V, 7. Miniſtri *Coloſſ.* IV, 17 Nævum d) proferet cum amore *Levit.* XIX, 17. cum tenerrima miſericordia erga fratrem lapſum. *Gal.* VI, 1. 2. ſed & non ſine efficacia, ut ſit ἔλεγχος & manifeſtatio facti, & convictio mali. *Matth.* XVIII, 15. Sicque aget cum illo e) vel *directè*, ſicuti *Nathan* cum *Davide* 2. *Sam.* XII, 7. vel, ubi caſus id admittit, *indirectè*, per modum obſecrationis *Geneſ.* XIX, 5. 7. ſive μετασχηματισμοῦ & translationis exempli in ſemet ipſum. 1. *Cor.* IV, 6; hinc, ut ſymptomatibus gravioribus occurrat, & ne malum latius ſerpat, f) ſuadebit fugam mali conſortii. *Matth.* XXVI. ℣. ult. converſationem cum piis 1. *Cor.* VII, 16. ſeriam divinarum pœnarum, etiam temporalium, meditationem, *Dan.* IV, 34. inprimis juge ſuimet ipſius, & actionum explorationem, Moſis & Prophetarum conſiderationem. *Luc.* XVI, 31.

Et particulares.

Digitized by Google

Caput VIII.

De Correctione & Confirmatione Piorum.

Σύνοψις.

Diſcretio piorum in cœtu difficilis equidem eſt, attamen poſſibilis §. I. per ſigna quæ exhibentur Pſalmo primo §. II. Interim & pii multis laborant *defectibus pietatis* §. III. quales ſunt tum *infirmitates*, tum *imperfectiones* variæ. §. IV. *Infirmitates* aliæ *diverſo* illorum *ſtatui* quaſi *naturales* ſunt, aliæ per *omnem vitæ curſum* accidunt. §. V. tum *quoad priorem activitatem* §. VI. tum quoad *cognitionem* §. VII. tum ratione *affectuum* §. VIII. tum reſpectu *actuum* §. IX. Illarum *cauſa duplex*, Caro & Spiritus. §. X. Cura Paſtoris circa illas §. XI. *Imperfectiones* itidem ſunt a) vel *ſtatus*, b) vel *facultatum*, intellectûs, voluntatis, memoriæ, affectuum, c) vel *actionum*. §. XII. officium Paſtoris a) circa *nimiam triſtitiam* ob hosce defectûs §. XIII. b) *adverſus ſecuritatem*, ex obtentu imperfectionis arreptam §. XIV. Quod requirit, ut *incrementa vitæ ſpiritualis* promoveat, 1) *ideam conſummatæ ſanctitatis* proponendo §. XV. 2) Regenitos *ad Deum*, qui nos totos ſanctificat, *ducendo* §. XVI. 3) *officia*, quæ *ad progreſſum* in ſanctitate faciunt, commendando, ſcilicet a) *vigilantiam* § XVII. b) continuum *conſcientiæ examen*, c) *praxin* ſalutaris *contritionis* d) atque *fidei*. §. XVIII. e) Renovationem *ſinceri propoſiti* ad bonum, & mediorum, quæ pietatem confirmant, uſum §. XIX. f) *Precum* & *meditationum* ſacrarum *ſtudium*. § XX.

§. I.

Diſcretio piorum in cœtu difficilis equidem eſt;

TRiſtiſſima Paſtoris ſors eſſet, ſi cum meris reprobis, & irregenitis illi luctandum foret, quaſi non ovibus, ſed lupis atque viperis præpoſitus ſit; unde, Dei longanimi gratia, ſaltem in majoribus cœtibus, res ita ſe habet, ut, ſi non multa, ſaltem pauca nomina inveniantur, quæ veſtes non polluêre, fideles

Digitized by Google

deles quibus ſua ſalus cordi eſt: Hos, ceu oviculas maximè curandas, Paſtor ante omnia diſcernet, & in oculis habebit. Licet autem omnes atque ſingulos non tam facile & infallibiliter diſcernere queat, quia regnum Dei intus eſt, actuum heroicorum pietatis pauca dantur exempla, in communibus autem, usquedum ſe ſingulari perſeverantiâ diſtinguant, multa latere poteſt hypocriſis, veluti *Adrianus Pauli*, in *refutatione declarationis*, quam *Labadie*, cum ſociis ſuis, edidit, clarè docuit: Licet etiam multò quis ſolidius ſemet ipſum, quam unus alterum cognoſcere queat, debeatque; (vid. *Voetii Aſcetica* C. XIX. & *Buddeus Inſtit. Theol. Moral.* Part. I. Cap. 4.) dantur tamen etiam ſigna qualiacunque, quibus aliorum hominum mores non modo, & propenſiones naturales (vid. *Jani Huarti Scrutinium Ingeniorum*, *Edmundi Richerii Obſtetrix animorum*, & *Joh. Chriſtiani Langii Protheoria eruditionis humanæ univerſæ*) ſed etiam & ſtatus ſpiritualis hominis, num ſanctitati ſtudeat, & propenſiones ſpirituales, & actus ejus, atque id quod in illis vel gratiæ vel naturæ eſt, dignoſci poſſunt. De quibus legi meretur *Spenerus von dem Unterſcheid der Wercken der Natur und Gnaden.* attamen poſſibilia.

§. II.

Signa illa, quæ, ad hoc diſcrimen inſtituendum, etiam Paſtori ſufficere poterunt, in compendio videntur exhiberi *Pſalmo primo*, ex quo illa etiam proferre juvabit. Ita pro homine regenito haberi poterit 1) *qui non ambulat in conſilio impiorum* (hominum quorum & aſſecutio bonorum, & poſſeſſio, cum inquietudine & æſtuantibus cupiditatibus conjuncta eſt, idque quod, quæ vocis רשע apud Æthiopes emphaſis eſt, Dei obliviſcantur, & qui, ad inſtar turbulenti maris, omne malum ſuſcipere idonei ſunt) *qui non ſtat in via peccatorum* (quorum inquieta deſideria in aberrationum actus, hi vero in peccandi habitum atque viam tranſierunt; uti quidem punctum Dageſch, mediæ radicali impreſſum, vocis ſignificationem intendit) *qui non ſedet*, atque quieſcit *in catbedra irriſorum* (hominum qui, & animo & vita, contra Dei metum ita obfirmati ſunt, ut exiſtentiam, providentiam, judicium Dei publicè oppugnent) quique Per ſigna quæ exhibentur Pſ. I.

 adeo

adeo nullam cum peccatoribus, idque per omnem vitæ ſuæ curſum, (quod triplici illo corporis ſitu indicatur, uti quidem homo agens aut ambulat, aut ſtat, aut ſedet) communionem habet. Sicuti ergo primum pietatis fundamentum eſt, recedere à malo, &, ut vitetur malum, vitare malos, ita hoc primum etiam hominis regeniti criterium eſt. 2) *Qui*, è contrario, in (תורה) clarâ & projectâ manu, tum metam, tum viam ſalutis indicante inſtitutione, atque *lege Jehovæ ſuam* (quam ſingulari amore, ſtudio, exercitatione ſuam facit) *delectationem habet*, ſolidam nempe, & ex ſenſu intimo, tum miſeriæ ſuæ, tum gratiæ divinæ hìc oſtenſæ, profectam, quique & hujusce ſuæ delectationis ſignum genuinum, quo à falſa delectatione diſcernitur, *legis* divinæ *meditationem*, Scripturarum ſacrarum ſcrutinium, facit, qua (juxta emphaſin verbi הגה) quidquid δυνάμεως eſt in verbo, quidquid inde πόριμον eſt in animo, profert; & quidem eam jugem, quæ *diu*, *noctuque* fit, ut ſic appareat, hoc Scripturarum ſcrutinium primariam ejus eſſe occupationem, ſecundum hanc legem Domini omnem ejus aliam cogitationem inſtitui, nullum tempus, nec diurnum, nec nocturnum, nec proſperum, nec adverſum, ad haſce meditationes ei inidoneum judicari, quique adeo etiam hæc duo, delectationem & meditationem, conjungit. Beneplacitum in lege Dei non patitur eſſe ſine meditatione, ne, voluntati bonæ, bona deſit regula, & meditationem cum delectatione, eâque in ſola lege poſitâ, peragit, ne intellectus ſe tantum in divinis eloquiis fortè quæſtus, aut ambitionis ergo exerceat, & utrumque, cum Chriſtiana humilitate, conjungit; quam emphaſin verbo הגה ſubeſſe ex *Jeſai.* VIII, 19. patet, quomodo certè qui nimis cum clamore, & faſtu de lege garriunt, nobis merito ſuſpecti ſunt. Sic porro 3) pro regenito haberi poteſt, qui, &, *ad* tam uberes *aquas plantatus*, *fructus ſuos profert*, opera bona, & ſibi & proximo, vel in cibum, vel in medicinam proficua, quibus ſemen ineſt & vis exempli, ad ædificandum alios; cum mali, ad inſtar glumæ ſive paleæ, ſibi tantum vivant, & ſua commoda, ferè nonniſi aliorum incommodis, pariant; & fructus ſuos, ſe & ſtatu ſuo dignos, *tempore ſuo* fert, quando id occaſio requirit, non præcoces, qui mox putre-

Digitized by Google

putreſcunt & abjiciuntur, ſed maturos atque ſuaves, hinc & utiles; quique 4) hancce ſuam ſanctitatem, & ex fide orta opera perſeverantiâ ornat, ut *nec folium*, hujus palmæ, *marceſcat*, ſed, tam tempore crucis, quam proſperitatis, tam apoſtaſiæ & veritatis oppreſſæ, quam vigentis Eccleſiæ, fides ejus vera ſubſiſtere cernatur. Tandem qui &, ad *finem juſtorum* reſpiciens, rerum hujus mundi pereuntium contemtum, cœli deſiderium, & fiducialem lætitiam, in actionibus, fatis, morbis ſuis, demonſtrat, ille demum ut regenitus, & ſanctificatus haberi & curari poterit.

§. III.

Quia tamen *in illis* ipſis, qui ſic ſe regenitos eſſe demonſtrant, *natura* æque ac *gratia* manet, caro non minus quam ſpiritus vita eſt. *Galat.* V, 17. 19. hinc & in ipſis *multi*, jam *pietatis*, jam *conſolationis* Chriſtianæ, *defectus* obſervantur, quibus, à fideli Paſtore, remedium adferendum eſt. De conſolatione afflictorum in ſequentibus dicendum erit, jam de priori defectu agendum.

Interim & pii multis laborant defectibus pietatis.

§. IV.

Obſervantur autem, in fidelibus, & *infirmitates* variæ, & *imperfectio* tum *ſtatus* ipſius, dum in his terris vivunt, tum ſingularum *actionum.*

Quales ſunt tum infirmitates tum imperfectiones variæ.

§. V.

Infirmitates autem aliæ *diverſo* illorum *ſtatui quaſi naturales* ſunt. Ita *infans* in Chriſto nondum eam fidei notitiam, aſſenſum & fiduciam habet, quæ in adoleſcente cernitur, qui, ex conſuetudine, ſenſus habet exercitatos, ad diſcretionem boni & mali, ita ut non amplius fluctuet, nec facile ſibi patiatur imponi per aſtutiam hominum. *Hebr.* V, 12. *Ephеſ.* IV, 14. 15. Sed & *adoleſcens* in Chriſto plus quandoque caloris æſtuantis, quam prudentiæ Chriſtianæ habet, deficitque illi, quod *Virorum* & *Patrum in Chriſto* eſt, *tum* habituale robur fidei, per conſtantem experientiam, & longum uſum confirmatum, *tum* ſapiens illud cor, quo, ex interiore & practica cognitione Dei, Filios Chriſto plures generare poteſt. *Prov.* XVI, 23. *Aliæ* vero infirmitates

Infirmitates aliæ ſunt diverſo eorum ſtatui naturales quaſi.

Digitized by Google

Aliæ per omnem vitæ curſum accidunt.

tes illis *per omnem vitæ* ipſorum *curſum* accidunt, etiam quando jamjam vitæ ſuæ ſpecimina atque ſigna dederunt. Licet enim pii nec in totum, nec finaliter deficiant, interim tamen in eodem ſemper ſtatu non manent. Non adſit apoſtaſia, adſunt tamen deliquia. Ceſſat prima charitas, initium fervet, medium tepet, & ultima frigent. Atque hujus decreſcentis & morbidi ſtatus conditionem, cauſas & remedia & perſpecta habeat Paſtor, & ut fidelibus ſedulo inculcet, neceſſe eſt.

§. VI.

Tum quoad priorem activitatem.

Talis *infirmitas* ſæpe cernitur *in ipſa*, quam accepêre, *gratia ſanctificationis*. Sic perit illis 1) quandoque *activitas* illa *prior*, quam in regeneratione teſtatam dedêre; id quod *apparet ex ſterilitate in bono*, qua laborant, fructus equidem etiamnum quosdam proferunt, ſed numero & menſura pauciores, abeſt promta voluntas faciendi priora opera. *Apoc.* II, 4. 5. & deſiderantur in illis aliquando fructus etiam in internis, & maximè vitalibus, actionibus: Interſint præconio verbi, proferant preces, in familia & coram aliis, deſunt tamen interdum frequentior contritio propter peccata, gaudium in DEO, deſiderium Chriſti & apparitionis ejus, exploratio ſui, & meditationes ſacræ. Apparet id etiam *ex ineptitudine*, ſive *minori diſpoſitione ad bonum*, cum enim antea voluntatem Domini præſtiterint, quia eam intimè amarunt *Pſal.* CXIX, 127. ſeqq. jam nihil niſi juſſi agunt, compelli debent, cum fervuerint antea. *Pſal.* CIII, 1. jam ita tepent, ut ſe non excitent. *Jeſai.* LXIV, 7.

§. VII.

Tum quoad cognitionem,

Perit illis 2) quandoque in *intellectu* lux, & *cognitio prior*. Laborat illa jam *obſcuritate* majore, quam quondam, non removentur impedimenta ab oculis mentis *Apoc.* III, 18. *vel* ipſe DEUS, inter præconium verbi, uſum Sacramentorum, opera providentiæ ſpecialis, illis relinquat habitualem, non dat tamen actualem, ſui & ſuarum virtutum, ſplendorem in *cor.* 2. *Corinth.* III, 3-6. ut magè nox quam dies apud illos ſit; *vel* ipſe fidelis non applicat oculos mentis ad ſuum objectum, non utitur illa

διάνοια

διάνοια quam Chriſtus dedit, ut agnoſcamus verum, & ſimus in vero 1. *Joh.* V, 20. aut ſaltem non firmiter tenet in oculis objectum hoc, ut ſit quaſi tranſiens ſplendor quidam, ſicuti, vacillante manu, ſtellæ per teleſcopium non clarè & perfectè agnoſcuntur, impediente ſic viſum concupiſcentiâ carnis, qua tentantur, dum ſolummodo puri corde vident DEUM. *Matth.* V, 8; jam eadem cognitio laborat *inefficacia.* Oculus aliâs cor vulnerat, & olim vulnerabat; ex viſione virtutum DEI aliâs oritur transmutatio hominis de gloria in gloriam 2. *Corinth.* III, 18. viſus amor Chriſti cæteroquin nos *συνέχει* fortiter conſtrictos tenet 2. *Cor.* V, 14. Sed, in ſtatu infirmitatis, agnita veritas eos non afficit ſenſu bonitatis Domini, ut olim 1. *Petr.* II, 2. 3. non impellit ad virtutem, non reſtringit à malo, non humiliat coram Domino. Jam & porro quandoque laborat *vacuitate* quadam. Perit illi cognitioni meditationum ſacrarum complacentia, *Pſal.* CXXXIX, 17. frequentia, ſtabilitas & firmitas, ex quibus omnibus nova tandem, in illis, oritur *incredulitas*, ut ſeſe aliquando tentatos cernant, & quidem graviſſimè, ad dubitandum de primis, credendorum, & faciendorum, articulis, ipſisque ſpiritualia ita videantur, ex oculis, evaneſcere, ut nec DEUM, nec Chriſtum, nec cœtum videant; quam tentationem, in ſpecialioribus ſuis partibus, prolixè proponit, *Buddeus Inſtit. Theol. Moral.* Part. I. c. II. §. 34-44.

§. VIII.

Sic etiam 3) mutantur interdum eorum *affectus*, *tum* qua *bonum* deſiderandum, ſperandum, amore & lætitia complectendum, *tum* qua *malum* fugiendum ſpectant. Quoad *prius*, ipſe DEUS, ſaluſque quandoque minus fervidè ab ipſis petitur, perit illis *Magnetica*, prioris *amoris*, *virtus*, ob quam, cum *Auguſtino*, dicebant: *Amor meus pondus meum, eo feror quocunque feror.* Ipſa *ſpes* illorum jam minus certa eſt, quam quondam, carent *πληροφορία*, per quam, pleno quaſi velo, ad portum ſuum ferebantur, non canuntur priſtini triumphi; infirmiùs agunt, quoad *bonum deſiderandum*, non adeſt prior illa, & ſeria mentis contentio, quoad *bona exſpectanda*, decedit gloriæ cœleſtis cogitatio

Tum ratione affectuum.

gitatio ex mente, & tentoria ſua quaſi in terris figunt, atque hinc eadem illorum ſpes ſuâ *caret efficacia*, non viva ſatis eſt, & ad moderandum affectus erga bona terreſtria, & ad purificandam mentem, ut puri ſint ſicut ipſe, & ad gloriandum in tribulationibus *Rom.* V, 2. 3. Sic & *amori*, atque *delectationi* ipſorum haud parum decedit, per frequentem oblivionem DEI, Chriſti, cœli, per exceſſus delectationis in vanis ſeculi rebus, & negotis, per defectum promtitudinis & ſtudii converſandi cum Deo in cultu publico, & meditationibus ſacris, nullæ in illis ſentiuntur deliciæ, facile ſe inde avocari patiuntur. Mutantur, quoad *poſterius*, etiam affectus in iis, quæ malum ſpectant, quod nec tanto, ut olim, odio habent, nec tanta lucta, ut quondam, oppugnant, nec tám fervidè deplorant, ſic ut ad ſpiritualem quaſi mortem proximè accedant, de quibus, in cognitione & affectu fidelium, reſiduis infirmitatibus *Buddeus* in *Inſtit. Theol. Moral.*; & *Vitringa* in *Theol. Pract.* legi poſſunt.

§ IX.

Tum reſpectu actuum. Evidentius autem eadem illa infirmitas cernitur in *actibus* & *peccatis* ipſis, ad quæ tentantur, & in quibus hærent. Verum eſt, quod *qui ex DEO natus eſt*, *non faciat peccatum* 1. *Joh.* III, 9. id opus *ſuum*, in quo hæreat, non eſſe velit, nec totus illud *faciat*, quia *non ipſe* ſed *caro*, quæ *in ipſo* eſt, *peccat*, & patiatur magè quam faciat, illudque *agere* equidem in ſe ſinat, ſed *non dominari*; unde etiam deſtituitur potentiâ, ut dominandi ita damnandi, hactenus etiam fortiore Spiritu in nobis, quam carne, quia Spiritus ſemper facit, ut de malis actibus regenitus reſipiſcat, cum caro id præſtare non poteſt, ut mentem, judicium, dominansque propoſitum ad bona excitet, & illud mutet; ſed tamen, hoc non obſtante, *habitat*, & *agit*, & quandoque ſatis violenter, *peccatum in illis*, ita ut, pro triplici facultate, actionum noſtrarum radice, intellectu ſcilicet, affectu & voluntate, triplex etiam eos affligat peccatum, ignorantia, infirmitas, & quandoque etiam malitia. Ubi *infirmitatis peccatum* illud dicitur, in quo *ſerium contrarii propoſitum* adeſt, ut malum, quod non vult, faciat, *ex ſubitanea affectuum exorbitantia*, vel invitus quaſi

quaſi abreptus; ſed non tantum in his hæret, ad ipſum etiam *malitiæ peccatum* quandoque proruit, illud in quo intellectus ejus de vitio ſufficienter convictus eſt, ubi tempus & occaſio non defuit, ad examinandum caſum, & ſupprimendum affectum, dum ipſe interea, contra dictamen rationis; & remorſus conſcientiæ, actum intendit, & propoſitum perficit, quod exemplum *Davidis*, in caſu *Uriæ*, clarè ſatis evincit. Videatur de hoc diſcrimine *Buddeus* l. cit. ſed cum grano ſalis legendus, cumprimis *Sanderſon Sermonum Part.* II. *Serm.* IV. *ad Pſal.* XIX, 14. *Hammondus* in *Tractat. pecul. de peccato infirmitatis & malitiæ.* Atque in utroque illo genere magna aliquando peccati vis vel in fidelibus ſeſe eo usque manifeſtat, ut, *quoad* peccati *radicem* in mente, & *voluntas* eorum non tam odio illud habeat, quam amet, ſaltem non firmiter ſe contra iturum decernat, qui propoſiti neglectus jam amor quidam eſt peccati, *non vult* enim *reſiſtere*, ut *Auguſtinus* ait, *qui non facit quod poteſt, ut reſiſtat.* Sic & *turpia* interdum non ſolum delectant, ſed etiam *placent*, juxta verba *Senecæ Epiſt.* 39; & *intellectus*, per carnalem voluptatem, ad carnalem ſenſum, & judicium deſcendit, ut peccatum potius excuſet, quam excutiat, bonam de illo ſibi formet opinionem, mentique convenientiam ejus cum natura, ipſiusque commoda, qualemcunque neceſſitatem mali, parvitatem, hujus unius peccati ſingularitatem, reſurgendi facilitatem ita repræſentet, ut tantò ſecurius & ipſi, ad tempus, tanto malo inhæreant. Vis hæc peccati porro, quoad *Ramos* illius, in illis etiam ſe manifeſtat, quatenus & in *gravia peccata* incidunt, & in *multa* (ubi multum etiam ignis ſit neceſſe eſt, unde tot ſcintillæ evolant) &, quod triſtiſſimum, quandoque etiam in *eadem*, quamvis hoc poſtremum, in regenitis, qui tamen peccatum non faciunt, rariùs contingat; ſeria enim prioris peccati deteſtatio tale ingenerat odium adverſus illud, ut, niſi prorſus ad tempus à DEO deſeri videantur, eò non prolapſuri ſint. Ita & in *fructibus* peccati illa potentia ſe exerit, dum incidunt aliquando in peccata poſt leviores tentationes, & quidem cum minori, quam de illis credi potuiſſet, reluctantia. Oblatio totius mundi à DEO hujus mundi, quæ in auribus hominis mortui equidem

Digitized by Google

veluti muſica eſt, talis non eſſe deberet illis, qui & ipſi mundo, & quibus mundus crucifixus eſt; ſed objecta illa externa ipſos etiam aliquando tam fortiter impellunt, ut ſint veluti per faſcinum abrepti. Atque hæ infirmitates regenitis diverſimodè, pro diverſo eorundem ſtatu, & naturali, & ſpirituali, accidunt. Sic *excandeſcentia* ſe facile *pueris*, *laſcivia* & *temeritas juvenibus*, *avaritia ſenibus* inſinuat. Ita & aliæ ſunt infirmitates *infantium in Chriſto* (conf. §. V.) aliæ *juvenum*, quales ſunt temeritas, & fortitudo affectata, quæ tentationes non exſpectat, ſed provocat, item quæ ex defectu ſufficientis experientiæ veniunt, aliæ *virorum*, quales ſunt ſpiritualia amoris deliquia, *Apoc.* II, 4. & graviora quandoque crimina, ut erat adulterium & homicidium *Davidis*. De quibus fidelium morbis videatur omnino *Job. Mich. Langius* in *Inſtit. Paſtoral.* cap. II. de *Pathologia Paſtorali.* Tandem & *infirmitates* illorum ſeſe etiam manifeſtant in *uſu mediorum gratiæ externorum*, dum inde quidem *non cum debita* vel *humilitate*, vel *fame* ad Verbum & Sacramenta accedant, hinc vero *non cum viva mentis commotione*, qua ad bonum excitentur, in bono confirmentur, & neceſſaria conſolatione fulciantur, inde recedunt, ut ante, inter, & poſt illa ſacra utplurimùm torpeant.

§. X.

Illarum cauſa duplex. 1) Carnis aſſultus.

Omnis hujus *infirmitatis*, in genere, *duæ* ſunt *cauſæ*; *inde carnis* prævalens *aſſultus*, corpus illud noſtrum, quale nunc eſt, ſpiritui ſe rectè habenti, & à Spiritu S. inſpirato, ſe non ſubjiciens, *in membris* ſuis *motus excitat*, validè impellentes ſanguinem, & quaſi deſideria contra Spiritum; anima infirmior hiſcè paret, inde naſcuntur inclinationes, & diſpoſitiones pravæ, in appetitu ſenſitivo, affectibus, imaginatione, hincque tandem in intellectu & voluntate; atque tam validam ipſam etiam carnem, in regenitis, aliquandiu eſſe permittit DEUS, *tum* ut, quam peccaminoſa caro in ſe, quam nihil adeo boni, vel in ipſo figmento cordis, primiſque delineationibus mentis humanæ ſit, ipſis conſtet, *tum* ut tanto mage gratiam DEI, plenam perfectionem, & redemtionem Chriſti petant *Rom.* VII. *Hinc* vero

Spiri-

Spiritus, cujus eſt concupiſcere adverſus carnem, juſto DEI judicio, & ſapienti diſpoſitione, *non pari* ſemper *efficacia* in regenitos influit, & *agit*, ut tentationes carnis, mundi, & diaboli ſuperare queant. In hunc vero finem notandum, *duplicem* eſſe *Spiritus*, in regenitos, *influxum*; *Neceſſarium* alterum atque *conſtantem*, alterum *arbitrarium* & *inæqualem*. *Ille* fidelibus ſemper præſto eſt, idque *tum* ad vitam ſpiritualem, ejusque conſervationem, ut, licet ex infirmitate cadant, non tamen excidant. *Pſal.* LXVI, 9. LXXIII, 23. ſic agente Deo in converſione, ut agit in providentia, ſemper operando *Joh.* V, 17 *tum* ad neceſſarium incrementum, ut fideles, etiam quando in infirmitatibus ſuis decreſcere videntur, in habitu tamen boni progrediantur. 1. *Petr.* II, 1. 2. *Hic* vero, ſive arbitrarius Spiritus influxus, concurſus ejus eſt ad gratias habituales, quo mediante & in actum producuntur. *Phil* II, 13 &, juxta normam divinæ voluntatis, diriguntur. E. G. in precibus. *Rom.* VIII, 26. & fideles ipſi corroborantur 1. *Timoth.* IV, 14-16. *Hoc* arbitrario influxu Spiritus fideles quandoque & *privantur*, ne ſeſe extollant. 2. *Corinth.* XII, 7. & *ſemetipſos privant*, idque *vel* per *arrogantiam* ſpiritualem, *Luc.* I, 53. *vel* per *incuriam*, dum non attendunt ad gratioſos Spiritus motus *Cant.* V, 2-6. *vel* per *negligentiam mediorum gratiæ*, inter quæ Spiritus agit; nec enim media gratiæ ita Spiritum nutriunt, uti alimenta corpus, quæ ſemel ſtomacho commiſſa, deinde ipſamet operantur, cum illa homo ad effectus ſuos ipſemet deducere debeat, *vel* tandem etiam per *exacerbationem Spiritus*; Veriſſimè enim *Tertullianus*: „ *Res delicata eſt Spiritus Dei.* Ita vero exacerbatur, ſi motus & „ influxus Spiritus non ſatis æſtimatur, ſi ſapientia carnalis illius „ luci, commoda mundi illius ſolamini præponuntur, ſi defe- „ ctus noſtros illius operationi tribuimus, errores dicimus id „ quod edocti ſumus à Deo, ſi zelum carnis fructum Spiritus „ vocamus, ſi ſoporem naturæ, triſtitiam eſſe jactamus ſecun- „ dum Deum, ſi dona ejus, *peccatis in nobis*, e g. ambitioni & „ avaritiæ inſerviunt, ſi nolumus, inter homines, haberi pro „ illis, qui Spiritu vivunt, quaſi pudeat nos Spiritus, & pieta- „ tis, ſi Spiritus S. in aliis agens, per noſtram invidiam, pati- „ tur, „

2) Spiritus debilitas.

Digitized by Google

„ tur, ſi monita & conſilia ejus reſpuimus, ſi denique peccatis,
„ ut omnibus in genere, ita maximè illis, quæ operationibus
„ Spiritus S. è diametro contrariantur, locum damus vid. *Actor.*
„ VII, 51. *Epheſ.* IV, 30. 31. V, 18. 1. *Corinth.* VI, 18. 19.

§. XI.

Cura paſtoris circa illas.

In tali ſtatu poſito fideli Paſtor, publicè & privatim, id ſuadebit, 1) ut ſolicitè ſtatum ſuum examinet, juxta illam hypotypoſin quam dedimus. vid. *Apocal.* III, 17. 18. ut 2) etiam hujusce ſui ſtatus miſeriam, acerbè, & cum ſeria contritione deploret, non ſufficit omnino converſionis ſuæ priſtinæ eſſe memorem, ſtatus hicce, hujusque deliquii non Deo proinde, nec ipſi placere poterit; ut 3) priſtina, divinæ gratiæ & Spiritus, deſideria ſeriò excitet, nam fames illa, ſatietatis promiſſionem habet. *Matth.* V, 6. ut, 4) inter ea deſideria, atque preces, eat ad Chriſtum, & ab ipſo, qui eſt in ipſo, tanquam à mediatore, Spiritum vitæ petat. Ut, 5) cum orans & non operans iram Dei provocet, jungat etiam precibus ſeriam exercitationem donorum Spiritus. Qui habet, ei dabitur, jam qualis qualis ille ſit, habet tamen potentiam agendi, quia vitam habet, quia Spiritum habet, qui contra carnem concupiſcit, quia Chriſto ipſi implantatus eſt, unde jubetur facere priora opera; *Apocal.* II, 5. in quem finem frequens ſit in exploratione ſui, & meditationibus ſacris, ſedulò vacet mediis gratiæ externis, eaque unicè ad ſemet ipſum referat, etiam piis adſit familiariter, in quorum ſermonibus & actionibus ſemen eſt, quod, cumprimis in agro, ſive corde, fidelium jam antè diſpoſito, fructus excitat.

§. XII.

Imperfectiones ſunt a) vel ſtatûs.

Præter infirmitates has varias, multiplex etiam, in regenitis, cernitur *imperfectio.* Imperfectus eſt a) eorum *ſtatus;* quantumcunque enim fideles, in ſtudio ſanctitatis, proficere annitantur, nemo tamen eò usque pervenit, ut ea omnia habeat, quibus hîc plenè perficiatur. Imminuatur caro, cum iis quas patitur paſſionibus, & quibus agit concupiſcentiis, cruci etiam illa, Spiritu Chriſti, & labore pœnitentiali, affigatur, ut non amplius

plius dominetur, ut ipſa etiam vita ejus paulatim aboleatur, atque & oneri & opprobrio illis ſit, tolli tamen penitus non poteſt, manet lucta carnis etiam contra Spiritum ipſum, quousque autem pugna durat, non plena eſt victoria. Imperfectæ b) ſunt illorum *facultates*. *Intellectus* tantum cognoſcit ἐκ μέρους 1. *Corinth.* XIII, 9. Realis magè quam perſonalis cognitio noſtra eſt; *ut in ſpeculo*, per refractionem ex operibus, non per intuitionem, Deum *cognoſcimus* ℣. 12. *Nomen Dei* magè, quam faciem, id eſt, tantum ſaltem de Deo, quantum homo novit de homine, cujus non faciem vidit, ſed nomen & famam ſolummodo audivit. *Voluntas*, pro menſura infirmæ cognitionis, etiam imperfectè agit; amat equidem fidelis Deum, ſed utique nec ex toto corde, atque ſolido perfectionum judicio, nec ex tota anima, ſive cum omni deſiderio. *Memoria* etiam fidelis ſæpè obliviſcitur eorum quæ retinere deberet, & è contrario non obliviſcitur injuriarum. Cumprimis in *affectibus* imperfectio apparet. Licet enim, in illis debellandis, ubi excedunt, potior ſanctificationis pars conſiſtat, quia tamen cum illis delectatio plerumque conjuncta eſt, illorum debellatio difficulter, & tantum gradatim ſuccedit; ſemper aliquid remanet *ex concupiſcentia carnis*, quæ *brutorum* eſt, ut ſaltem tententur ad voluptates illicitas, cummaximè ad intemperantiam, itidem ex *concupiſcentia oculorum*, quæ, licet *à pueris* ortum habeat, tamen etiam ſenes, vel optimos, per avaritiam vexat, & tandem *ex faſtu*, crimine illo *diaboli*. 1. *Joh.* II, 16. c) Sic & denique *imperfectæ* ſunt *ſingulæ* regenitorum *actiones* etiam *bonæ*, quatenus nulla illarum, ſive *quoad materiale*, ſive *quoad formale*, in ſcopo, principio, modo & circumſtantiis omnibus, exactè cum lege convenit, unde, quidquid etiam calumniæ Proteſtantibus, hac de cauſa, imponatur, certum eſt, juſtum, per adhærentem imperfectionem, & peccaminoſum defectum, in omni opere bono labi. Accedit ad hæc, &, ex præmiſſis hiſce infirmitatibus, naſcitur propria illa *cordis* noſtri κατάγνωσις, tum *reprehenſio*, tum *condemnatio*, cumprimis *quod Deus ſit major corde noſtro, & ſciat omnia* 1. *Joh.* III, 20. adeoque plures multò imperfectiones in nobis obſervet, quam nosmet ipſi; Quod quilibet fidelium, licet etiam ἀκριβῶς ambu-

b) Vel facultatum.
1) Intellectûs.
2) Voluntatis.
3) Memoriæ.
4) Affectuum.
c) Vel actionum.

ambulet *Epheſ.* V, 15. multa tamen ex contagio malorum attrahat, & in varios hypocritarum, vel nolens, actus incidat. e. g. quoties ſigna cultus externa, non ſunt conjuncta cum internis, ſi geſtus & verba devotionem præ ſe ferunt, quæ tamen, cogitationibus alienis, tepore, torpore interrumpuntur, imo & oſtentatione nonnunquam contaminantur, in quales actus ex infirmitate humana, & defectu debitæ vel attentionis, vel præparationis labuntur. Unde & tot, imperfectionis hujus, non tantum denuntiationes vel de cœlo *Job.* IV, 18 19. ſed etiam querelæ fidelium *Job* XV, 14. 15. *Eccleſ.* VII, 20. 21. maxime *Rom.* VII. audiuntur, ubi ℣. 19. vel ipſe *Paulus* fatetur: *Non enim, quod volo*, perfectè & ſine omni concupiſcentia, *bonum facio, ſed quod*, virtute Spiritus S. contra carnem luctantis, *non volo malum, hoc facio.* Hinc & naſcuntur deſideria plenioris perfectionis 1. *Joh.* III, 2. 3. *Rom.* VIII, 23. quæ quidem evincunt, quod, qui ſibi perfectionem vel adeſſe, vel hîc ſe conſequi poſſe promittant, nec naturam ſuam, in qua caro luctatur contra Spiritum, nec perfectionem cognoſcant, & ab integritate Apoſtolorum & Sanctorum longè recedant, qui maluêre, per omnem vitam, illam perfectionem ſectari, quam, ex proprio judicio, de tali gloriari, atque in verè regenitis non modo illa gloriatio non invenitur, ſed potius alia omnia, dum nihil frequentius eſt, quam ut Paſtor oves ſuas audiat de imperfectione, ſive totali ſtatus, ſive particulari, in his & illis officiis conqueri.

§. XIII.

Officium paſtoris a) circa nimiam triſtitiam ob hosce defectus.

Cum vero *querelarum* illarum *duplex fons*, duplex etiam *effectus* ſit, ut *vel* ex corde verè contrito fluant, ubi metus eſt, ne talis, ſe ea propter condemnans, περισσοτέρᾳ λύπῃ καταποθῇ 2. *Corinth.* II, 7. *vel* aliquando ejusmodi excuſatione, ex infirmitate naturali petitâ, ad majorem ſecuritatem abutantur; hinc etiam *diverſimodè* Paſtori *cum his agendum* eſt. Ubi cernit, ſenſum illum ad *nimiam triſtitiam* abripere fidelem indicabit illi; quod hæ *imperfectiones naturæ* ſint, & corruptionis naturalis, quod autem ſeria illa cordis *contritio*, etiam propter, & inter illas imperfectiones, *gratiæ* ſit, quod in genere *non noceat*, quod *non placet*,

placet, quod *in illis* carnem contra Spiritum, *in his* vero Spiritum contra carnem luctantem habeat, & quod proinde, cum duplex in illo principium ſit, regenitus ſit: Quod, ſi ſe condemnet ob naturales illas imperfectiones, hactenus equidem rectè faciat reſpectu fœderis operum, ex quo tale judicium remanet, ſed quod, in fœdere gratiæ, hi nævi, in ſanguine Chriſti, ita obtegantur, ut qui, reſpectu corporis mortis, ſibi væ! dicat, tamen etiam, reſpectu redemtionis, ab illo corpore mortis, Deo gratias agere queat per Chriſtum. *Rom.* VII, 24. 25. Quod, ex promiſſionibus Evangelicis, evidens ſit, non obeſſe has infirmitates & imperfectiones, ſtatui gratiæ, ſit tam infirmus ut *arundo quasſata*, *non vult* eam tamen Chriſtus *confringere*, ſit *linum fumigans*, imperfectio cum peccatis conjuncta, quæ tetrum excitet odorem, *non extinguit illud* Chriſtus, ſi ſemet ipſum inde relevare nequeat, *judicium* Chriſtus *profert in victoriam*, & opponantur Chriſto, in tali ſubjecto, multa, non ceſſabit tamen, à ſanctificando illo homine, Chriſtus, ἕως ἂν ἐκβάλῃ *usquedum* vel impedimenta omnia ipſa *ejecerit*. *Matth.* XII, 20. Quod ipſa etiam infirmitas, & imperfectio in Dei filiis argumentum ſit, tanto majori cum fiducia, recurrendi ad Dominum, juxta illud *Davidis Pſal.* VI, 3. *Miſerere mei Domine! quia infirmus ſum*; Quod, quæ deſunt officiis noſtris, in ſinceritate cordis peractis, & cum fide conjunctis, Chriſtus perficiat. Sic preces noſtræ, quæ non ſine multa diſtractione proponuntur, ad Deum transeunt per Chriſtum, qui, merito interceſſionis ſuæ, tanquam thure accepto, defectus noſtros expiat. *Apocal.* VIII, 4. Quod nimia afflictio de imperfectionibus ſuis, etiam in ſingulis actibus, ſtudio perfectionis ſæpe impedimento ſit. Qui ſingulos lapillos, ad quos pes offendit, è via tollere vult, nunquam progredietur; Quod imperfectio, in actibus, ſæpe in eo ponatur, in quo non eſt. Ita angimur ſæpè de precum imperfectione, quod ad ſingula verba non attenderimus, & defectus tamen ille attentionis ad verba, ex æſtuante deſiderio mentis naſcitur; oratio autem non tam verborum, quam deſideriorum eſt effuſio. Sic etiam ex defectu ſenſationis, non protinus defectus rei concludi poteſt. Et tandem, quod in hac materia primarium eſt, dantur,

Digitized by Google

medias inter haſce infirmitates agnitas, certa *ſigna* atque criteria, ex quibus talis *de regeneratione* ſua certus eſſe poteſt. Ita fidelibus nimis, א) de *ſtatus* ſui *imperfectione*, contritis in ſpecie a) proponi poteſt. 1. *Job.* III, 19. 20. *In hoc*, ſi ſcilicet fratrem non lingua tantum, ſed ſincerè diligamus, *cognoſcimus*, *nos ex veritate eſſe*, *ſi vel cor noſtrum nos condemnet*, ſcilicet hac cogitatione, *quod Deus major ſit corde noſtro*, & *ſciat omnia*, proinde & omnes cultus noſtri actus, in quibus interna non ſemper externis reſpondent; eſt enim *charitas* σύνδεσμος τῆς τελειότητος. *Coloſſ.* III, 14. unde qui obſervat, ſe ſincero amore ferri erga proximum, tum benovolo, ad faciendum bonum, tum longanimi, ad ferendum malum, (qui duo amoris actus, cum utriusque effectibus, eleganter à *Paulo* deſcribuntur 1. *Corinth.* XIII.) ille etiam de ſtatus ſui ſinceritate certus eſſe poterit, quia *charitas ex Deo eſt*, & *quisquis* proximum *diligit*, *ex Deo natus eſt*: 1. *Job.* IV, 7. qua de cauſa etiam major dicitur fide, & ſpe, quia munimentum eſt fidei & ſpei, utriusque πληροφορίαν augens & corroborans. 1. *Corinth.* XIII, 13. Ita b) ex Deo certiſſimè natus eſt, qui *per fidem mundum vincit* 1. *Job.* V, 4. &, intimè convictus quod σχῆμα hujus mundi prætereat, bona illius, ut *Moſes* divitias Ægypti, opprobrio Chriſti poſtponit. Sic & c) qui cum imperfectionibus illis ita luctatur, ut interim tamen intùs delectetur lege Dei, & mente Deo ſerviat, cum *Paulo*, quousque etiam peccatum ferveat & agat, de regeneratione ſua certus eſt. *Rom.* VII, 22. Porro d) qui Spiritum υἱοθεσίας habet, & cum filiali fiducia Patrem Abba vocat, atque, vel per imperfectiones ipſas, non ad fugiendum à Deo, ſed potius ad ingemiſcendum, & familiariùs Patrem adeundum impellitur. Certus idem etiam ב) in ſpecie eſſe poterit de *renovatione facultatum*, atque propenſionum ſuarum, *ſi* 1) idem ille *intellectus*, qui ex parte tantum cognoſcit, *de peccato* tamen etiam ſuo, de *juſtitia* Dei, quæ ſola coram Deo conſiſtit, &, hac de cauſa, *de judicio* in Chriſtum intimè convictus eſt; *Job.* XVI, 8. atque in dies uberiorem rerum divinarum vel notitiam, vel ſaltem notitiæ amorem prodit. 2) De *voluntatis* ſuæ converſione certus eſt, ex deſiderio prævalente obtinendi juſtitiam Chriſti. *Phil.* III. ex fervido zelo con-

Digitized by Google

conſequendi optima dona. 1. *Corinth* XIII, 13. XIV, 1. Sic & porro 3) ad *actionum* imperfectionem reponi poterit, ſemper tamen aliquid boni in illis eſſe, ſaltem in ſcopo & fine earundem, unde & de meliori principio certa ſpes haberi poſſit; quod, quicquid ſic à Chriſto eſt, Chriſtus etiam non rejiciat, ſed certiſſimè gratioſè reſpiciat. Pater familias triticum non rejicit, quod zizanium illi admixtum ſit, ſed in aream utrumque confert, & purgat; jam & multa gratiæ divinæ deberi in illis, e. g. in amore Dei & proximi, in precibus, in meditationibus ſacris, ſimilibusque actibus Chriſtianis, facile patebit illi, qui, quod, in actionibus noſtris, vel naturæ, vel gratiæ eſt, diſtinguere didicit, quarum diſcrimina *Spenerus*, in laudato ſuperiùs libro, *vom Unterſcheid der Wercken der Natur, und der Gnaden*, prolixè ſuppeditat. Conferatur *Buddeus* in *Inſtit. Theol. Moral.* qui huic argumento aliquot capita impendit.

§. XIV.

b) Adverſus ſecuritatem, ex obtentu imperfectionis arreptam.

Neque tamen, vel regenitis ipſis, *obtentu imperfectionis ſecuritas* aliqua conceditur. Non licet illis, cum irregenitis, fortè uti, ſive potius abuti, illo Salomonis: *Juſtus de die ſepties cadit, & ſurgit*, cum & in textu Hebraico *de die* non addatur, & *cadere* Salomoni minimè lapſum in peccata, ſed in adverſitates, ſcriptoribus autem N. T. ferè plerumque ruinam omnimodam notet. *Rom.* XI, 11. Qui gradum ſiſtit, extra viam eſt; quam certò regenitus vivit, tam certò creſcit. Imperfecta fides, vel inter optima, metuit, ut illa *Manoa*: *Vidimus Dominum, ideo moriemur*, cum perfectior etiam, quæ adverſus ſe dicta eſſe videntur, in ſuum commodum convertat; ſicuti magna fides *mulieris* Canaanææ *verba Chriſti*: *Non eſt bonum eripere panem liberis, & dare canibus*, eò interpretabatur, quod proinde ſaltem *micas catellis* relicturus ſit.

§. XV.

Quod requirit, ut incrementa vitæ ſpiri-

Ut igitur, etiam in regenitis, tam neceſſaria *incrementa vitæ ſpiritualis* promoveat Paſtor, in id juxta incumbet, ut 1) auditoribus ſuis *conſummatæ ſanctitatis ideam* ſæpiùs ob oculos ponat,

tualis promoveat.

nat, ſive *in archetypo*, perfectione ſcilicet & *ſanctitate Dei. Matth.* V, 48. & *Chriſti*, qui, vel hac de cauſa, medium quoddam vitæ genus elegit, non tam rigidum, ut illud Johannis Baptiſtæ, quo poſſit eſſe cynoſura ſuorum, quam normam, in compendio, haud pridem egregiè exhibuit celeberrimus *Hottingerus*, in diſſertatione *de ſanctitate JESU Chriſti*; ſive *in ectypo*, ut referat, quæ proprie REGENITORUM PERFECTIO ſit; tum PARTIUM, & quidem primò *ſubjectiva*, quousque illa ſe ad omnes mentis & corporis facultates extendat, uti quidem Paulus *totum corpus Rom.* XII, 1. & *omnia membra Rom.* VI, 13. non minus quam Salomo *cor Prov.* XXIII, 26. *Deo*, & non modo ſimpliciter *dare*, ſed ut holocauſtum, adeoque totum. *Rom.* XII, 1. &, ut in militia, *tradere* jubet loc. cit. *Rom.* VI, 13. quales aliis negotiis ſe immiſcere nequeunt; deinde etiam *objectiva*, ut in omnibus actionibus, & in omnibus rebus, circa quas actiones noſtræ occupari debent, exactiſſima, cum voluntate Dei, conformitas obſervetur; unde *renovata mens* ſolicitè, in omnibus circumſtantiis, etiam per conſequentias, *explorat, quæ ſit* bona, *accepta, & perfecta voluntas Dei. Rom.* XII, 2. *tum* GRADUUM, partim *intenſiva*, ut, omnibus agendi viribus, & omni inclinatione, voluntati Dei ſatisfiat, *Matth.* XXII, 37. partim *extenſiva*, ne ullo loco, & tempore quantumvis adverſo, exactiſſima illa conformitas remittatur; quam perfectionem pluribus explicuit *J. C. Schomerus*, exquiſitæ & eruditionis & pietatis Theologus Roſtochienſis, *in Theologia Morali Cap.* III. Licet enim regenitus hanc perfectionem, in hac vita, non aſſequatur, in oculis tamen illam habere, omnia ad eam componere, & quidquid illi deeſt in nævis ſuis locare, atque, vel hac de cauſa, majori fide Chriſtum amplecti tenetur, tanquam illum qui עונותינו defectiones noſtras in bono, haud minus atque Pontifex M., typus ejus, ſanctitatem Jehovæ in fronte gerens *Exod.* XXVIII, 36. perfectiſſima ſua ſanctitate expiat. *Jeſai.* LIII, 5.

1) Ideam conſummatæ ſanctitatis proponendo.

§. XVI.

2) Regenitos ad Deum ducendo.

Quia vero *Deus* ipſe eſt, qui, ut olim in creatione, ita etiam nunc *nos ὁλοτελεῖς totos ſanctificat*, & ſanctificatos, magè nunc

nunc quam olim, *ut ὁλοκληρόν τι integrum*, & immaculatum ſacrificium, quoad *Spiritum*, ſive mentis judicium, *animam*, deſideriorum ſedem, *& corpus conſervat* 1. *Theſſ.* V, 22, *hinc* etiam 2) *ad ipſum* paſtor *regenitos*, ante omnia, *ducet*, ut à quo regenerati ſunt, ab eo etiam ſanctificentur, & qui quondam mortuos eos in vitam revocavit, nunc etiam vivos, ad ſingulares pietatis actus, excitet & impellat. Sic certè, inter Verbum & Sacramenta, ſola Dei potentia eſt, quæ ſalvat, ſola Chriſti vita eſt, quâ vivimus, ſolus Spiritus qui ſanctificat; quidquid propriis viribus, in bono peragendo, inſtituitur, propriâ infirmitate perit, ut ſatis ad DEUM fideles duci nequeant, quomodo &, hac de cauſa, omnes *piorum actus* religioſi *Spiritui* S. *attribuuntur.* Sic *precum in Spiritu Epheſ.* VI, 18 *amoris in Spiritu Coloſſ.* I, 8. *cultus in Spiritu Phil.* III, 3. mentio fit, atque à *Spiritu fidei* fides eſt 2. *Corinth.* IV, 13.

§. XVII.

Ita vero à DEO acti, agant tamen & ipſi neceſſe eſt, unde & 3) *regulæ præſcribendæ* ſunt, juxta quas, in *ſtudio ſanctitatis*, in dies *creſcere* queant. Caput autem omnium officiorum commendandorum eſt a) *vigilantia*, ſive *continua* illa *omnium viarum* ineundarum, *atque ſolicita actionum* inſtituendarum *obſervatio.* Hic itaque jugiter urgendum erit, ut vigilent *reſpectu peccatorum*, *tum* originalis, quod deplorandum, imminuendum, in effectibus ſuis impediendum eſt. *Pſal.* LI, 5. *Rom.* VII, 25. *Epheſ.* IV, 22; *tum* actualium, ut arceantur oculi à vanitatibus, caveatur ab occaſionibus ad malum, reſiſtatur tentationibus, ut diffidamus actionibus, ad quas natura corrupta propendet, vitemus quod ſemel fuit funeſtum, ſicque adeo ſpecialibus firmiſſimis propoſitis, iterum iterumque formatis, illud oppugnemus. *Pſal.* CXIX, 37. *Prov.* VIII, 13. indicandum illis, qua ratione vigilandum ſit ratione *cordis Prov.* IV, 23 XXIII, 17. ut claudantur hujus fores *Job.* XXXI, 1. Senſus nempe exteriores, ut ponderentur momenta conſilii cordis, quod DEUS in judicio manifeſtaturus eſt, hinc videant probè, quales inde perveniant cogitationes, quænam menti ſeſe ſiſtant imaginationes, quæ objecta

3) Officia, quæ ad progreſſum in ſanctitate faciunt, commendando; ſcilicet. a) Vigilantiam.

cta delectationi ſint, vel iram excitent, quænam ſeſe prodant præjudicia; ut reſiſtant malis non tantum, ſed etiam vanis, & inutilibus cogitationibus *Jerem.* IV, 14. è contrario vero fortiter apprehendant majeſtatem, ſanctitatem, juſtitiam & omniſcientiam DEI *Pſal.* CXXXIX, meditationes operum DEI, beneficiorum Chriſti, mortis, judicii ultimi, beatitudinis, æternitatis, cum delectatione & mora, foveant, atque quomodo, ut hæc omnia fiant, cogitationes omnes redigendæ ſint in captivitatem, & conſtringendæ ſub obedientiam Chriſti 2. *Corinth*, X, 4. 5. Inculcandum erit, quomodo porro vigilandum ſit ſuper *ſermonibus* ſuis, ut *inde* blasphema murmura in DEUM, injurioſæ detrectationes proximi, & vana colloquia vitentur, *hinc* vero ſermo omnis in honorem DEI, ſalutem proximi & noſtri dirigatur; de quibus legi meretur *Auctor* libri *de officio toto hominis*, in Tractatu egregio *de regimine linguæ;* qua ratione alterius vigilandum ſit ſuper *occaſionibus ad bonum*, ne tot peccatis omiſſionis obruamur, quæ tandem eo tendunt, ut pro mala arbore habeantur, qui nullos bonos fructus ferunt. Vid. *La Placette* in *Specim. Theol. Moral. Tom.* I. p. 42. Urgendum etiam, ut vigiletur ſuper *actionibus* omnibus, *tum naturalibus*, eſu, potu, ſomno, recreatione, in quibus ſi libertas in licentiam exeat, modusque excedatur, plerorumque peccatorum fontes jacent; *tum civilibus*, contractibus, emtionibus, venditionibus, & converſatione omni, ne quid in his à regulis pietatis, juſtitiæ & charitatis recedat; *tum religioſis*, ut debita præparatione ad illas accedamus, abſque ira, diffidentia, ſecuritate, cum ſenſu ſuæ indignitatis, miſeriæ, neceſſariæ inſtitutionis, & gratiæ divinæ, itemque majeſtatis, potentiæ, ſanctitatis atque bonitatis DEI, porro cum debita attentione & reverentia peragantur, vigeatque, v. g. in precum confeſſione, in petitionibus, deprecationibus, ſanctus & humilis fervor; ut ab omni opinione meriti maneant remoti, atque, in fide Chriſti, ſalutarem effectum & quærant, & exſpectent.

§. XVIII.

Digitized by Google

§. XVIII.

Cum vero ſanctificatio in quotidiana depoſitione veteris hominis, & renovatione ad imaginem DEI conſiſtat, in id etiam omnem ſuam operam ponet paſtor, ut *illius* decrementum, & *hujus* incrementa, quantum in ſe eſt, promoveat, ſuadendo (b) continuum *conſcientiæ examen*, per quod regenitus *& acta, & omiſſa*, de officiis vocationis, tum generalis, tum ſpecialis examinet, & præſentem animi ſui, de DEO, proximo, ſemet ipſo & mundo ſenſum, atque inde ſtatum ſuum cognoſcat. Ut vero, in hoc ſcrutinio conſcientiæ, regenitus feliciter agat, inculcandum illi erit; quod ſine lumine divino ſemet ipſum non videat intus *Jerem.* XVII, 9. 10. hicque cummaximè precibus opus ſit, ſerioque etiam, poſt preces, labore & ſtudio, quia nosmet ipſos non per ſenſum, ſed per reflexionem mentis, ex actuum noſtrorum connexione, cognoſcimus; quod præſtet, in hiſce, ſeverius quam mitius nobiscum agere, quia naturaliter, ad adulandum nobis, propendemus, & minus periculi in eo latet, ſi nos pejores, quam ſi meliores, atque res poſtulat, eſſe nos judicemus; quod planè non ſufficiat, in judicio de nobismet ipſis, in ideis generalibus & confuſis ſubſiſtere, quia caro, ſub illis, peſſima tegit, & multa pro melioribus habet, quam quidem revera ſunt; quod ad tale examen non-modo ſtatum tempus deſtinari debeat, ſi fieri poſſit, ſed quod è re fidelis ſit, toties in ſemet ipſum reflectere, quoties defectus in proximis cernit, & hi vel à nobis, vel ab aliis cenſura notantur, quodque tum id cumprimis utile ſit, ſi rationes, ob quas proximus reprehenditur, ad noſtros agendi modos applicemus; quod, etiam in bonis actionibus, perquam neceſſarium ſit, ſpeciem boni à bono diſtinguere, & quod ille demum ſibi, ex actionibus ſingularibus, ſe bonum quid feciſſe promittere queat, quem, ad illas actiones, intuitus DEI, & voluntatis ejus, tanquam primum argumentum movens, impellit, qui actiones cum gaudio peragit, qui conſtans eſt in repetendis iisdem, quemque actio humilem reddit, & in cujus mente deſiderium relinquit, illas in dies magis magisque perficiendi. Vid. *Claudius* in libro Gallico, *de*

b) Continuum conſcientiæ examen.

c) Praxin ſalutaris contritionis.

de examine ſui ipſius, & *La Placette in diſcurſu* IX. *Tom.* I. *Specim. Theolog. Moral.* Commendabit illis abhinc (c) etiam continuam *ſalutaris contritionis praxin*, eamque talem, quæ ſit *usque ad Jehovam Joel.* II, 13. Huc vero pertinere docebit 1) *ſerium* atque *vivum* profundiſſimæ ſuæ tum *corruptionis*, tum, ex ea, *perditionis* per peccatum originale, vitia habitualia & actualia, *ſenſum*, *agnitionem*, ejusque ſaltem generalem *confeſſionem*, nec enim, ut in his, coram DEO, omnium peccatorum circumſtantias omnes exponat, neceſſe eſt; patet hoc ex confeſſione filii prodigi, cujus contritionis actus primus erat: *Peccavi in cælum, & coram te.* 2) Agnitorum *peccatorum* talem *deteſtationem*, qua ſanctitatem & juſtitiam DEI, in peccatores, approbat, ſeque proinde bonis omnibus indignum, omni autem cruciatu, pœnâque digniſſimum habet, vividâ pœnarum omnium intuitione, ſenſu, & quaſi applicatione laborat, ſe omni jure in creaturas excidiſſe, & creaturis, è contrario, omnibus jus liquidum adverſus ipſum, ex peccatis ſuis, natum eſſe, agnoſcit; ita judicat ſemet ipſum fidelis, ne judicetur à Domino 1. *Corinth.* XI, 31. hocque ſecundum eſt in contritione prodigi: *Non ſum dignus vocari filius tuus. Luc.* XV. 18. 19. confer *Pſal.* LXXIII, 25. 26. *Luc.* XIV, 26. 3) Acerbiſſimum, *de peccatis* ſuis, *dolorem*, quo cor ejus conteritur, & quidem quod violaverit legem ſui Domini, quod, hac ratione, offenderit optimum Numen, quod à ſemet ipſo, ſua perfectione & fine ſuo, in infinitum diſceſſerit, & ſic tandem etiam, quod ſe pœnis divinis omnibus, maximè illi, quæ, in ſacris, כרת & שלח *exitium*, & *exilium* æternum à facie DEI, dicitur, obnoxium reddiderit; qualis dolor, in regenito, ſi etiam ex lege quadantenus naſcitur, cumprimis ex Evangelio, per argumenta à dilectione Patris, redemtione Filii, & obſignatione Spiritus deſumta, augetur. 4) *Gemitus* vere columbinos, quibus ſibimet ipſi nihil equidem ominatur, vel quoad ſemet ipſum vendicat, quam malorum omnium triſtium confluxum, nihil vero magè deprecatur, quam malum turpe, cum declaratione illa, ſe nihil non ſubiturum, modo ex peccatorum ſordibus liberetur, quorſum illa tertia petitio prodigi ſpectat: *Fac me ſaltem unum de mercenariis*, ut, vel ſupplex, nihil

aliud

aliud petat, quam tale, licet durum, vitæ genus, in quo non amplius peccet. 5) *Abnegationem ſui*, qua non modo motus, corruptionis priſtinæ, omnes deteſtatur, ſed etiam ſemet ipſum, propriasque vires abnegat & contemnit, defectûs, impotentiæ & indignitatis ſenſu; tandem 6) etiam varias *corporis* ſui *caſtigationes* e. g. Jejunia religioſa, id eſt, vel uſum liciti minorem, vel etiam omnimodam abſtinentiam à rebus, quæ corporis illecebris qualemcunque anſam dederunt, qua quidem occaſione jejunium vehementius, & caſtigationes duriores, locum habere poterunt, quam ubi quis jejunio, vel ad majorem meditandi aptitudinem, (uti quidem pingui membranæ nihil inſcribi poteſt) vel ad conſequendum ſpeciale beneficium, utitur.

Quia vero deſperationi maturè ſimul occurrendum eſt, hinc & (d) paſtor commendabit fideli vivam *fidei praxin*, qua mediante cor contritum, & bonorum paternorum, & amoris patris, ut prodigus ille, memor redditur, & ſalutis æternæ, & ſatisfactionis Chriſti, ad illam conſequendam, efficaciter recordatur, & proinde, magnetica quaſi quadam virtute, ad hanc unicè deſiderandam, & intimè quærendam fertur, quâque mediante etiam poſthæc Chriſto arctiùs adhæret, & ex illo, ſicuti palmes ex vite, vitalem ſuccum haurit atque robur illud, quo corruptioni naturali, diabolo item & mundo fortiùs reſiſtit, quâque ulterius τὰ ἐλπιζόμενα ita ſibi repreſentat, & de non viſis ſe ita convincit *Hebr*. XI, 1. ut futuram illam beatitudinem certiùs ſibi videatur in oculis habere, quam omnes res præſentis ſeculi, atque voluntas propterea ſe pleno impetu & amore illi immergit, ut, vel inter adverſitates mundi, ſuaviter in his acquieſcat, verbo & promiſſionibus DEI ita adhæreat, ut, in omni conditione & ſtatu, eas ſibi applicet, ſeque, ob certiſſimam illarum conſecutionem, DEO in Chriſto, ad ſincerum, univerſale & conſtans obſequium, tradat, ſicque, per hosce actus, ad illam fidei praxin, quæ cummaximè viva eſt, perveniat; de quibus pluribus egit *Voetius Diſſertat. Tom.* II. *de fidei praxi.*

d) Atque fidei.

Digitized by Google

§. XIX.

e) Renovationem ſinceri propoſiti ad bonum.

Licet autem Chriſtus, & de commiſſis peccatis gratiam, & ad vitam vim largiatur, neceſſe tamen eſt, ut ipſemet etiam fidelis ſibi *ſeriò* (e) *proponat*, *propoſitumque* illud, pro ratione circumſtantiarum, *confirmet*, ſe poſthaec, ad legem Domini, vitam compoſiturum, peccata priora evitaturum, carnem & concupiſcentias ejus cruci affixurum. Ne vero deſideria ipſum, ut pigrum, interficiant, omnia illa *media* atque ſubſidia, quae pietatem confirmant, obſervabit, qualia ſunt: 1) Sedula *verbi divini tractatio*, & per *auditum* ejus, qui vehementius afficit, & ſpecialiùs obſervanda praecepta mentibus hominum applicat, & per *lectionem*, ad quam, maximè ſimplicioribus, commendari poterunt: ut à lectione Scripturae S. maturè incipiant, nec illam facile deponant; aliis etiam aſceticis libris uti poterunt, ſed tantum ut manuductoribus ad verbum DEI, quibus etiam in dies tantò minus indigeant, quantò plus in Scripturae S. ſenſum penetrant: ut ſimpliciores à lectione N. T. incipiant, quod legant priùs, & aliquoties relegant, priusquam ad meditationes legis & Prophetarum accedant, quò enim perſpectior illis eſt N. T. ſenſus, eò facilior erit veteris intelligentia; unde & vel in N. T. à moralibus ſcriptis initium fieri poterit, & inde tranſitus eſſe ad doctrinalia, ſaltem ubi hiſtoria vitae & mortis Chriſti praemiſſa fuerit: ut animum adferant à praejudiciis vacuum; ad audiendum, non judicandum, paratum, ad proficiendum inclinatum: ut ſanctâ accedant reverentiâ, & cogitent quod verbum ſit non hominum, ſed DEI, Jehovae à cujus conſpectu tota formidat terra *Pſal.* XCVI, 9, doctrina Jehovae exercituum, cujus contemtores erunt ſicuti illi, *quorum radici quaſi tabes inerit, & flos abibit, ut pulviſculus. Jeſai.* V, 24.: ut excipiatur modeſtiâ, quae aliena ſit ab illo ὑψώματι, quod ſe extollit adverſus ſimplicitatem Evangelii: ut verbum ipſum cum amore veritatis 2. *Theſſ.* II, 13 17 manſuetudine *Jac.* I, 21. & fide *Hebr.* IV, 1. 2. miſceatur: ut mens, poſt agnitum, mediante ſcopo, connexione, verborum emphaſi, ſcribentis affectu, ſenſum, illum ad fidem, charitatem & ſpem applicet. Vid. *Franckii Einleitung zur Leſung*

Digitized by Google

Jung der Heil. Schrifft. Huc faciet etiam 2) frequens *Sacramentorum uſus*, ſive Baptiſmi memoria & acceſſus ad Euchariſtiam. Per *Baptiſmum* enim non tantum remiſſio peccatorum, ſed etiam deſtructio regni peccati obſignatur, & efficaciter repreſentatur, inde Baptiſmus dicitur nos σώζειν, ut aqua diluvii Noachum, & mare rubrum Iſraëlem, ſcilicet quatenus Baptiſmus quidquid, intra & extra nos, ſaluti noſtræ adverſatur, ſanguine Chriſti delet; hinc qui baptizati ſunt in Chriſtum, dicuntur induere Chriſtum, id eſt, & uniri cum illo, & eum imitari; jam & ἐπερώτημα eſt, *interrogatio* bonæ conſcientiæ, quâ à DEO ipſo divinæ vitæ rationem poſtulare impellimur, &, jure quaſi noſtro, in Chriſto etiam Spiritum poſtulamus. Sic magè huc facit *Sacra Cœna*, quæ, ut cibus animæ, vires ejus ſpirituales auget, & conſervat. Ad illam non admittuntur niſi ſe explorantes, & hoc jam, ut omnis δοκιμασία, ad nos purificandos facit, eſt enim in ea communio corporis & ſanguinis Chriſti, ad quam indigni non audent accedere, quod corpus Domini non diſcernant, & ad quam nemini jus eſſe novimus, quam qui menſæ & poculo Satanæ valedixit; jam & omnis illa actio ſacra memoria mortis Chriſti eſt, quæ nos conſtringit ad amorem Chriſti. &, ut nosmet invicem, ad ejus exemplum, amemus, obligat, ut, ſicuti ipſe non modo bona, ſed & vitam ſuam, in noſtrum bonum impendit, ſic etiam nos bona, corpus, animam, omnia in bonum proximi impendamus.

§. XX.

Cumprimis autem paſtor, ad conſequendum illud gratiæ ſanctificantis incrementum, ſuos ducet ad *preces filiales*, *ſine monitore*, *de pectore* ad DEUM fundendas, & hujus orationis filialis hæc potiſſimum commendabit requiſita: ut ea fiat a) cum *intimâ ſui abnegatione*, quæ in fidelibus exiſtet ex agnitione omnimodæ dependentiæ noſtrûm & rerum noſtrarum à DEO, atque ex meditatione infirmitatis, indigentiæ & indignitatis noſtræ, tum quà ſervi ſumus inutiles in omni bono, tum quà peccatores, quibus nihil juris eſt in creaturas DEI, plurimum autem juris creaturis omnibus contra nos, ad vindicandam DEI ſanctitatem. f) Precum & meditationum ſacrarum ſtudium.

2) *Deſiderium ſincerum*, ortum ex cordis anxietate. 3) *Fiduciam puram*, in ſola miſericordia & promiſſione divina, in Mediatore poſitam. 4) *Preces in Spiritu & Veritate* factas; ita *in Spiritu*, ut non modo ſpiritualis DEI naturæ, & mentis noſtræ conditio in precibus obſervetur, ſed & ut illæ non ex ſtimulo carnis, & cupiditate rerum pereuntium; ſed ex puro amore atque deſiderio DEI, rerumque divinarum fundentur: Ita *ex veritate*, ut non modo omnes promiſſiones in Chriſto & factas *na*, & futuras *Amen* eſſe perſuaſus ſit, non tantum ex corde ſincero, & abſque hypocriſi eas proponat; ſed & vera tantum & ſolida bona petat. 5) *Conſtantiam* in oratione, cujus ſucceſſum diu non ſentimus, cum patientia & ſubmiſſione ſui, tandemque 6) *in omnibus glorificationem divinam*, de quibus videantur *Franckius in der Anweiſung recht, und Gott wohlgefällig zu bäten*, & *Langius* in *Inſtitut. Paſtoral* p. 294. ſeqq. His etiam 7) fidelis adjunget *meditationes ſacras*, id eſt, vividas, & ex operatione Spiritus ſuſceptas conſiderationes DEI, & operum ejus, ſive occaſionales ſive fixas atque ſtatas, ex quibus, facili & levi preſſura, amor DEI in nos ſe menti commendat, &, quæ nos ad laudem, amorem, timorem DEI efficaciter excitant patebunt.

Videatur de his *Joſephi Hall* utilis libellus *de arte meditandi*, & conferantur exempla tum ibidem, tum in *Fulleri meditationibus ſacris*.

Caput IX.

De Curâ Ægrotorum,

Atque

Illorum qui, per ſententiam judicis, ad ſupplicium mortis condemnati ſunt.

Σύνοψις.

α) *Pars prima* hujus Cap. ſiſtit *curam Paſtoris circa Ægrotos*, & quidem quoad *viſitationem* illorum *in genere* §. I. etiam in periculo contagionis §. II. III. in initio, progreſſu & circa exitum morbi §. IV. quoad ea quæ *agenda* ſunt *in ſpecie* §. V. a) tum contra Ægrorum *impatientiam* §. VI - IX. b) tum adverſus eorundem *nimium mortis metum* §. X. XI. per ſolamina ei oppoſita §. XII. c) tum quoad *exercitium pœnitentiæ & fidei* §. XIII. idque *) reſpectu *hominum* apertè *profanorum* §. XIV. XV. **) ratione eorum *qui in ſtatu dubio* verſantur §. XVI. XVII. ***) quoad illos, qui *de ſtatu gratiæ certi* ſunt. §. XVIII. apud quos *ſolatia* maximè locum habent §. XIX.

β) *Pars ſecunda* agit de *cura illorum*, qui, per ſententiam judicis, *ſupplicio mortis* afficiuntur §. XX. Ubi indicatur, quid agendum ſit Paſtori α) reſpectu eorum qui juſtè puniuntur, quid, in *introitu in carcerem* §. XXI. quid, ſi reus *neget factum* §. XXII. ſi *Paſtori* illud privatim *confiteatur* §. XXIII. ſi *neget demeritum facti* §. XXIV. quomodo *præparandus* ſit *ad mortem* §. XXV. XXVI. qua ratione tractandus, quando *ad ſupplicium ducitur* §. XXVII. β) ratione illorum *qui injuſtè* ad pœnas graviores abripiuntur §. XXVIII. XXIX.

§. I.

INter alia media, quibus Deus homines vel primùm ad ſe trahit, vel attractos in pietate confirmat, *crux* eſt; quo nomine *mala* illa *triſtia*, hominibus divinitùs, varia viciſſitudine, in multiplicem uſum, immiſſa intelligimus. Ex illis alia *naturæ*, alia *ſtatui præternaturaliter* accidunt, & illum lædunt. Ad *priora* per-

α) Ex officiis Paſtoris eſt, viſitatio ægrorum.

Digitized by Google

pertinent *morbi*, ſive *acuti*, ſive *chronici*, in quibus ut medicis corporis, ita *Paſtoribus animæ cura* habenda eſt. Licet enim Chriſtianorum omnium officium ſit, hortari ſe invicem, conſolari eos qui puſillo animo ſunt, curare, quantum in ipſis eſt, Ægros, ſaltem quoad animum.

Licet etiam alicubi *peculiares ægrorum viſitatores* & *conſolatores* inſtituti ſint, id tamen etiam officii Paſtoris, & quidem ita eſt, ut muneri ſuo non ſatisfaciat, ſi exſpectare velit, quoad ab ægro, vel ejus familia invitetur; Nec enim ovis eſt, vocare Paſtorem, ſed Paſtoris, curam habere ovis, maximè animo non minus, quam corpore deficientis, quippe qui, de animabus, Deo rationem reddere tenetur; nec excuſabit illum defectus vocationis, quia plerorumque ægrorum is eſt ſtatus, ut tam parum Paſtorem, quam aliquando medicum velint, & quò diutius exhortationes ſuas differt, eò triſtiora hinc metuenda ſunt, poſt dejectas enim & proſtratas ægrorum vires, fruſtraneus plerumque Paſtorum labor eſt. Unde in *Conſtitutionibus Eccleſiaſticis* diſertè præcipitur: *Daſs die Pfarrer forderſamſt, auch unberufen, bey denen Krancken ſich finden ſollen*, & in *Jure Canonico* ab *Innocentio* III. rectè conſtitutum fuit, *medicos corporum ægrotos monere debere, ut medicos etiam animarum advocent*, quia, ubi infirmo fuerit de ſpiritus ſalute proviſum, etiam ad corporalis medicinæ remedia tantò ſalubriùs procedatur, idque ſub hac interminatione, ut, ſi medicus hoc neglexerit, tamdiu ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, donec pro hujusmodi transgreſſione ſatisfecerit competenter. Vid. *Brunnemannus de Jure Eccleſiaſt. Libr.* I. Cap. VI. membr. 7. Nec licet etiam Paſtori, quod ferè plerumque uſu venit, id oneris tantum in collegas, ſi plures in una civitate ſunt, rejicere, ſi vel æger ad ipſius parochiam non pertineret, nam animæ jacturam Deus à toto miniſterio requiret, qui curam hanc, vi impoſiti muneris, omnibus commiſit. Cura animarum juris eſt divini, diſtinctio parochiarum juris humani, ut illa per hanc tolli nequeat, maximè ſi conſtat ægroto, à parocho ſuo, vel non, vel non ſatis proſpectum iri; interim tamen Paſtor poterit monere ægrotum, ut & ordinarium parochum ad ſe vocari curet.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Non liberabit autem Paſtorem, ab hac obligatione, *periculum contagionis*, ſi vel morbus contagioſus ſit, maximè ſi per ſpectum illi, & exploratum ſit, quod ægrotus in tali ſtatu verſetur, ut vel exhortatione ipſius, vel conſolatione indigeat. Obligat enim Paſtorem, ad illum viſitandum, & *communis amor*, vi cujus parati eſſe debemus ad *ponendum animam pro ſalute fratrum noſtrorum*, id eſt, ad non vitandum periculum, ſi ſaluti ejus proſpicere queamus; & *ſpeciale officium*, virtute cujus illi à Deo injunctum eſt, curare ſalutem ſuorum, citra factum diſcrimen periculoſi, & non periculoſi ſtatus. Unde, quod *nequidem tempore peſtis* Paſtori liceat, ſecuritatis ergo, fugere, cœtumque relinquere, contra *Epiſcopium*, in *Quaeſt.* ejus 64. à noſtris, & in ſpecie à *Voetio Diſſert. Tom.* IV. *Diſſ de Peſte*, & ab *Henr. Altingio*, in peculiari *Libro de Peſte* oſtenſum fuit. Etiam in Periculo contagionis

§. III.

Si 1) obtendatur *major uſus Paſtoris reſpectu cœtus integri*, caveat ſolicitè, ne, ſine gravi cauſa, ſe talem virum eſſe credat, quo Eccleſia carere nequeat. Quomodo vero ſe timore illo, qui morbos iſtiusmodi comitatur, piè liberare queat, videatur Conſilium *Lutheri in Georgii Dedekenni Conſiliis Theol. Vol.* I. Rubricâ *vom Predig-Amt*, *ſect.* 4. *num.* 3. 1) Objectio. Reſp.

Nec *objici* 2) debet, quod *Paſtor ægro non ſit futurus acceptus & gratus*, non enim ſolius ægroti, nedum peccaminoſæ voluntatis ejus hîc ratio habenda eſt; pertinet hoc ad officia, quæ Paſtori à Deo ſunt commiſſa, de quibus homo, cumprimis ille qui ſalutem ſuam non curat, diſpenſare nequit. Si *excipiatur*; *inſpirari* tamen ægro *metum*, *ac ſi de ſanitate ejus actum ſit*, ubi Paſtor acceſſerit, & vel metum hunc valetudini noxium eſſe poſſe, huic maturè occurrendum erit, & per frequentiores *viſitationes domeſticas* cœtûs, ut pro amico Paſtor haberi queat, & per *conteſtationes* tum *publicas*, in concionibus, ſe viſitaturum ægros ſine diſcrimine, graviter, leviter decumbant, tum *privatas*, ſe de morbi periculo nullam etiamnum petiiſſe & habere 2) Object. Reſp. Exceptio. Reſp.

noti-

notitiam, venire ſaltem ut Paſtoris & amici officio ſatisfaciat. Sic & porro

3) Objectio Reſp.

3) Non opponendum, *quod*, *quæ durante morbo obſervanda ſunt*, *jam ſatis inculcentur in concionibus publicis*, id enim idem foret, ac ſi medicus, prælectione quadam publicâ, omnibus & ſingulis, in quibusvis morbis, remedia dictare vellet, & hac de cauſa ægrotum domi viſitare nollet. Nihil majoris artis eſt, quam cognita generaliter unicuique, pro diverſitate ſui ſtatus, applicare. Cumque aliquando, & in quibusdam locis, pro viſitationibus ægrorum, honoraria vel dari, vel, ab impudentioribus, etiam flagitari ſoleant, in id juxta incumbet Paſtor, ut, ſi unquam aliâs, hîc cummaximè omnis avaritiæ ſpecies & ſuſpicio abſit, quia, tali forte metu laborans, ægrotus ad iteratas viſitationes exhorreſcet, atque ſic totum ipſius, quod ſuſcipit, opus fruſtraneum reddetur.

§. IV.

Idque quovis morbi tempore.

Sunt autem illæ *ægrorum viſitationes quovis morbi tempore* ferè æqualiter *neceſſariæ*. In *initio* morbi, ut æger doceatur, & rectè ſe ſubmittere voluntati divinæ, & morbum corporis eò dirigere, ut faciat ad animæ ſalutem. In *progreſſu* morbi, & ubi res ad *vitæ exitum* tendere videtur, ut tum cummaximè rationem illi oſtendat, qua, cum plena fiduciâ, animam queat fideli creatori committere, metum mortis excutiat, precibusque ardentibus illi ſubveniat. An *uſus Sacræ Cœnæ* tum *utilis* ſit, diſpiciet Paſtor. Opinio illa univerſalis *de neceſſitate hujus* quaſi *viatici* nata eſt ex *conditione pœnitentium*, qui, in vetere Eccleſia, per priores vitæ dies, ab uſu Sacræ Cœnæ excluſi, ſub exitum vitæ ad illum admittebantur, qui peculiaris mos ad uſum ejus univerſalem nihil prorſus confert, ſed tum ſaltem, ſi videat Paſtor, poſſe fidem ægri vacillantem, per uſum Sacramenti hujus, confirmari. Ubi vero *æger ad* priſtinam *ſanitatem rediit*, vel tunc cumprimis à Paſtore frequentari debet, ut votorum, durante morbo conceptorum, memor reddatur, atque, ut nunc illa in effectum deducat, iterum iterumque admoneatur.

An uſus S. Cœnæ utilis ſit, judicabit Paſtor.

§. V.

§. V.

Ubi vero miniſter verbi ad ægrotum accedit, præ omnibus hoc curabit, ut de illius amore, de commiſeratione, & cura ſalutis certus ſit æger, hinc dolebit cum dolentibus, aderit etiam illi, ſi egeat, opibus, auxilio, conſilio, ita tamen ut, ſuæ potiſſimùm vocationis memor, ipſi jus Dei indicet, & neceſſaria, etiam cum auctoritate, ſi opus ſit, præcipiat. Atque ſic *officium Paſtoris circa ægrotos in genere* ſecum ducit, ut *primò animum ab inordinatis*, per morbum, *motibus liberet*, qui tum partim *impatientiâ*, ex doloribus ortâ, partim, ob inſtans vitæ periculum, *nimio mortis metu* repletus eſt, ut *ſecundò* in ægroto & *pænitentiam* & *fidem* promoveat atque confirmet. Agenda Paſtoris ſpecialia.

§. VI.

Impatientiam vero, cummaximè *dominantem* & *improbandam*, non illam eſſe judicabit Paſtor, ſi fortè æger faſtidio ciborum, delitiarum, converſationis etiam humanæ laboret, quæ naturaliter morbum comitantur. *Job.* XXXIII, 19 20. Non etiam, ſi nimia corporis inquietudo cernatur, ſi huc illucve transferri cupiat æger, quod naturaliter in extremis fieri ſolet, & mortem præcedit, vel ſi, ob gravitatem dolorum, nimiamque morbi moram, in ſingultus, gemitus, etiam ejulatum & qualemcunque queſtum erumpat, hæc enim morbi magis, quam hominis voces, & hinc etiam commiſerationis potiùs argumenta ſunt, ita etiam ſuppreſſi ſpiritus quandoque liberiùs exeunt, & dolor ipſe imminuitur. Nec id ſemper impatientiæ argumentum eſt, ſi hic magè gemat quam alter, qui eodem morbo laborat, unus enim præ altero, teneriùs educatus, acutiores ſenſus habet, etiam *Hiſkia* pipiebat ut hirundo, gemebat ut columba *Jeſai.* XXXVIII, 15. *David*, in doloribus morbi non minus quam peccati, lectum lachrymis madefecit. *Pſal.* VI. confer *Jeſai.* LIX, 11. a) Circa ægrorum impatientiam.

§. VII.

Hæc vero pro *notis* & *characteribus impatientiæ*, quæ Chriſtianos, in iſtiusmodi malis, non decet, haberi poſſunt. a) Si æger Ejus characteres.

Digitized by Google

æger non modo de viribus, ad recuperandam priſtinam valetudinem, ſed etiam de animo morbum patienter ferendi *deſperet*, & hinc, quod proh dolor! ſæpius auditur, dicat: *Non poſſum hæc ferre, non poſſum*, inter talia mala, *ſubſiſtere*. b) Si in continuas querelas ſolvatur os ejus, nec modum in illis teneat, ut vel ad *murmura* proruat, & providentiam Dei accuſet, quod ultra demeritum mala pati debeat, neſcire ſe quid mali egerit, ut ſaltem tanta præ aliis pati teneatur. c) Si *mortem impatienter optet*, vel planè, ut *Jobus* Cap. III. diei ſuæ nativitatis male dicat. Si d) *intractabilis* ſit, ut ad quælibet protinus iram evomat, domeſticos increpet, medicis aliisque, qui ejus curam habent, non obſequatur. Si, moram ferre non valens, e) & voluntatem Dei Iſraëlis quaſi circumſcripturus *Pſal.* LXXVIII, 41. ad *illicita remedia* progrediatur, & cum *Saule*, dum votis illius Deus non reſpondet, magos & hariolos conſultat, aut ſaltem ad illos, qui, ad ſanandum corpus, nec vocati nec idonei ſunt, ſe conferat.

§. VIII.

Remedia & monita in illa.

In ejusmodi ſtatu Paſtor in id juxta incumbet, ut æger divinæ voluntati ſe ſubmittat, juſtitiam calamitatis agnoſcat, ſe, & non Deum, accuſet, gratiam Dei, in Chriſto, quærat, omnia in ſui bonum dirigi ſperet, remediis ritè præſcriptis utatur, & animo tranquillo, aut priſtinam ſanitatem, aut æternam ſalutem exſpectet. Huc vero facient ſequentia monita. 1) *Nihil caſu evenire*, ſed hæc *omnia à Deo eſſe*, in quo ſumus, vivimus & movemur, à cujus mero arbitrio ut noſtrum eſſe, ita conſervari dependeat. 2) *Nemini* proin *obligari Deum Rom.* XI, 35. eum cum ſuo facere quicquid velit *Matth.* XX, 15. Ipſam rationem docere, non importunè coram eo, nec impatienter apud eum agendum eſſe, in quem nobis nullum jus ſit; ne gentiles quidem, ſaltem moratiores, dolorum lenimina à Deo, tanquam debitum, per murmura, ſed, tanquam gratiam, per ſacrificia & preces expetiiſſe. 3) Chriſtiano cumprimis ſufficere, quod pateat *hanc eſſe Dei voluntatem*, illum, qui Deum ſincerè amat, etiam voluntatem Dei amaturum, ſi vel durior ſit, maximè cum ſapien-

ſapientia & ſanctitas hujus voluntatis intimè perſpecta ſit. Jam & 4) perſuaſos ſe eſſe debere, *hæc ab eo venire*, *qui juſtus eſt*, cujus & juſta ſint judicia, cum *David* olim *Mephiboſetho* bona injuſtè abſtuliſſet, atque ſervo *Zibæ* dediſſet, *Mephiboſethum* tamen dixiſſe: *Fac quod bonum videtur in oculis tuis*, *annon omnes poſteri Saulis ſunt viri mortis*, *& me præterea menſæ tuæ admovere voluiſti*. 2. *Samuel*. XIX, 27 - 30. talia multò magis & nobis eſſe dicenda, quibus cum ſummo numine res eſt. 5) Sequendum in his eſſe *exemplum* verè *fidelium*, qui talia mala paſſi, ex ærumnarum gravitate atque diuturnitate, in varias cogitationes diſtracti, & in nimium fervorem abrepti, ſe tandem tamen recolligêre. Sit exemplo *Aſaph Pſalmo* LXXVII. ubi cernitur, quam *grave*, ex afflictione, *deſiderium* & votum in illo fuerit, expreſſum non modo per clamorem & orationem ad Deum emiſſam, ſed etiam per fontem lacrymarum tam uberem, ut manus orantis, ex lacrymis in eas decidentibus, continuò madefactæ fuerint ℣. 1 - 3. qualis abhinc, ex hocce deſiderio, in eo nata fuerit *inquietudo*, ut, quæ aliàs lenire ſolet, debetque, ipſa *Dei*, & *proſperitatis* priorum dierum *recordatio*, dolores illius, ob ſeveritatem eorum, multiplicaverit. ℣. 4 - 7. qualis, ex inquietudine, *dubitatio* de gratia Dei, & veritate divinarum promiſſionum in afflictionibus, quæ ipſi videbantur inde nullum habituræ finem, hinc ſigna eſſe & effecta odii. ℣. 8 - 10. Sed, vix dum huc usque progreſſus erat, fides hiſce occurrebat, ut triſtitiæ modum poſuerit, per conſiderationem, meditationem & admirationem potentiæ & operum Dei, ſpeciatim in Ægypto, & tempore exitus Iſraëlitarum ex Ægypto: *Infirmitatem*, ait, *ipſius eſſe*, tum ex jure humanitatis, tum ex demerito peccati, confer *Jerem*. X, 19. *ſed τὸ mutare dexteræ Excelſi*, potentiæ & roboris Dei ℣. 11. Mutationem ſui ſtatus à Dei potentia & exſpectari poſſe, & ab ejus veracitate atque fide ſperari deberi &c. ℣. 12. fin. 6) Conſiderandum porro eſſe, ejusmodi *mala deberi peccatis*, deberi morbos peccato *originali*, cujus ſtipendium mors ſit, *Rom*. VI, 21. quæ etiam dominatur in illos, qui non peccarunt ad ſimilitudinem Adami; *Rom*. V, 14. deberi multis *actualibus*, ſi quis modo attendere velit ad priora vitæ inſtituta, cau-

ſis tantæ miſeriæ multas fore morales, multas aliquando etiam naturales, ut non tam Deum accuſare, quam ſemet ipſum condemnare teneatur. Et ſi vel 7) liber eſſet à peccatis, *non eſſe* tamen *eum liberum à periculo peccandi*, ut vel hac de cauſa cohibeatur ab ejusmodi erroribus, qui morbis ipſis pejores ſunt. Perpendendum hîc eſſe ab ægrotis *Caput* XXXIII, 14. ſeqq. *Jobi*, ubi *Elihu* ſcopum iſtiusmodi afflictionum, & earundem exitum eleganter indicat, nempe, ſi *monuerit Deus* hominem aliquando, *vel in ſomnio* primo, eoque firmiore, *vel per ſoporem* matutinum, *ut aperiat aures* illius, & homo ad illa non reflexerit, *tum Deum* adhortationem ſuam interiorem *obſignare* caſtigatione, vel *ut amoveat*, inter actiones bonas, *faſtum* ab ipſius oculis, vel ut, inter peccata & peccandi pericula, *cobibeat animam ejus à fovea, & vitam ejus, ne in* שחת triſte illud animarum *exilium incidat*, &, in hunc finem, Deum illum *conjicere in lectum*, etiam in lecto *corripere doloribus*, ſicque conterere vel ipſa *oſſa multa*, præ reliquis corporis partibus cæterum libera, ita ut hujus triſtioris mali effectus ſit, *faſtidium cibi*, & *deſiderabilis* etiam *eſcæ*, *evaneſcentia carnis*, cæterà *viſa*, *ut* jam *non videatur*, & *extantia oſſium*, *quæ* aliàs *non videbantur*, ut *anima ejus appropinquet ad foveam*, & *vita ejus lethalibus* malis; Id vero omne nondum eſſe cauſam ſufficientem deſperationis, *eſſe* enim, præ Legatis & Miniſtris Dei omnibus, etiam iis qui ægro adſunt, *Angelum*, *unum ex mille*, omnium præſidem, qui verè מליץ præſtantiſſimum *oratorem* agat, inde apud Deum intercedendo pro ægro, ut *redimat illum*, *ne deſcendat in foveam*, *quia redemtionem invenerit*, & in ſe, per pretium liberationis, & in ægroto, per fidem, qua meritum redemtoris apprehendit, hinc *annuntiando homini*, etiam per ſuos, *jus Dei*, quamque impoſſibile ſit, ut ſine juſtitia Dei, fide apprehenſa, gratiam conſequatur homo, atque hujus interventu *liberari* ægrum à morbo, atque hunc proceſſum DEUM inſtituere *bis aut* ter, in ſalutem hominis. 8) *Peccare* proin *impatientes* & murmurantes *in bonitatem Dei*; conſiderandum illis eſſe, quot beneficia ipſis & olim, & nunc etiamnum præſtiterit, quodque illa mala omnia, qualia illa ſint, numero, pondere & duratione quam plurimùm ſuperent, ut meritò

meritò dicendum ſit: *Bonum accepimus, & malum non feramus. Job.* II, 10. Cumque 9) ob peccata mereamur mortem æternam, *caſtigari* ſaltem *morbo* id utique *beneficii loco habendum* eſſe, cumque tot annis peccaverimus, num murmurandum, ſi fortè vix per tot hebdomades aut dies caſtigemur, & morbo quidem, qui 10) in fidelibus utique *ad ſanctificationem* facit, mentem, ab inclinationibus terreſtribus, ad deſideria rerum cœleſtium, à faſtu ad humilitatem, ab immiſericordia ad miſericordiam præparat; hæc mala 11) patienter ferre *infantes*, qui ratione non utuntur, nec tot moralibus argumentis ad patientiam alliciuntur, ferre *malos* in inſtitutis mundi, multo magis Chriſtianorum officium eſſe, patienter ferre, quos Chriſtus ad patiendum vocavit, quibus gratiam etiam ad patiendum contulit. *Phil.* I, 7. *Ferendum* 12) utique eſſe, *quod mutari nequit*, nihil intolerabile eſſe quod neceſſarium eſt, cumprimis Chriſtiano, qui novit fidelem eſſe DEUM, nec plura imponere, quam ferre valent humeri, & vel, ſecundum clementiam, augere vires animæ, vel, ſecundum animæ vires, imminuere morbum, ſuisque tandem è tempeſtuoſo hoc mari dare ἔκβασιν egreſſum, ob quem laudetur. 1. *Corinth.* X, 13. Impatientià 13) non imminui, ſed *augeri dolorem*, & dari, ſaltem conſcientiæ, novorum dolorum argumentum 14) *Forte hanc ultimam* virtutem exercendi *occaſionem* eſſe, ſi vocatus ſit ad extrema, utique cummaximè vitioſum eſſe vel in extremis peccare, vel ſi prior illi reſtituenda ſit ſanitas, cavendum tamen eſſe, ne vel poſt morbum ipſi de morbo dolendum ſit.

§. IX.

Si, ab ægroto, *excipiatur; hæc equidem optimè præſcribi & injungi poſſe à ſanis, qui neſciant quid patiatur æger*, concedi quidem 1) poterit, vel optimos hic labi tum impatientià, tum animi dejectione, ſive ſenſuum & conſilii abjectione, ſicuti *Jobo*, ab amicis, dictum erat *Job.* IV, 5. *Dum venit ad te, defetiſceris, dum attingit te, perturbaris*, ſed eſſe tamen in eo peccatum, quod utique, dum tentatio adeſt, evitandum. 2) Reſpondendum, nimiam etiam aliquando teneritudinem carnalem impatientiæ cau- Objectio. Resp.

Digitized by Google

cauſam eſſe, quæ proin, dum etiamnum ſani ſumus, evitanda eſt. 3) Proponat ſibi ſaltem firmiter æger, ſe patienter ferendo facturum voluntatem DEI, atque inter minores dolores idem maneat, videbit tum ipſe quam poſſibile ſenſim ſenſimque ſit, ſe etiam gravioribus doloribus ſubmittere; jam & 4) DEUM roget, ut interius animi robur augeat, cumprimis autem ſuam hîc infirmitatem coram DEO agnoſcat, & gratiâ illius illi vires ſufficient, nam amat DEUS virtutem ſuam in infirmitate noſtra perficere, id eſt, perfectè demonſtrare 2. *Corinth.* XII.

§. X.

b) In nimio mortis metu.

Qui varius eſt.

Sed & *nimio* interdum *mortis metu* ita abripiuntur ægri, ut officiorum, tempore mortis, præſtandorum prorſus immemores ſint. Non eſt autem omnis *metus mortis*, & vitæ deſiderium improbandum; ſed diſtinguendum eſt, inter illum metum 1) quem *natura* incutit, 2) qui *ex ſtatu* vel *peccati*, vel *dubio* ſaltem fluit, & 3) qui *in* hominibus ſuæ *regenerationis* conſciis exoritur. 1) *Mors* quâ mors, ſive vitæ privatio, ut malum quid eſt, quod animam, perpetuæ conjunctioni cum corpore deſtinatam, à corpore ſeparat, & quandoque perquàm violenter, ut cruciatibus ſuis acutus morſus ſit, *naturaliter horrorem excitat*, qui & optimos ad breve tempus angit, ſed ita ut naturalis ille horror, *triſte* potius quam turpe *malum*, per conſiderationes fidei ſuperetur, unde & *Chriſtus* ipſe, qui pro malis noſtris, etiam triſtibus, paſſus eſt, tum triſtis fuit ad aſpectum mortis aliorum, quomodo *fremuit ad mortem Lazari Joh.* XI, 33. tum *ad ingreſſum ſuæ*, ſed maledictæ, *mortis timore perculſus fuit. Matth.* XXVI, 38. *Hebr.* V. 7. in teſtimonium, quod imbecillitates hominum phyſicas ſubire non renuerit. Ipſi *Adamo*, in ſtatu integritatis, DEUS mortem minabatur, ut ſic vel tum metuenda fuerit. Sed cum illa 2) etiam ab *impiis*, aut à talibus ſubeunda ſit, *quibus de ſtatu gratiæ nulla* etiamnum *certitudo* eſt, nec ulla ſolida eſſe poteſt, in hoc ſtatu *mortem metuere* adeo *non malum* eſt, ut ſi ab illis vel optetur, vel tranquillo animo exſpectetur, graviſſimè peccetur, vide *Pſal.* XXXVII, 37. 38; unde horum ratione *mors* etiam *rex terrorum* dici poteſt. *Job.* XVIII, 14.

3) Quo-

Digitized by Google

3) Quoad *regenitos* etiam, certo reſpectu, *metus mortis*, & vitæ longioris deſiderium locum habere poteſt. Ita ſingulariori quodam modo *fideles veteris teſtamenti* mortem metuêre, & deprecabantur, ſi non, quod non ad eundem gloriæ gradum, poſt mortem, fuerint translati, quò fideles N. T. ut, vel ex noſtris etiam, *Joh. Fell*, Epiſcopus Oxonienſis, in libro *de beneficiis Servatoris Jeſu Chriſti*, *Parker de deſcenſu Chriſti ad inferos*, *Camero Oper.* p. 547. exiſtimarunt, ſaltem a) quod promiſſiones vitæ æternæ, nec tam frequentes, nec etiam ejus claritatis fuerint, cujus ſunt in N. T. 2. *Tim.* I, 9. 10. b) quod, unà cum promiſſionibus ſpiritualibus, acceperint etiam promiſſiones temporales vitæ longævæ, ad quas fides eorum etiam reſpicere debebat, vel c) quod, ob maledictionem morte Chriſti, nondum ablatam, mortem temporalem ut δεῖγμα iræ, & execrationis adhuc incumbentis conſiderare debuerint, & quod d) intenſè optaverint, tempus illud vivendo attingere, quo Chriſtus appariturus erat. *Matth.* XIII, 17. Atque ſic quoque *fideles* N. T. vitam ampliorem, ſed cum ſubmiſſione animi in voluntatem Domini, deſiderare, & in tantum etiam mortem metuere poſſunt; idque *partim* per *defectum fidei*, quando, de fidei ſuæ ſinceritate vacillantes, mortem conſiderant ut judicium DEI annexum habentem, atque imperfectiones, quas in corde ſuo ſentiunt, ſeriò, vel in totum, vel ſaltem in tantum, antè correctas volunt, quam coram judicio DEI compareant. Inde fluxit, haud minus certè, quam ex ſervili metu V. T., *Angor* ille *Davidis*, quem *Pſal.* VI. expreſſit. Scilicet quia de peccato voluntario in Uriam commiſſo tales ſæpè prodiêre effectus, qui fecerunt, ut, inter graviſſimas caſtigationes DEI, certiora plenæ remiſſionis teſtimonia deſideraverit; *partim* etiam per *actum* quendam *fidei*, ſcilicet, ſi certiſſimè perſuaſi ſunt, ſe gloriam DEI, cum multiplici fructu, in vita hacce, favente DEO, promovere poſſe, vel inter ignaros, quando hi deſtituuntur piis doctoribus, vel inter adverſarios, quando augetur eorum numerus vide *Phil.* I, 23. 24. Ita porro, ſi quis vel, in temporalibus, publico, vel, cumprimis in ſpiritualibus, familiæ ſuæ non modo utilis, ſed etiam quadantenus neceſſarius ſit, ubi metus mortis & deſide-

ſiderium vitæ, ſinceræ charitatis fructus eſſe poterit, modo in omnibus voluntatem ſuam divinæ ſubmittat, nec (quod tamen frequenter hìc fieri ſolet) os aliud loquatur, aliud cor cogitet, uti quidem revera, ſub ſpecioſo tali obtentu, carnalia deſideria ferè plerumque latent.

§. XI.

Notæ metûs mortis vitioſi.

Vitioſus autem & expugnandus *mortis metus* eſt 1) ſi quis, per *naturam* ſui *morbi*, *de voluntate Domini certus* redditur, & vel tum tamen impatienti *vitæ deſiderio laborat.* Ubi enim abſoluta DEI voluntas patefacta eſt, nec gloriam DEI, nec hominum ſalutem illi opponere licet, quia ex gravioribus peccatis propriarum viarum electio eſt, *Jeſai.* LXVI, 3. & neque metu mortis deſiſtendum à perículoſis laboribus, ſi vel mors ſecutura eſſet. Notari meretur *obſervatio Becbai* ad *Numer.* XXXI, 3. „ DEUS *mortem Moſis* ſuſpendit à *Victoria Midianitica Numer.* „ XXXI, 2: *Sume ultionem Iſraëlitarum de Midianitis, poſtea ag-* „ *gregaberis ad patres tuos*, & tamen *Moſes* nullatenus tardavit „ bellum illud ſuſcipere. Prorſus aliter *Joſua*, ſcilicet cum ad- „ verſus *Reges* XXXI. bellum gerendum haberet, dixit: Si ſta- „ tim eos aggrediar, poſtea mihi, ut Moſi, moriendum erit; „ devictis ergo regibus Midian, ſegniùs bella gerere cœpit, & „ multum tempus protraxit, ſicut dicitur *Joſ.* XI, 18. *Diebus* „ *multis geſſit Joſua*, contra reges iſtos omnes, *bellum*, ſed, in „ pœnam ejus moræ, Deus decem annos de vita ejus detraxit, „ cum enim debuiſſet CXX annos vivere, non vixit niſi CX. „ annos, ſicuti hinc dicitur *Prov.* XIX, 21. 2) Si mors metuatur ex *incertitudine* quadam *objectiva ſtatus futuri*, & ſi quis animo ſuſpenſus hæreat, an fidelium ſtatus, poſt hanc vitam, vitæ huic præferendus ſit, qualis infidelitas ſæpè in cordis intimis receſſibus latet, expugnanda per fidem illam, quæ ὑπόστασις eſt τῶν ἐλπιζομένων, & ἔλεγχος οὐ βλεπομένων *Hebr.* XI, 1. 3) Si, *ex nimio* delitiarum *hujus vitæ amore*, mori quis renuat, cœlumque Deo relinquere vellet, modo bonis ſuis, uti hìc cumprimis malè vocantur, in terris hiſce uti poſſet, in quibus cogitationibus Dei non minus quam beatitudinis cœleſtis horrenda abnegatio latet.

Digitized by Google

latet. 4) Si, præ nimio etiam naturali mortis horrore, *officiorum ſuorum* ſit *immemor*, & non in id juxta incumbat, ut, per legitima media, ad beatam ἀνάλυσιν ſeſe præparet.

§. XII.

Omni illæ nimiæ trepidationi, ob inſtantem mortem, ſequentia, apud regenitos, *ſolaminum capita* opponi poterunt. 1) Quod, ſi peccatum potens ſit, ad excitandum metum, in credentibus tamen gratia Dei in Chriſto multò ſit potentior, dum *Chriſtus*, per mortem ſuam, omnia peccata ita expiavit, ut *nullum* prorſus κατάκριμα *in illis ſit*, *qui in Chriſto* ſunt. *Rom.* VIII, 1. quod illum etiam, qui poteſtatem mortis habet, non tantum devicerit, ſed etiam aboleverit. *Hebr.* II, 14. 15. ut, vel in ipſa morte, ob ſtimulum illi ablatum, triumphum canere queant. *Hoſ.* XIII, 14. 1. *Corinth.* XV, 54. Maximè 2) quod, in Chriſto, mors omnem ſuam σχέσιν triſtiorem amiſerit, quæ, cumprimis nunc præſtitâ ſolutione, jam non eſt pœna peccati, ſed ejus ablatio, aggregatio ad populum ſuum, collectio in faſciculum juſtorum, è diametro τῷ שחת triſti illi exilio animarum oppoſita *Job.* XXXIII, 24. &, una voce, ſomnus, ad quem ſe tantò lubentius componere queant fideles, quia non modo quieſcunt à laboribus ſuis, ſed & grati eorum fructus ſequuntur. *Job.* XIV, 2. *Apocal.* XIV, 13. ubi tantò ſuavius quieſcunt, quod mens in viſione Dei occupetur, multò etiam melius, quam anima, à corporis influxu ſuſpenſa, in præſtantiſſimis ſomniis, poſt quem etiam, prorſus ut homo ex ſomno, tantò expeditiùs, collectis quaſi & recreatis ſpiritibus, reſurrecturi ſunt. 3) Quod mors ſingulari etiam Dei, quà patris cœleſtis, directione contingat, penes quem, ceu & optimum & ſapientiſſimum gubernatorem, dierum noſtrorum numerus eſt, quem nemo transgredietur, id quod non tantum ad acquieſcentiam *Job.* XIV, 4. ſed & fiduciam facit, ideo enim *David* in Deum ſperat, quia tempus ejus in DEI manibus eſt. *Pſal.* XXXIX, 6. 10. Quod 4) fidelis eundem, qui mortem determinavit, etiam in morte præſentem habeat, qui vel tum illum & ſingulari dilectione, in Chriſto, complectitur *Pſal.* XVI, 8-11. XXIII, 4. *Jeſ.* XLIII, 1. 2.

Solamina illi oppoſita.

Digitized by Google

& efficaciſſimè ſolatur. Unde *Aſaph* non tantum *negavit*, *ſe in cælo* (loco bonum habendi) *quenquam habere*, *ac in terra* (loco bonum concupiſcendi equidem, ſed non poſſidendi) *ſe quicquam concupiſcere*, vel *dum cor viresque liqueſcunt*, ſed *affirmat* è contrario, *ſe in Deo* & hîc *habere ſolamen*, &, poſt hanc vitam, plenam *portionem*. *Pſal.* LXXIII, 25. 26. 5) Quod mors fidelium adeo non ſit metuenda, ut potius communionis cum Chriſto, & inhabitationis Spiritus S. fructus ſit. *Si Chriſtus eſt in nobis*, *corpus equidem moritur propter peccatum*, ut illud quaſi cum carne excidatur, *ſed ſpiritus* (non tantum vivens quid, ſed) ipſa *vita eſt propter juſtitiam*. *Rom.* VIII, 10. Unde & *corporis peccati depoſitio*, etiam & quidem potiſſimum per mortem, ut *fructus* proponitur circumciſionis non manu factæ, *circumciſionis Chriſti*. *Coloſſ.* II, 11. Quod, cum illa morte, proin triſtis illa lucta cum peccato & afflictionibus omnibus ceſſet, adeoque onerans illud pondus deponatur *Rom.* VII, 18. *Hebr.* XII, 1. 6) Quod, per mortem, ex peregrinatione multis miſeriis obnoxia, ubi Patrem tantum de nomine cognoſcunt tantum, non de facie, ubi verbo ejus, ceu literis paternis, contenti eſſe coguntur, transferantur in patriam, & ad pleniſſima filiationis jura. *Rom.* VIII, 18. ſeqq. *Hebr.* XI, 13-16. 7) Quod *fidei* tum τέλος, id eſt, & *finem* & *ſummam* quaſi capitalem, *animarum* ſcilicet *ſalutem* conſequantur 1. *Petr.* I, 9. tantam illam, ut vel, in hac animarum ſalute, *ædificium* jam habeant *à Deo exſtructum*, *domum quæ manet in cælis*, ubi, qui hîc equidem non prorſus nudi inveniuntur, utpote induti juſtitia Chriſti, & primitiis Spiritus S., tunicam tamen ſimul ſuperiorem, plenæ cognitionis, perfectæ charitatis, accipiunt. 2. *Corinth.* V, 1. ſeqq. 8) Quod *ipſum* tamen illud *corpus*, quod, ut ſedem animæ, hucusque tantoperè dilexêre & fovêre, ſuo tempore *recepturi* ſint, ſed non ampliùs tam miſerum atque fluxum, tot motibus inordinatis obnoxium, ſed *glorioſo Chriſti corpori ſimile Phil.* III, 21. Quod, ubi vermes vel tantillum illud cutis, quod etiamnum ſupereſt, conſumſerint, & penitus diſtrinxerint, *ex carne* tamen *ſua Deum* olim *viſuri* ſint; *Job.* XIX, 26. ob quam corporis reſuſcitationem, cum *Paulo*, dicere poſſumus: διὸ οὐκ ἐκκακοῦμεν *propterea non*

non elangueſcimus. 1. *Corinth.* IV, 16. 9) Quod nihil *deſerant*, niſi *mundum infidelem*, qui millies tentat & ſeducit, niſi leones & bruta, cum quibus converſari cogebantur, & è contrario tum futuri *ſint cum Deo* 2. *Corinth.* V, 8. cum *Chriſto capite* ſuo *Phil.* I, 13. & quidem *ſemper* 1. *Theſſ.* IV, 17. 10) Quod ex hac ipſa communione naſcitura ſit illa, quam tantoperè deſiderarunt, *perfecta ſanctitas.* Qui tenuiſſima quædam lineamenta imaginis divinæ hîc expreſſerunt, illîc tum, ad quod imago tanquam finem tendit, *Deo ſimiles* erunt, &, in eum finem, *cogniturì Deum ſicuti eſt* 1. *Joh.* III, 2. quodque proin *æternam* totius hominis *gloriam* conſecuturi ſint, de qua ſermo eſt 2. *Corinth.* IV, 17. ubi officium illud, quod hîc cumprimis imperfectum & toties interruptum erat, *præconium* ſcilicet & *laudes Dei* tum ſoluturi ſint, &, ſine interruptione, Deo daturi laudes jam creationis & conſervationis omnium *Apocal.* IV, 10. 11. jam redemtionis, cum præconio agni *Apocal.* V, 8-10. jam victoriarum Eccleſiæ *Apocal.* VII, 9-17. uti quidem *Johannes* cœlum nunquam ſine iſtis laudibus apertum vidit.

§. XIII.

Abhinc in id incumbet Paſtor, ut, ſedatis animi motibus immoderatis, per exercitium *pœnitentiæ* & *fidei*, ad beatam ἀνάλυσιν ægrotorum *animum præparet.* Nec enim protinus omnibus ægrotis ſolatium offerendum, & divina gratia declaranda, quod quidem plerique ægrorum exſpectant & petunt, ſed minus recte, & ita ut ſolatium, ex Verbo Dei eis conveniens, non cupiant, &, quale cupiunt, in Verbo Dei non inveniatur. Cum vero *duo* tantum *morientium ſtatus* ſint, ut vel *in Domino*, vel *in peccatis* ſuis moriantur; Cum in peccatis moriantur non tantum qui, dum moriuntur, peccant *Eccleſ.* XI, 3. ſed quibus peccata ſua non ſunt remiſſa, inde vero jam *triplex hominum genus* ſit, *illorum* qui, per omnem vitæ tempus irregeniti fuêre, & genio ſuo indulſerunt, *iſtorum* qui converſi ſunt, & ſe converſos eſſe ſciunt, *horum* autem qui neſciunt ad quem ſtatum pertineant, & anxii hærent, atque id quandoque etiam ita, ut nec aliis illud pateat, hinc Paſtoris eſt, quantâ poteſt curâ, *di-*

c) Quoad præparationem ægri ad mortem beatam.

Pro diverſa ejus conditione.

ſpicere ad quodnam genus ægrotus pertineat, quippe quod ad re-ctum clavium uſum apud ægrotos, ne vanâ divinæ miſericordiæ fiducia lactentur, perquam neceſſarium eſſe, *Steph. Gausſenius*, Theologus Salmurienſis, in *Diſſertationibus* ſuis *Theologicis* oſtendit.

§. XIV.

*) Quænam agenda apud profanos, quorum converſio a) difficilis equidem

Quodſi igitur Paſtori res eſt, cum *homine profano*, & hactenus *evidenter irregenito*, tum, quam blandè fieri poteſt, iſtiusmodi ægroto 1) indicabit, quam *difficilis* jam demum illius *converſio*, quodque prope miraculi loco ſit, ſi is, qui ab infantia usque ad extrema, doctrinam Evangelii audivit, per Verbum, beneficia & judicia Dei excitatus, & tantum non compulſus fuit ad converſionem, nunc demum, poſtquam omnia gratiæ media, tam diu, tamque pertinaciter, ſpreverit, ſalutis & ad eam pœnitentiæ gratiam conſequatur, *tum* quia habitus vitioſi, tot annis obfirmati, uno vel altero momento, vix & ne vix quidem excuti poſſunt, *tum* quia Deus, licet illi nihil impoſſibile ſit, ordinarias tamen gratiæ non minus quam naturæ leges ſequatur, unde contumacibus alia omnino minatus eſt, quod, cum manus ejus fruſtra fuerint expanſæ tota die, ad recipiendum peccatorem, jam etiam riſurus ſit in ipſorum exitio *Prov.* I, 22-29. 2) Conſiderandum illi dabit & quam horrenda peccatores maneant mala, quæ in compendio referuntur *Pſal* XLIX, 15. quod *ſicuti pecudes* nunc, ſine honoris diſcrimine, *in ſepulchrum ponantur*, quod *mors illos depaſcat*, animamque doloribus horrendis ſubjiciat, qui, tanquam totidem vermes, conſcientiam diſcerpant, quod *recti*, à tyrannide improborum liberi, *manè*, ſeu in ultimo judicio, *in eos dominaturi* ſint, quod ſive *Petra* & baſis, ſive *forma eorum* omnis tum *veteraſcat*, & *infernus* pro perpetuo *habitaculo* ipſis aſſignetur; & quam certa illa ſint, quod vel conſcientiæ ſenſus nunc cumprimis demonſtret. Sic & 3) addi poterit, non id omne, coram Deo, pro ſeria pœnitentia haberi, quod vel ipſemet, vel ejus amici, ex cœcæ philavtiæ judicio, pœnitentiam vocant. *Non ſufficere*, *ſi* e. g. jam demum quadantenus *velit ſalutem*, cujus incuriâ hactenus labo-

laboraverit; *voluiſſe* etiam *ſtolidas virgines intrare*, & non potuiſſe. *Non* etiam, *ſi dolorem de peccatis* vel *profiteatur*, quod & hypocritæ faciunt, vel qualitercunque *concipiat*, poſſe enim illum etiam ex animi dejectione, metu gehennæ, & ex timore pœnæ fluere; doluiſſe etiam *Judam* proditorem, & tamen abiiſſe in locum ſuum. *Nec* etiam, *ſi* vel optima *vota* fundat, & *verba det*, ſufficere, quia plerique profanorum, ubi reconvaleſcunt, ad priora peccata revertuntur, ſicque oſtendunt, quod votorum illorum radix ſolus gehennæ metus fuerit. Nec hic movebit paſtorem, ſi *objiciat* æger; quod nimio zelo laboret paſtor, quodque hac ratione in deſperationem conjiciatur, ſi enim ægrotus in tales querelas erumpit, id indicio eſt, quod juſtitiam & ſanctitatem DEI nondum, ut fas eſt, apprehenderit. *Neque* tamen, quod antea profanus fuerit, etiam ſufficit, ut *omnem* illi *gratiæ ſpem prorſus eripiat* paſtor, aut ægrum, ut inſanabilem mittat. Licet enim *ſera pænitentia* rarò ſit ſeria. Nolle DEUM ulli irregenitorum, in extremis, gratiam facere, & velle è contrario, ut miniſtri ejus illos prorſus deſerant, nusquam revelatum eſt; contrarium potius ſperari poterit ex *promiſſione DEI*, juramento confirmatâ, quod *nolit mortem peccatoris*, ſed *velit*, *ut ſe convertat & vivat*; itemque *Chriſti*: *Quisquis venerit ad me*, etiam quandocunque, *non ejiciam illum*. Nec impoſſibile prorſus, ut homo irritamentis malorum illis, quæ eum continuò tentarunt, nunc orbatus, priores vias tandem, cum pudore non minus quam metu, reſpiciat, beneficia DEI, cumprimis longanimitatem ejus, cum affectu ſingulari agnoſcat, & ſincero deſiderio abripiatur, ad rejiciendas vias priores, & amplectendam DEI, in Chriſto, gratiam. Saltem qui nec opinanter ex *Saulo Paulum* fecit, ad ſubmiſſas *publicani* preces illum juſtificatum dimiſit, & *latronem* in cruce, in extremo exinanitionis *Chriſti* gradu, ad *Chriſtum* duxit, id etiam nunc, pro infinita gratiæ ſuæ potentia, ſi velit, præſtare poterit. Qui omnimodam *impoſſibilitatem converſionis in agone mortis* ſtatuunt, fidem in Chriſtum, etiam ſinceram, in ipſius præſentibus motibus, ad juſtificationem ſufficere negant, & ſanctificationem non à DEI gratia efficaci, ſed ab habitu, per actus iteratos, acquiſito derivant, quorum

& b) ſera, attamen ſalutaris.

Digitized by Google

rum Th o'ogia moralis tantò impurior eſt, dum & hoc pro impoſſibili habent, & ſimul tamen tradunt, etiam illos, qui, per actus iteratos, pœnitentiæ & fidei habitum conſecuti fuêre, à DEO rejici, & totaliter æquè ac finaliter gratiâ excidere poſſe. Poterant etiam, in *ſera pœnitentia*, *criteria* eſſe *ſinceritatis*, ſerium certamen de peccatis, clara cognitio & ſenſus ſui mali, approbatio ſincera judiciorum DEI, ſeria monita aliorum *Luc.* XXIII, 40. 41. faſtidium mundi, ſeria deprecatio peccatorum, patientia inter acutos dolores, cum ſeria ſubmiſſione ſub voluntatem DEI &c.

& c) ſeria eſſe poteſt

§. XV.

atque d) ſingularis eſſe debet.

Quamvis autem converſio ejuſmodi hominum, ad extrema uſque, profanorum non prorſus impoſſibiiis ſit, *ſingularis* tamen omnino, & vehementiſſima ab illis *pœnitentia* requiritur, unde paſtor in id juxta incumbet, ut profanus homo a) convincatur de veritate verbi divini in genere, & ſpecintim eorum, quæ, in illo, de DEO, ejus juſtitia vindicativa atque ſanctitate, de peccato, ejus pœnis, de redemtione per Chriſtum, de juſtificatione, ſanctificatione & judiciis, cumprimis ultimo, traduntur. Incredulitas unica propemodum illius mali radix eſt, non tantum quatenus extra Chriſtum nullum bonum opus peragitur, ſed etiam quatenus illa omnem, ex animo, metum excuſſit. Ut b) miſer ille homo, qui, per omnem vitam ſuam, peccata ſua extenuavit, & nec DEUM, nec ſe, ſuumque interitum, ritè perpendit, nunc demum agnoſcat, quam graviter, contra omnem & rationem, & gratitudinem, & juſtitiam peccaverit, quantoperè Majeſtatem, juſtitiam, imo etiam bonitatem DEI læſerit. Ut c) de peccatis illis, hac de cauſa, magis quam de ipſo morbo atque morte doleat, atque ſic, quia inter dolorem de peccato, & inter peccatum ipſum, etiam ratione numeri, proportio requiritur, dolor de peccato, *ſi non ſenſu*, qui in corporis afflictionibus, ob indivulſum animæ & corporis nexum, vehementior eſſe ſolet, *ſaltem judicio* & *optione* dolores morbi ſuperet, ut malit morbum, cum omnibus ejus doloribus, ſubire, quam denuo peccare, ſicuti, vel hac de cauſa, dolor de pecca-

Digitized by Google

peccato, à Davide, *concuſſio oſſium* dicitur *Pſal.* LI, 10. Ut d) proinde jam cumprimis peccato, ex toto corde, & ſerio odio renuntiet, & cum firmo mentis propoſito id omne faciendi, quod DEUS à nobis requirit *Jeſai.* LV, 7. *Ezech.* XVIII, 31. *Act.* III, 19. Ut, e) de peccato contritus ſeriò, ad DEUM in Chriſto confugiat, hujusque ſacrificium, quod & latroni, in extremis, profuit, viva fide amplectatur, fide, quæ ab odio peccati incipit, cum vivo reatus ſui, & indignitatis ſenſu conjungitur, & in ſincerum DEI in Chriſto amorem tendit, atque, hac de cauſa, totus abhinc in ſuſpiriis & precibus ſit. Ut, f) quantumcunque temporis illi DEI longanimitas etiamnum concedit, id in continuum pœnitentiæ incrementum dirigat, ad exercendam cumprimis charitatem, & erga DEUM tam longanimem, & erga proximum, cui non modo nævos in ſe commiſſos ex animo remittat; ſed & quidquid illi, vel actu, bonorum, vel verbis, honoris, atque famæ abſtulit, reſtituat; atque tum demum, ubi etiam paſtoris, & fratrum fidei preces acceſſerint, illi remiſſionem peccatorum ſuorum annuntiare, eumque de gratia, à DEO obtinenda, certum reddere poterit.

§. XVI.

Sed & *dubius* multorum *ſtatus* eſt, tum *ipſis*, tum *aliis*; *vel* quod ſemetipſos aut non, aut ſaltem non ſatis exploraverint, *vel* quod ſatis luculenta reſipiſcentiæ atque fidei teſtimonia aliis non dederint. Horum etiam ſtatus *miſer* eſt, ſaltem in hac vita, etſi verè reſipuerint. Deſiderant ſalutem, & metuunt interitum, amant utcunque DEUM, (nec enim anxii hærerent, niſi DEI, aut ſalutis amor adeſſet) & neſciunt, ex defectu fructuum amoris, an redamentur à DEO. Hanc incertitudinem, dum ſani ſunt, ferunt equidem, & perferunt ſic ſatis tranquillè; quod mens ipſorum aliis negotiis occupetur, ſibique promittunt, ſe plus operæ ad ſui cognitionem poſthæc impenſuros; ſed dum interea, ſæpè nec opinanter, hora mortis advenit, tum demum metus mentem percellit, conſideratione tum periculi, tum officii, de ſemet ipſis penitiùs examinandis, intermiſſi.

**) Ratione illorum qui verſantur in ſtatu dubio.

§. XVII.

§. XVII.

Excitatio illorum.

In *tali ſtatu*, & apud hoſce, quorum numerus omnium maximus eſt, paſtori *hæc obſervanda* ſunt: 1) Excitandi ſunt ad novum, ſerium & conſtans ſui examen, & ſecundum legem, unde agnitio peccati eſt, & ſecundum fidem, num in Chriſto ſint. 2) Urgendum, ut pejora potius ab initio, quam meliora ſub initio ſuſpicentur. 3) Hortandi ſunt ad amorem DEI in Chriſto, per conſiderationem bonorum omnium, & quibus uſi ſunt, & quæ DEUS etiamnum offert, ut ſic contritio illorum ex charitate DEI profluat, atque χρηστότης illa, cum omni ἀνοχῇ & μακροθυμίᾳ DEI, ipſos ad pœnitentiam ducat. *Rom.* II, 4. Hinc vero 4) legem ſimul illis proponet, &, ex decalogo, ejusque ſenſu ſpirituali, catalogum officiorum, erga DEUM, proximum & ſemet ipſos, illis ante oculos ponat, & illis cumprimis officiis inſiſtet, ad quæ virtute vocationis particularis, obligantur, & à quibus, per corruptos ſeculi mores, revocari ſolebant, ut inde pateat, quantoperè, per omne vitæ tempus, ab officio ſuo diſceſſerint. Deinde 5) ad veram de pœnitentia doctrinam perget, qualiter ea nobis, inter alia, 2. *Corinth.* VII, 9-12. & tum, ubi vel nunc ſaltem animum contritum videat, 6) ad fontes fidei atque fiduciæ, e. g. juxta ordinem ſymboli Apoſtolici progredietur, quibus & ipſe preces, cum dictis convenientes, ſubjunget.

§. XVIII.

***) Apud illos, qui de ſtatu gratiæ certi ſunt.

Apud hos autem, qui *de ſtatu gratiæ certi* ſunt, & ſe tanquam tales oſtenderunt, paſtor, ex rationibus ſuperiùs metui mortis oppoſitis, inſpirabit ſanctum deſiderium, ut ſolvantur à vinculis carnis, & apud Chriſtum ſint in patria 2. *Corinth.* V, 6. 8. coll. *Luc.* XII, 35-40; ſanctum itentidem gaudium de inſtanti gloria, ſed ita tamen, ut & ipſis continuum pœnitentiæ & fidei exercitium commendet. Licet enim à peccatis illis liberi ſint quæ à regno cœlorum excludunt, & liberati à dominio peccati, caro tamen etiam in illis etiamnum concupiſcit contra Spiritum, & anſam præbet, ut propemodum infinitis vanis cogitationibus, deſideriis, affectibus tententur, à ſerio, in precibus,

cibus, ardore diſtrahantur, multis, in eſu, potu, ſomno, recreationibus, nec opinanter irrepentibus exceſſibus, multo etiam charitatis tepore, & fidei infirmitate laborent, ut abundè habeant, de quo doleant, maximè ſi perpendant, quam facile hæc, per DEI gratiam, vitare potuerint, quot incitamenta, ad ea vitanda, habuerint, quanta ſit & Majeſtas, & ſanctitas atque oculorum puritas ejus, ad quem accedunt. Sunt igitur, eum in finem, & ipſi ante omnia α) monendi 1) ut ſui ſemper officii memores ſint, & ſint nunc demum non ſolum ἐργάζοντες, ſed, quia jam antea cœperant, κατεργάζοντες *peragentes ſalutem*, & connexa cum ſalute, inde *cum timore* ſive ſubmiſſione, cautione reſpectu rei, veneratione reſpectu DEI, & *cum tremore*, ut ad ultima usque adſit metus offendendi DEUM *Epheſ.* VI, 5. ſtudium & feſtinatio in obediendo 2. *Corinth.* VII, 1. 2. *Phil.* II, 12. Ut, 2) inter omne illud ſtudium, nolint tamen à ſemet ipſis pendere, ſed intimè convicti ſint, & maneant tum potiſſimum, ad ſalutem obtinendam & *volendum* & *operandum* non ſufficere, non *illud*; frigidam voluntatem non ſalvare, non *hoc* ſine illo, quia ſic opus externum fieret, ſine ſeria voluntate, utrumque vero, & voluntatem & operationem, efficere in nobis ſolum DEUM. *Phil.* II, 13. *Deut.* XXIX, 4. XXX, 6. β) Suadebit illis paſtor, a) ut ſpecialem pœnitentiam agant de omnibus, b) ut excitent in ſe tenerum amorem erga DEUM, etiam ex ſenſu gratitudinis vid. *Pſal.* CIII, 1. 2. ſeqq. Exercitium itidem fidei in mortem Chriſti 2. *Corinth.* V, 14. 15. *Galat.* II, 19. 1. *Petr.* II, 21. 24. Notatu digna ſunt verba *Theodori Undereyk*, quæ, teſte *Reizio* in *hiſtoria regenitorum*, in extremis ſuis protulit, dicens: *Gegen mir über ſtehet Jehova, die Sünde zur Lincken, zur Rechten Chriſti blutiger Gehorſam, hier in meinem Hertzen die Bundes mäſſige Auffrichtigkeit; darum als gewaſchen in Chriſti Blut von meiner Ungerechtigkeit, und in der Verſicherung, daß ich einen gnädigen Gott habe, will ich freudig tretten für Gottes gerechten Richterſtuhl.*

§. XIX.

Cum vero *horum* ſalus in Chriſto tamen confirmata ſit, & ipſi, per teneritudinem conſcientiæ, ad terrores, ſive ob mortem, *Quibus cum maxime ſolatia*

Digitized by Google

applicanda ſunt. tem, ſive ob judicium DEI, præ reliquis multò proniores ſint, hîc cummaximè *ſolatia* locum habent, quæ illis, pro diverſo eorum ſtatu, ex verbo DEI ita, cum fructu, proponenda, ut, ſi quæ in verbis lateat emphaſis, paucis exponatur, ut balſami locum efficacia verbi habere queat. Hûc faciunt, inter alia, ſi oſtendatur 1) ſcire tamen ipſos, quod, cum *in terra nihil* ſit, niſi vana & perpetua concupiſcentia, ſolus *in cælo DEUS* ſit, *qui* & *habeatur* & ſatiet, ſatiet hîc tanquam *ſolamen*, ſatiet illic ceu *pars* illorum *Pſal.* LXXIII, 26. 2) Tum demum nos illi ſimiles fore, quorum omnis labor, in cultura imaginis divinæ, huc redit, ut tandem illi ſimiles ſimus 1. *Joh.* III, 2. à quo nos, dum hîc vivimus, multiplex ignorantia, tentatio, corruptio impedit & retinet. Fore nos 3) tum cum Chriſto, quod πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον *Phil.* I, 23. Fore 4) nobis, qui, vel in ipſo morbo, nihil niſi fragile tabernaculum, & terreſtre habemus, tum demum conſtans domicilium & cœleſte, fore, præter tenuem illam, qua cingimur, cognitionis & fidei interiorem tunicam, pallium juſtitiæ, & plenioris charitatis atque perfectiſſimæ cognitionis, quo ſuperinduamur & ornemur, id quod hîc etiam tam anxiè deſideramus 2 *Corinth.* V., 1-5. 5) Niti & gratiam DEI, & futuram ſalutem fœdere illo DEI immutabili, qui utique *non mortuorum*, *ſed vivorum*, & maximè poſt mortem vivorum *DEUS* eſt. *Matth.* XXII, 32, unde, qui viventis *Iſaaci timor* erat, mortui *Abrahami DEUS* audit. *Geneſ.* XXXI, 42. ſcilicet quia tum ita DEO vivent, ut omnem, in illis, virtutum ſuarum gloriam patefacere queat. 6) Deſeri mundum infidelem, hæreditates externas, facile pereuntes, ſed *dari* è contrario *hæreditatem*, in oppoſitione ad vanitatem, & corruptionem naturalem bonorum hujus mundi, ἄφθαρτον & quatenus bonis illis ad peccata ſæpius abuſi ſumus, nunc ἀμίαντον, &, in oppoſitione ad mutationes ſæpè in pejus tendentes, atque ſterilitatem, ἀμάραντον 1. *Petr.* I, 4. Deſeri carnem, quæ peccato, tentationi, pœnis & cruciatibus, tota die obnoxia fuit, ita ut depoſitio illius beneficii loco haberi queat. Mori nunc corpus ob peccatum, ut ceſſet, manere ſpiritum, & illum tum non tantum viventem, ſed vitam ipſam eſſe propter juſtitiam. *Rom.* VIII, 8.

7) Ma-

Digitized by Google

7) Magnam utique eſſe ſalutem illam animarum, pro qua pretium DEUS ipſe poſuit, cum frater id pro fratre ponere nec voluerit, nec potuerit. *Pſal.* XLIX, 8. 9. 16. Quantamcunque amici, in morbis, opem præſtent, eſſe tamen, hujus ſalutis pignus, Spiritum S. cum omnibus donis ſuis. Magnam etiam hujus ſalutis eſſe certitudinem, quam non modo omnis creatura, non tantum nos, vel inter Spiritus primitias; ſed ipſe etiam Spiritus S. ſuſpiriis ſuis, anxiè quaſi, petit & exſpectat. *Rom.* VIII, 18-27. *Loca* quibus, apud ægros, paſtor uti poteſt, *ordinationes Eccleſiaſticæ* exhibent. Videantur omnino, de *cura* hac *ægrotorum*, *La Placette* in libro, qui inſcribitur: *Mors juſtorum*, *Drelincourt conſolationes contra terrores mortis*, *Taylor in der Kunſt heilig zu leben, und ſeelig zu ſterben*, & *Paſcal* in *Obſervat.* Cap. de *Cogitationibus mortis.*

§. XX.

ב) Cura illorum qui ſupplicio mortis afficiuntur, & quidem a) juſtè.

Quorundam etiam MORS VIOLENTA eſt, & *per ſententiam judicis* determinata, idque ut *condemnatus* plerumque *juſtè*, aliquando etiam *injuſtè* ſupplicium ſubeat. In hiſce circumſtantiis paſtoris equidem non eſt, immiſcere ſeſe judicio criminali Magiſtratus, in cauſas ſupplicii inquirendo, ſi vel nimius ipſi magiſtratus rigor videatur. Omnis πολυπραγμοσύνη & ἀλλοτριοεπισκοπία, ceu peſtis, ipſi fugienda eſt. Saltem aliter, quam privatim rogando & monendo, aut etiam publicè juſtitiam & æquitatem judicibus commendando, agere non poteſt. Interim nec licet illi ſeſe ſubtrahere; quo minus, vel ex mandato, vel ex conceſſione magiſtratus, *reum in carcere* detentum *adeat*, illiqui, monendo ut ſupplicium patienter ferat, eumque dirigendo & ſolando, adſit, aut etiam *ad ſupplicium comitetur*, maximè ſi ad id, præ aliis, ſpecialiter vocatus ſit; nec enim vel hujus oviculæ anima, ideo quod graviter peccaverit, prorſus negligenda eſt, imo quo majoribus animi motibus, à recto tramite abripitur, & judicio divino, ſine mora, ſiſtitur, eo major illius ratio habenda eſt. Si quis tamen naturali ea infirmitate laboret, ut ſupplicium mortis cernere nequeat, & diſpenſari poterit ab

 hoc

Digitized by Google

hoc officio, & rectè etiam atque utiliter alius, à magiſtratu, in ejus locum ſubſtitui.

§. XXI.

Officium paſtoris 1) in introitu in carcerem.

Detento etiamnum *in carcere* reo declarabit equidem paſtor, quod intima miſericordia tangatur de afflicto ejus ſtatu, quod idem etiam multorum bonorum ſenſus ſit, ſed agniturum reum hæc ejus fata à DEO eſſe, juſtum eſſe dominum, & juſta ejus judicia; in ipſa juſtitia DEI ejus tamen etiam bonitatem eminere, quod, qui leni voce, ex Satanæ reti, quo irretitus fuerat, excitari non poterat, vel gravi ejus manu etiamnum trahatur; non negaturum illum, quod vel acerbiora promereatur, mereatur tot aliis peccatis, quæ huc usque commiſit, quæ homines equidem non videant, DEO autem, juſto judici, perſpecta ſint, mereatur etiam facto illo, ob quod detineatur in carcere.

§. XXII.

2) Si reus neget factum.

Si *neget factum*, *quod* certis tamen indiciis *conſtat*, ob oculos illi ponetur, 1) quod judicium hominum, *negando* quæ tamen conſtant, non ſit evitaturus, ſicuti *affirmando* judices benigniores ſenſurus ſit. 2) Quod illud judicium ſequatur judicium DEI, infinito gravius quam illud, in quo omnia ejus peccata, cumprimis autem illa, quæ nunc etiamnum, in ipſo quaſi, ad horrendum illud judicium, aditu, committit, punienda ſunt. 3) Quod, licet ipſe ſe primò deferre non teneatur, quia nemo ad ſui interitum cooperari obligatur, rogatus tamen, & quidem à judice ſuo, veritatem, ſine gravi crimine, celare nequeat, aut facta negare, cum judicium illius ſit judicium DEI *Exod.* XXII. Confeſſione honor DEO detur, & utique dandus ſit *Joſ.* VII, 19; quæ negantur hîc, negari coram DEO, ſicque eſſe, ipſo ſuo ſcelere gravius, perjurium, uti quidem ſub omni quæſtione, vel in privata converſatione, cumprimis autem judicis, adjuratio lateat ad atteſtandum veritati. 4) Nolle Deum, ſemet ipſum mendacio defendi; nolle mendacium officioſum, ut proximus ſalvetur; deſtrui etiam illo imaginem veracis DEI; nolle proin etiam tale reſpectu ſui, odio habere falſos, perdere men-

mendaces *Pſal.* V, 5. 6 7. *Apoc.* XXI, 8. 5) Stultum etiam non minus, quam impium negandi conatum eſſe, quod eventus fatorum ſuorum magis dependeat à DEO, quem, verum abnegando, lædat, quam ab hominibus, è quorum manibus ſe, mediante negatione, elapſurum fruſtra ſperet. Monendus etiam erit, ex *Hebr* VI, 6. 8. X, 26. 27. coll. 38. 39, ne, vitandi periculi ergo, Religionem mutet.

§. XXIII.

Si vero *neget judici* commiſſum ſcelus, at *confiteatur paſtori*, cui angores conſcientiæ ſuæ *in ſinum ipſius* deponit, paſtoris equidem erit reum monere, ut, ad ſinceritatem ſuæ pœnitentiæ declarandam, idem illud ſcelus etiam judici revelet, maximè à judice rogatus, ob rationes ſuperiùs §. XXII. indicatas; ſed *nec judicis eſt*, de criminibus paſtori detectis *rogare* paſtorem, aut illo, velut inſtrumento, ad eruendam confeſſionem, ita uti, ut, quæ paſtori privatim confeſſus eſt reus, ipſe revelet magiſtratui; *nec paſtoris* etiam, quæ, conſilii & conſolationis percipiendæ gratia, in ejus ſinum depòſita fuêre, quando, citra gloriæ DEI, reipublicæ, Eccleſiæ & innocentis cujusvis detrimentum notorium, occultari poſſunt, judici, ſaltem ante latam in reum ſententiam, *detegere*, quod tamen poſt eandem, ſi reus per alia criteria condemnetur ad ſupplicium, ne, petulanter negando judici, quod miniſtro revelavit, in æternum pereat, detegi poterit. Quodſi vero, è manibus judicis, ſalvus evadat reus, vel mediante ſua negatione, non tamen videtur ſcelus illud, à paſtore, judici retegendum eſſe, maximè ſi reus, poſt illam confeſſionem, à judice non amplius rogatus fuerit, quia paſtor ſpem concipere poterit, reum gravia illa ſcelera, quæ urente conſcientiâ, retexit, poſthæc eviturum, de facta etiam negatione DEI gratiam tantò magis quæſiturum; ſaltem quomodo negationis peccatum deprecari queat, ſine confeſſione ſpontanea, ipſi reo diſcutiendum dabit, monens eundem interea, ut debitum DEO honorem tribuat. An vero teneatur paſtor, ad promovendam illius ſalutem, id judici indicare, in dubium vocari poſſet, quia revelatio ſecreti, vel judici indebitè facta, non mi-

5) Si confiteatur illud paſtori.

nus, quam traditio depoſiti in alienas manus, peccatum eſt, & impedimentum evidens, quo minus animæ anxiæ quicquam poſthæc in illius ſinum deponant. Videatur *Heideggerus* de *Delatione delinquentium.*

§. XXIV.

4) Si neget demeritum facti.

Si neget *demeritum facti*, & queratur quod crimen ejus tam *atroci pœnâ* eluendum ſit, indicandum illi erit *in genere*, quod ſceleribus iſtiusmodi capitales pœnæ inferantur; id *jubere Deum Geneſ.* IX, 6. *Numer.* XXXV. *Rom.* XIII. id *agnoſcere conſcientiam reorum*, *Caini* ipſius *Geneſ.* IV, 13. 14. *inſontium*, *Pauli Actor.* XXV, 11. qui ingenuè fatetur, ſe, ubi vel injuſtum quid fecerit, non evitaturum vel ſponte ſupplicium extremum; id *ſuadère ſalutem reipublicæ*, cum tolerare malos, ut pii per eos tollantur, crudelis miſericordia ſit, & ſi nequidem, per extrema ſupplicia, hominum improbitas coërceri poteſt, quid futurum eſſet, ſi ejusmodi ſuppliciorum metus ceſſaret; id poſtulare iſtiusmodi facinoroſi conditionem, ſi enim hæc ſcelera non plecterentur in illo, per graviora certiſſimè rueret in æternum exitium. *In ſpecie* vero tales capitales pœnas mereri *homicidium*, *adulterium*, *furtum*, ex rationibus, quas in *expoſitione decalogi* dedimus, evinci poterit. Ad *furtum* in ſpecie *ſi excipiant; nullam* tamen, inter bona proximi & hominis vitam, *proportionem eſſe*, Deumque adeo in lege tantum reſtitutione quadrupli, vel quintupli, eut, ad ſummum, ſervitute illud puniri juſſiſſe, *reſponderi*, ſaltem his, poterit, proportionem illam non tantum inter bona proximi, & ſuam vitam, ſed & inter incommoda atque pericula, quæ ex furandi licentia toti reipublicæ imminent, & inter unius hominis vitam collocandam eſſe, jamque adeo eandem legem, quæ ſimplex *furtum*, reſtitutione quadrupli, puniri voluit, *qualificatum* tamen *morte puniendum* eſſe, clare ſatis indicare, *ſive reſpectu perſonarum*, ſicuti eum, qui *ſcyphum Joſephi* abſtuliſſet, mortis reum eſſe *fratres Joſephi* agnoſcunt. *Geneſ.* XLIV, 9. *ſive relationis*, quam res *ad Deum* habet. *Joſ.* VII, 25. *ſive aliunde*, 2. *Samuel.* XII, 1-5. Quibus addi poterit, quod magis de peccato, quam de pœna anxius eſſe debeat reus,

quod

quod querelis hiſce nihil conſequatur, quàm ut murmure Deum, convitiis ſuis judicem, & inquietudine ſua mentis ſemet ipſum lædat, cauſamque ſuam exaſperet.

§. XXV.

Abhinc in id cumprimis incumbet Paſtor, ut *reum, ad judicium divinum*, meliori conſcientia, ſubeundum *præparet*. 1. *Corinth*. XI, 31 In quem finem hîc, prorſus ut in *morbo profanorum* § XIV. h. Cap., incipiet ab expoſitione & demonſtratione veritatis, tum verbi divini in genere, tum juſtitiæ & judicii divini in ſpecie, quia rariùs ad iſtiusmodi crimina graviora proruunt, in quibus fides Verbi Dei radicata eſt, idque per ea argumenta, quæ, in capite de *correptione malorum*, atheis oppoſita fuêre, inſtitui poterit; Hinc, ex §. XIV. h Cap., indicandum, *pænitentiam*, quæ *ſera* nimis eſt reſpectu hominum, *veram* tamen & *ſinceram* eſſe poſſe reſpectu Dei, id quod vel *latronis exemplum* probet, cui, in ipſo ſupplicio, pœnitentiæ primùm atque fidei, poſt ſalutis gratia facta eſt; Conſiderandum autem, in eum finem, illi multò magis eſſe peccatum, quod commiſit, quam pœnam, quæ ei jam ſubeunda ſit; malè reos ad hanc unicè mentem advertere, non item ad illud, cum peccato tamen propriè & Deum, & rempublicam læſerit, cum malum peccati ſe etiam, ultra temporale ſupplicium, in æternam pœnam extendat, cum pœnam innocens quisque ſubire queat, etiam ſubierit Chriſtus, à cujus natura omne tamen peccatum alienum fuerit, cum, ſi pœnam non evitet, effugiat tamen triſtiores peccati effectus; unde hoc cumprimis ipſi curandum ſit, ut ſaltem apud Deum de peccato gratiam conſequatur, tum enim & corporis pœnam ſine omni illo aculeo fore, qui illi nunc maximè metuendus eſſet; *ſubire* enim *illum* fortè *mortem*, ſed quæ omnium hominum ſors ſit, & quæ fidelibus non pœna, ſed depoſitio corporis peccati, & ingreſſus in æternam vitam ſit; ſubire eum *præmaturam* fortè, ut judicet, ſed quæ, cum mala non ſit, utique nec maturè noceat; ſubire *gravem*, ſed cujus ſimile hominum morbi acuti non minus, quam chronici habeant, *pudendam* etiam, ſed tantum in judicio hominum, quod fumus & umbra

ſ) Quomodo præparandus ad mortem.

Digitized by Google

umbra eſt præ judicio divino, & quod pudendum illud, piâ reſignatione, & ſanctâ præparatione, in argumentum commiſerationis, & materiam laudis vertatur; curandum illi, ut unicè eò tendat, ut, verâ pœnitentiâ & fide, pacem cum Deo faciat, modo ſuperiùs indicato, ita ſaltem, ut non hoc unum crimen tantùm, ſed omnia, quæ ipſi perſpecta ſunt, peccata, ex corde contrito, per amorem longanimis atque ſanctiſſimi Dei, defleat. &c.

§ XXVI.

Inprimis, poſtquam ſententia lata eſt,

Ut primùm *ſententia mortis* in reum *lata* fuerit, in id juxta Paſtor incumbet, a) ut condemnatus in voluntate Dei acquieſcat, hanc non humanam tantum, ſed etiam divinam juſtitiam approbet. *Job.* XIX, 10. 11. *Rom.* XIII. ſine murmure & odio vel in judices, vel in teſtes, minus in Deum, quorſum faciat perpenſa priùs ſceleris ſui gravitas, dicatque adeo, cum *latronie*, ſe nihil ſubire, quam quod promeritus ſit; æquitatem legum, & reipublicæ ſalutem, ſine gravi iſtiusmodi ſcelerum pœna, ſubſiſtere non poſſe, unde & vel pro bono publico mortem ſubire velit. In eum autem finem, Paſtor ſerio diſſuadebit b) ne vel *inde* vana *ſpe evaſionis*, ex illo periculo, animum lactet, vel *hinc* nimio *metu* obſtupeſiat. *Illud* primò removendum, *tum* quia, ſi præter illam ſuam ſpem, ad ſupplicium ducatur, ſenſus nimiùm ſtupeant, ſicque impos ſit ad ea præſtanda, quæ ipſi incumbunt, *tum* ne pœnitentiæ opus differat, & cumprimis ne agat, ad evadendum, quæ non licent, & conſcientiam magis onerarent, ſicuti, hac de cauſa, maximè illi diſſuadendum, ne ſalutem illicitis mediis, mendaciis, perjurio, corruptionibus judicum, atque omnium minimè occiſione cuſtodum quærat, ſic enim & funderet innocentem ſanguinem, & illum ex cauſa injuſta, atque, ut nocens liberetur, innocens periret; & vel ipſa ſui defenſio, quantumcunque juris naturalis ſit, tum cumprimis illicita eſt, cum occiſionem pati quis tenetur ad ſatisfactionem juſtitiæ. Num vero huc etiam pertineat, *ne fugâ ſibi conſulat*, aut carcerem in eum finem, effringat, & num hoc expreſſis verbis, à Paſtore, ipſi diſſuadendum ſit? à qui-

Digitized by Google

à quibusdam vel negatur, vel ſaltem in medio ponendum eſſe judicatur. Nec enim deſunt, qui licet fugam nocentis, jure civili, prohibitam agnoſcant, in foro tamen conſcientiæ illam licitam eſſe putent, eo quod ſicuti nemo, licet nocens, in conſcientia obligetur, ad ſemet ipſum in judicio ſiſtendum, ita etiam non obſtrictus ſit ad manendum in judicio, ſi queat judicis manus effugere, prouti etiam, cum ſecundum *Salomonem* aliis liceat *eruere* eos, *qui ducuntur ad mortem Prov.* XXIV, 11. id magè *ſibi* licere putant, maximè quia unicuique natura indidit conſervationis ſui, & libertatis amorem, ut adeo, per fugam, tantummodo evitet pœnam naturaliter exoſam. Interim Paſtor ſibi cavebit, ne condemnato iſtiusmodi conſilia, legibus civilibus è diametro contraria, ſuppeditet. Deinde & *hoc* curabit Paſtor, ut, cum vana ſpe evaſionis, etiam *nimium metum* menti illius *excutiat.* In eum finem, juxta ea quæ ſuperiùs §. XII. dicta ſunt, oſtendet, ideam mortis plerumque triſtiùs formari, quam par eſt, & res ipſa requirit; mortem fidelium tranſitum eſſe ad meliorem vitam, non graviorem, quam & in morbis homines ſentiant, cum quibus, vel ſanioribus, non per aliquot ſaltem momenta, ſed integris quandoque menſibus colluctandum ſit; dedecus coram hominibus & nihil eſſe, & in laudem converti poſſe; hinc potiùs id ſibi jam negotii datum credet, ut de reſurrectione corporis, & animæ ſalute, de ultimo judicio, & æterna fidelium beatitudine intimè convictus ſit, quorſum facient 1) animæ deſideria bonis hujus vitæ nunquam ſatiata, 2) ſcopus datæ legis divinæ, 3) fœdus Dei cum homine, in quo ſemet ipſum, & ſuam gloriam hominibus offert, 4) totum negotium ſalutis, quod in omnibus ſuis partibus ad beatitudinem tendit, 5) ſuſpiria mundi, piorum & Spiritus S, quæ ſpem vitæ futuræ evidenter confirmant, 6) fiducia fidelium in morte, cumque his 7) totum Dei verbum, ex quo fata & ſpes *Jobi* Cap. XIX. connexio reſurrectionis Chriſti & noſtræ 1. *Corinth* XV. totum choragium ultimi judicii *Matth.* XXV. ipſi cumprimis ob oculos poni poterit, 8) ipſiusque gloriæ cœleſtis prægustus, quem pœnitentes & fideles habent, & ipſe etiam, in illarum exercitio, ſentire poterit.

§. XXVII.

6) Quomodo tractandus, ſi ad ſupplicium ducitur.

Quando vero *ad ſupplicium ducitur*, id etiam Paſtor, ſuaſu ſuo, aget, ut reus, *quoad exteriorem agendi rationem*, quantum ſcelere ſuo hominibus ſcandalo fuit, tantum eos jam actionibus & verbis ſuis, ſed ex ſincero animo ædificet, *intùs* autem & voluntati Dei ſe, ſanctâ reſignatione, committat, ut etiam ſæpiſſimè teſtetur, ſe nolle os aperire, quia Dominus hæc fecit, ſe ſubire quæ promeritus ſit *Levit.* XXVI, 41. ſe indignum eſſe, qui, vel per dirum huncce tranſitum, cœleſtem gloriam adeat, hinc & miſericordiam, quæ diaboli vas ex illius manibus eripere voluit, grata mente venerabitur, nihilque aliud deſiderabit, quam ut ſolvatur à vinculis corporis, & cum Chriſto ſit, ſpontè etiam deſeret mundum, nihil ampliùs ſapiens, niſi quæ ſupra ſunt, ubi Chriſtus eſt. Sic, ductu Paſtoris, & hîc fidem ſuam in Chriſtum, vel per ipſum ductum ad ſupplicium, &, per illud, ad gloriam exſeret, nempe ſi rectè pugnaverit: 2. *Timoth.* II, 15. exſeret amorem erga omnes, etiam hoſtes, cumprimis erga judicem atque lictorem; ardentibus autem precibus, & remiſſionem omnium peccatorum, cumprimis hujus ſceleris petet, & ut, dum caro patitur, ſaltem anima ſalvetur, mentemque Deus in fide, charitate & ſpe, ad extremum usque halitum, conſervet, aliosque, cumprimis illos, qui ſui ſupplicii ſpectatores ſunt, à talibus lapſibus gratioſè præſervet, eosque, ſi fieri queat, ſibi caveant, ipſemet moneat. *Jacob.* V, 20. *Luc.* XXIII, 41. Potiora loca, quibus Paſtor interea ejus pœnitentiam, fidem atque ſpem confirmabit, quibusque illi præibit, eſſe poſſent *Matth.* X, 28. *Pſal.* XXV, 16. 17. 18. item *Pſal.* XXXIX, 6. 7. 8. LI, 2. 3. 4. CXXX, 3. 4. CXLIII, 2. *Jeſai.* I, 18. *Ezech.* XVIII, 23. *Pſal.* XXXI, 6. *Actor.* VII, 59. Videantur ſuperiùs §. XIX. laudati *la Placette* & *Drelincourt.* lib. cit. in viſitatione XI.

§. XXVIII.

7) Reſpectu illorum, qui injuſtè patiuntur.

Si quis autem *injuſtè*, per malitiam vel judicum, vel teſtium atque accuſatorum, vel etiam propter fidem ſuam, ſivè directè ſive indirectè, *ad pœnas graviores abripiatur*, tali Paſtor a) equidem ſuadebit, ut quæ, legibus convenienter, ad ſalvandam vitam

vitam præſtare unquam poterit, tum tamen in Dei gloriam *Job*. VIII, 49. 50. faciat, nec vitæ, cujus ſummam rationem habere tenetur, ſine cauſa prodigus ſit, &, nequidem vel metu torturæ, ea non confiteatur, quorum reus non eſt, cum & mendacium, maxime in ſui infamiam, vel ſub malo gravi vitandum ſit. Si fugâ talis ſe eripiat, non peccat. vid. *Actor*. IX, 25. 2. *Corinth*. XI, 33. *Actor*. XII, 8. 9. 10. non item, ſi judicem, vel donis & pecuniâ, corrumpat, confer *Geneſ*. XXXII, 13-21. Exemplum *Jacobi* iram *Eſavi* donis lenientis, id enim non alterius eſſet rationis, quam ſi à latrone vitam ſuam nummis redimat. In his autem ſuadendis Paſtor, qui ſe nec judicio civili, nec illis quæ illud ſequuntur, vel hac etiam de cauſa, immiſcere poterit, b) cavebit, ne, vel ad animas nocentium poſthæc, in carcere, curandas, ſibi aditum præcludat, extra carcerem tantum, quidquid, ad ſalutem hominis procurandam, præſtare poterit, præſtare tenebitur.

§. XXIX.

Quodſi tamen inſons ejuſmodi, *mortem evitare* nequeat, in id incumbet Paſtor, ut 1) vel inſons ſe ritè præparet. Licet enim coram humano judicio inſons ſit, non eſt tamen coram divino, ſed aliorum & quandoque graviorum reus, quam quidem illa ſunt crimina, quorum accuſatur ab hominibus, unde ea omnia præſtabit, quæ ad firmandam pœnitentiam, fidem atque ſpem facere poſſunt. Abhinc 2) ſeriò monebit, ut injuſtitiam hanc patienter ferat, ubi fontes, ad firmandam patientiam, hi ſuppeditari poterunt: a) Quod utique hoc χάρις peculiaris Dei gratia ſit, ſi propter conſcientiam bonam ferat moleſtias, injuſtè afflictus. 1. *Petr*. II, 19. quod Spiritus gloriæ & Dei cumprimis ſuper his requieſcat. 1. *Petr*. IV, 14. b) Quod ſervus utique non major ſit ſuo Domino, ſequatur tantum in his *teſtium nubem*, *Chriſtum Joh*. XV, 8. 20. *ſanctos* ferè omnes, prædeſtinatus ad hæc *Rom*. VIII, 17. 29. *Hebr*. XI, 35. 36. c) Quod major ſit Dominus ad eum protegendum, quam diabolus ad impugnandum, qui liberaturus illum ſit, aliquando etiam hìc *Pſal*. XCI, 14. 15. *Zeph*. III, 17. 2. *Petr*. II, 9. quodque ſperandum illud ſit Et quidem mortem.

ad preces Eccleſiæ *Actor.* XII, 5. certiſſimè vero poſt hanc vitam *Apocal.* VII, 13. 14. 15. 2. *Maccab.* VII, 9. & quod certam ſpem tam glorioſæ compenſationis fovere queat *Matth.* V, 10. 11. XIX, 28. quod Deus omnia dirigat piis in bonum d) quod hæ tamen vel peſſimæ actiones non eveniant ſine providentia Patris, ſicuti in paſſionibus Chriſti. *Actor.* IV, 27. e) quod ei ſufficere queat remiſſio peccatorum in Chriſto, qua de cauſa &, cum injuſtitiam Deus acriter ſatis ipſe vindicet. *Luc.* XVIII, 7. 8. potius petet, ut auctoribus ſuæ mortis Deus peccata remittat, ſicque malum, ad inſtar Chriſti & Stephani, bono vincat, atque ſic in tali ἀγαθοποιΐᾳ animam ſuam Deo committat. 1. *Petr.* IV, 11-19.

Caput X.

De Conſolatione Afflictorum.

Σύνοψις.

Paſtoris etiam eſt *ſolari afflictos.* §. I. idque *ex parte Dei*, quam juſtificati habent *in Chriſto* per fidem § II, quæ longè *differt à ſecuritate carnali* §. III. interim tamen *quandoque* vario modo & gradu *turbatur*, ut abſint 1) gaudium Spiritus S. 2) pax atque quies 3) fervor in agendo, adſint vero 4) elenchus tum Spiritus S. tum 5) conſcientiæ de peccato. 6) Tentationes Satanæ 7) calamitates externæ, hæcque omnia 8) ſæpè diu. § IV. *Turbationis* hujus *effectus* §. V. *Rationes & cauſa* a) ex *parte Dei* §. VI. b) ex *parte hominis* tum *generales*, tum *ſpeciales*, veluti 1) imperfectio fidei 2) vita nimis ſenſualis 3) ſpecialia peccata 4) defectus promtæ voluntatis 5) imbecillitas judicii 6) ipſemet etiam ingenuus Dei amor 7) Satanæ terrores, & 8) peculiaris corporis conſtitutio §. VII. *Remedia* in hiſce malis *generalia* §. VIII. *ſpecialia*, & quidem a) in angoribus peccati § IX. objectiones ſolvuntur & inſtantiæ §. X. b) in tentationibus malarum cogitationum §. XI. c) in ſolicitudine ob infirmitates §. XII. d) ob defectus in officiis præ-

Digitized by Google

præſtandis §. XIII. e) ob abſentiam ſenſus gratiæ divinæ §. XIV. f) ob calamitates externas §. XV. Prudentia Paſtoris in hac functione §. XVI.

§. I.

Paſtoris Evangelici cumprimis eſt *ſolari afflictos*. Id ſpeciatim ipſis in mandatis datum eſt *Jeſai.* XL, 1. 2. ut *conſolentur populum Dei*, & quando permanent afflictiones, ut *iterum iterumque* ſolentur, nec vano tantum atque inefficaci modo, ſed ut *loquantur ad cor*, & quia ſtupidos aliquando reddit afflictio, ut *clament & vociferentur*, idque tum quia *militia*, prior in œconomia iræ, & longa populi fatigatio, *finita eſt*, tum quia *iniquitas* ejus *remiſſa* ſit in Chriſto, dum *duplum*, *pro peccatis ſuis omnibus*, *è manu Jehovæ accepit*. Poſtulat id gravitas mali. *Prov.* XVIII, 14. & magnitudo auxilii divini *Rom.* VIII, 32. Infert hoc, ut totius Evangelii, ſic & *Catecheſis* noſtræ *ſumma*. Ea eſt, quod fideles ſint *JESU Chriſti peculium*, in *vita* & *morte*, unde *unicum* & pleniſſimum *ſolamen* fluit, hoc enim ſolatur illos & *contra peccatum*, quia Chriſtus, pretioſo ſuo ſanguine, & pro omnibus peccatis peculii ſui, & pleniſſimè, ſatisfecit, & contra *tentationes* Satanæ in futurum, quia idem illos eripuit, & quidem ex omni poteſtate Satanæ, & contra *afflictiones* quasvis, externas & internas, quia illos ita cuſtodit, ut, durante afflictione, ne pilus quidem capitis, citra voluntatem filiorum ſuorum miſerentis, eosque tuentis Patris excidat, & fructus earum omnium, poſt tentationes, ſalus ſit, & contra *metum mortis*, quia, per Spiritum S., eos, de vita æterna, certos reddit, & tandem contra *infirmitatem* naturalem, atque remanentes *imperfectiones*, quia, per eundem Spiritum S., ſuos tamen ad ſibi ſerviendum ſaltem promtos atque paratos reddit. Officium ſolandi afflictos.

§. II.

Et certe qualiscunque fidelium ſtatus in mundo ſit, *habent* tamen *juſtificati pacem in Chriſto*, *per fidem*, *Rom.* V, 1. quam *pater miſericordiarum*, & *Deus omnis conſolationis* 2. *Corinth.* I, 3. & Ex pace DEI in Chriſto.

dat, ut innixus Jehovæ eam intùs & extùs habeat. confer *Pſal.* CXII, 7. idque per omnes N. T. periodos. *Pſal.* XXIX, 11. & *conſervat*, ut participes ſint pacis perfectæ *Jeſai.* XXVI, 3. &, tum per verbum ſuum, tum immediatâ operatione Spiritus ſui *annuntiari curat Pſal.* LXVIII, 12. *Jeſai.* LVII, 19; quam *Chriſtus* ſuo ſanguine *obtinuit*, qui מוסר שלום fuit *Jeſai.* LIII, 5, quam ſuis *teſtamento legavit*, & quidem perpetuam, ſecus atque mundus *Joh.* XIV, 27. eamque non Eccleſiæ tantum in communi, ſed ſingulis etiam membris in ſpecie, confer *Job.* XXII, 21. quamque *Spiritus Sanctus* & menti *inſinuat*, & *operatur*, ſicuti bonum conſtans regni cœlorum, cum æterna juſtitia, etiam æterna pax eſt, & gaudium in Spiritu S. *Rom.* XIV, 7. II, 10. qui *in ſuis*, ſicuti Chriſtus in cœlo extra illos, paracletus eſt, & perpetuo manet, qua de cauſa fideles *veſtibus albis* induti occurrunt, in ſymbolum, quod, ab accuſatione omni liberati, *pacem* habeant *Apoc.* VII, 14 *Eccleſ.* IX, 8. *Nec* ideo hæc permanens pax à fidelibus *negari poteſt*, quod illa non ſemper, imo quandoque alia omnia ſentiantur; Nam *alia* prorſus eſt *eſſentialis* illa *pax*, ſive actualis unio & communio cum DEO in Chriſto, quæ fluit *ex juſtificatione*, & *alia accidentalis* pax illa, ſive ſingularis mentis tranquillitas, quæ fluit ex *ſenſu juſtificationis*; *hæc* ſine detrimento *illius* aliquando decedit, ſicuti dies eſt, licet Sol non ſplendeat; *Alia* etiam pax eſt ſive ſolamen, quod ſibi fideles in futurum promittunt, *aliā* quam priùs obtinuerant. Fidelis enim animus ſemper plus ultra tendit, conqueritur de eo, quod nondum accepit, & hinc ſæpe obliviſcitur illius boni, cujus particeps factus eſt. Si vero ex juſtificato, interim afflicto, quæratur: Num igitur ad ſecuritatem illam carnalem regredi vellet, quâ vel laboravit ipſe in ſtatu naturæ, vel qualem in profanis obſervat? hoc omni modo deprecabitur, ut ſe alterius naturæ pacem jam obtinuiſſe agnoſcat; Addimus, *aliam* etiam eſſe pacem *in ſemine*, *aliam* in *flore*, prorſus ut eadem conjugum unio, non tamen ſemper eodem modo ſe exſerit, dum à ſenſibiliori ad rationaliorem agendi modum progrediuntur.

§. III.

§. III.

Atque *hæc* fidelium *pax* & ſolamen, evidentibus indiciis, à pace malorum & *ſecuritate carnali* diſcerni poteſt. Naſcitur *hæc* ex prærogativis merè exterioribus, eſtque quaſi ornatus corporis ſed mortui, *illa* vero ex interiore fonte fluit, interiorem radicem habet, juſtificati *in Chriſto*, & quidem *per fidem* in illum habent pacem. Mali porro tum demum pace, vel potius ſecuritate quadam gaudent, quando toti extra ſe ſunt poſiti, & de ſe non cogitant, quamdiu vitioſi affectus apud illos in motu ſunt, licet vel tum quandoque DEUS *reſpondeat contra gaudium cordis ipſorum. Eccleſ.* V, 20. vel optima illorum ſolamina & citò veniunt, & citò evaneſcunt, inſtar *cucurbitæ Jonæ* Fideles è contrario pacem conſequuntur, quando ſeſe intra ſe ipſos recipiunt, vivit eorum pax vel in facie peccati, quia illa ſeriò deteſtantur, quorum conſpectum mali refugiunt, fugit examen ſecuritas carnalium. non refugit autem illud. vel accuratum, pax vera fidelium, quæ *omnem intellectum ſuperat*, etiam *ſenſus* externos, in diſciplina arctiore, conſervat & *cuſtodit. Phil.* IV, 7 cum è contrario ſolamina malorum ad eorum corruptionem graviorem tendant. De *illis* dicitur: Beati qui lugent, quoniam conſolationem accipient. *Matth.* V, 4. de *his* vero, quod, cum audiverint verba adjurationis hujus, ſibi benedicant, cum animo ſuo dicendo: *Eſt mihi pax, cum ex ſententia animi mei ambulavero*, quod nihil aliud eſt, quam addere ebriam ſitienti. *Deut.* XXIX, 19. alluſione ad potum zelotypiæ. *Numer.* V.

Quæ longè differt à ſecuritate carnali.

§. IV.

Interim & *hæc* ipſa fidelium *pax* plurimùm quandoque *turbatur* & interrumpitur, idque *vario* tum *modo*, tum *gradu*, ita ut 1) *prius* illud *gaudium Spiritus*, quod eos intimè exhilaravit, aliquando *ceſſet*, imo ut pereat quandoque vel rationale ſolamen illud, quod ipſis, ex conſideratione promiſſionum Evangelii, beneficiorum DEI, atque collatione ſui ſtatus cum mandatis divinis, præſto eſſe poterat; non quilibet dies, etiam apud fideles, feſtum eſt. 2) Qui hocce gaudio carent, pace quadam tamen, & tranquillitate animi frui poſſent, ſed quandoque, cum

At quandoque turbatur

1) ita ut abſit gaudium Spiritus S.

2) Pax & quies

gaudio,

gaudio, *pax* etiam atque *quies* ceſſat, idque ſic ut, quando de ipſo DEO, fonte ſui ſolaminis, cogitant, Spiritus ipſorum obruatur vehementer *Pſal.* LXXVII, 3. 4. ita ut etiam corpus hinc graviſſimo ſæpè dolore afficiatur *Pſal.* CII, 4-11. Fortè tamen interim *gratia* etiamnum *ſanctificationis* vividè agit, licet pax perierit, ſi anima fidelis non invenit quod optat, ſaltem quærit, currit, licet nondum aſſequatur, ſitit, licet nondum potetur, ut *David* plenus tamen affectuum ſacrorum erat, cum vacuus eſſet ſolaminis *Pſal.* VI. & XXXVIII; verùm eo usque 3) aliquando pax illa decedit, ut ſimul abſit *prior* ille *agendi fervor* & promtitudo, ut querantur, ſe non poſſe precari, non poſſe DEI verbum audire, ſintque, ſicuti *Aſaph*, coram DEO in fermento, & veluti brutum quoddam *Pſal.* LXXIII, 22, atque, vel ſtupore quodam obſeſſi, in ipſa tentatione dormiant, ſicuti *Petrus* in catenis ſuis, quoad vehementiore manu Domini excitentur *Actor.* XII, 7. vel etiam, è contrario, gravia ab illis edantur, & audiantur murmura, ut à *Jobo* Cap. III. & *Jeremia* Cap. XX, 14. 18. Hinc & 4) ſæpiſſimè eo prolabuntur, ut ἔλεγχον *Spiritus* S. de *peccato* vehementiſſimè ſentiant, qui menti eorum, cum multiplici terrore, jam multitudinem peccatorum priorum, velut hoſtilem exercitum, ante oculos ponit, *Pſal.* L, 21. jam vitioſitatem ipſos ita ſentire facit, ut conquerantur, ſe, gratiæ divinæ contemtores, propter abuſum longanimitatis divinæ, ſibi tantam iram accerſiviſſe in diem iræ, atque, non minori efficacia, ſe *juſtitia* DEI, & *judicii* æternitas atque gravitas, ipſorum conſcientiæ commendat, ut & oſſa conterantur *Pſal.* LI, 10. Atque hoc malum haud parum exaggeratur, quando 5) DEUS fideles ſibimet ipſis, & *propriæ conſcientiæ*, ſub tali elencho, *relinquit*, quæ miſeri hominis graviſſimum tortorem agit, peccata omnia, maximè graviora, ita memoriæ infigit, ut ſemper ſint coram oculis eorum *Pſal.* LI, 3; cumque miram mens noſtra activitatem habeat, ea in ſui dolorem etiam tam vividè vertuntur, per conſiderationem jam proprii reatus, jam ſanctitatis DEI, jam æquitatis divinæ legis, quia conſcientia ſibi relicta, & eatenus naturalis non credit promiſſionibus Evangelii, nec eas ſibi applicat, quodque triſtitiam Spiritus ater & melancholicus ſan-

3) fervor agendi

4) adſit vero elenchus Spiritus S.

5) & propriæ conſcientiæ

Digitized by Google

ſanguis comitetur. Sed, quod triſtius eſt, 6) iidem etiam aliquando in ipſius *Satanæ manus*, ut *Jobus*, traduntur, qui eodem fervore fratrum κατήγορον agit, quo Spiritus paracletum, quique jam *ignea* ſive venenata, inflammantia, viresque conſumentia *tela* immittit, ut hominem nimio dolore exſugat 2. *Corinth.* XII, 7. jam horrendas & blasphemas cogitationes, contra Majeſtatem DEI, primò quaſi auribus ipſis, poſt phantaſiæ ſuggerit, paralogismos quam plurimos ſuppeditat e. g. quod peccatum illud, cujus conſcii ſunt, ſit peccatum in Spiritum S; fundamenta etiam Atheismi inſpirat &c quibus ille vulnera, per conſcientiæ ictus, jam facta mirè dilatat. Et ad hæc 7) aliquando etiam cumulus *afflictionum externarum* accedit, prorſus ut apud *Davidem*, ut jam morbis vexentur, jam bonis & libertate priventur, jam morte ſuorum affligantur, &, quod eos intimè afficit, ipſos etiam fideles & amicos magè à ſe alienatos cernant *Job.* XIX, 13 - 20. quandoque etiam mediis externis gratiæ, auditu Verbi, participatione Sacramentorum, conſolatione amicorum carere cogantur, ut fames illis adſit non panis, ſed verbi DEI. Et hæc 8) ſæpe per plures dies, menſes & annos durant, ut neque ſol, neque ſidera appareant *Actor.* XXVII, 20. nec preces, nec ſuſpiria quicquam amplius coram DEO valere videantur, vid. *Thren.* III, 8. 44. *Pſal.* LXXXVIII, 15.

6) accedant tentationes Satanæ

7) Calamitates externæ.

8) Hæcque ſæpè diu durent.

§. V.

Hæ pacis fidelium *turbationes*, maximè interiores, *triſtiſſimos* in illis *effectus* habent, vel enim *inde* per easdem in talem *ſtuporem* conjiciuntur, ut, ſine debita ſui cura, quaſi in fermento quodam ſepulti jaceant, & recedant etiam priores erga Deum affectus, atque vigor ille priſtinus ſanctioris converſationis cum DEO, ut nonniſi coactè ad preces accedant, cum tædio ad ſacra, etiam publica, veniant, promtè vero recedant, & cum gaudio abeant; *hinc* vero facile à tentatore hactenus ſuperantur, ut in murmura erumpant, duriores de DEO *Job.* XXIII, 13. duriſſimas de ſe cogitationes foveant *Thren.* III, 20, ut ſegregem prorſus ab aliis vitam ducant, eamque in tenebris, luctuque trahant eò usque, ut aliquando etiam, ad vim propriæ vitæ inferen-

Turbationum harum effectus.

Digitized by Google

ferendam, ſolicitentur, aut mortem ſaltem, præ ſtatu ſuo, eligere mallent *Job.* III, 20. *Spiritus fert infirmitatem* corporis ſui, *ſed Spiritum infirmum quis feret?* *Prov.* XVIII, 14. in illis enim cum carne, hîc vero cum DEO res eſt, confer *Pſal.* XXXIX, 11. *Jerem.* XX, 9. *Prov.* XXVIII, 1.

§. VI.

Earundem cauſæ a) ex parte Dei.

In *Cauſis* iſtiusmodi *tentationum*, in genere, *ex parte Dei* referri poterit, quod *arbitrarium gratiæ* ſuæ *influxum*, ab eſſentiali *diſtinctum*, & diſtinctè agnitum velit; quod tempus ſationis, luctæ & laborum, à tempore meſſis, victoriæ & ſabbathismi futuri differat; quod ſuos etiamnum, per Ægyptum, mare, deſertum, ducat in Canaanem; quod fideles, in judicio mundi, non minus quam Chriſtum, exinaniri, &, in angoribus etiam, imagini Filii ſui conformes reddi velit; quod in infirmitate, qualis tum cummaxime locum habet, quando Satanas homines κολαφίζει, ut ſervus puerum quotidie duriter tractat, DEUS potentiam ſui amoris, & efficaciam providentiæ ſuæ gratioſæ perfectiſſimè declaret 2. *Corinth.* XII. quod, ſicuti vidua, ab aliis derelicti, tum demum, quando ſic ſolitarii ſunt, ſpem ſuam omnem in DEUM ponant; utique in tali caſu, quando *Saul*, infelix in uno ſingulari prœlio, ἀυτοχειρίας crimine ſpiritum emittit, *David*, dum Amalekitæ deſtruxerant Ziklag, uxores & liberos Davidis captivos abduxerant, cumque ſocii Davidis, ex jactura ſuorum quaſi deſperati, ipſum lapidare voluerant, vel tum ſe confirmavit in Domino, Jehova DEO ſuo 1. *Samuel.* XXX, 6; quod DEUS fideles, cummaximè per iſtiusmodi tentationes, & exploret, & exerceat; negat illis conſolationes, ut fiant perfectiores, uti qui in abyſſo ambulant, multa miracula cernunt, afflictio dat intellectum &c.

§. VII

b) Ex parte hominis.

Ex parte vero *hominis*, ad ejusmodi tentationes ſpirituales viam pandunt *in genere* a) *corruptio naturalis.* Caro concupiſcit contra Spiritum, & ita etiam contra gaudium in Spiritu, partim *immediatè*, tentando ad incredulitatem *Luc.* XXIV, 25. 38.

partim

partim *mediatè*, tentando ad peccatum, unde, cum gravi lucta, multiplex querela oritur *Rom.* VII. b) *In ſpecie* vero 1) *imperfectio fidei*, ubi enim parva fides eſt, ibi multiplex dubium hæret. *Matth.* XIV, 31. Qui infantes ſunt in cognitione, aſſenſu & deſiderio, multò magis tales erunt in fiducia, infantum eſt facile metuere, agnellorum facile errare, quibus experientia & ſenſus gratiæ deeſt, illi multò citiùs adverſa cernunt, ſentiunt & agnoſcunt, quam auxilium & præſentiam DEI. 2 *Reg* VI, 15. è contrario vero, ubi firma fides eſt, cognitio & agnitio nominis DEI, ibi magna eſt fiducia *Pſal.* IX, 10. 2) *Vita* nimis *ſenſui addicta*, ubi homo omnia ſenſu metiri vult. Qui nutricem magis amat, quam matrem, illi etiam judicio matris nutrix adimitur. *Fides* plerorumque non melior eſt illà *regii* cujusdam *Joh* IV, 46. ſeqq. & *Thomæ Joh.* XX, 24-29: *Credimus, quia videmus.* Unde ſi ſenſus ceſſat, ceſſat etiam fides, ceſſat ſolamen. *Fiducia* utplurimum magè locatur in propriis noſtri cordis motibus, e. g. ad verbi auditum, in precibus, in uſu Sacramentorum, quam ut nitatur ipſo verbo, & ejus promiſſionibus, hinc ceſſantibus illis motibus, ut ſæpiſſimè deficiunt, cor non poteſt non terreri. Accedunt 3) *ſpecialia*, & quandoque, ut factum à *Davide*, etiam voluntaria *peccata*, quæ ſunt ad inſtar guttæ aquæ cadentis in candelam, licet enim illa, in juſtificatis, non diſſolvant nexum, diſſolvunt tamen fiduciam nexûs, non ſeparant à Chriſto, ob perpetuitatem amoris illius, ſed fidelis tamen ipſe Chriſtum tum non ſatis firmiter tenet; teneat vulnerata manus ſcipionem, illi tamen inniti non poteſt; novit fidelis iratum peccato DEUM eſſe, & hinc, ſi vel de DEO cogitat, terretur *Pſal.* LXXVII, 3. Auget iſtiusmodi terrores 4) *defectus promtæ voluntatis*, & *fervidi ſtudii* in bono Si altari deeſt ignis, ſacrificium nullum offertur, ſi cultui affectus, fruſtraneus prorſus frigidarum actionum ſucceſſus eſt, ſi ne nosmet ipſi quidem fervidè oramus, multò minus DEUM preces noſtras exaudire credemus. Facit etiam huc 5) *imbecillitas judicii.* Si non perſpectum habemus, quænam ſint eſſentiales doctrinæ ſalutaris partes, facile, quolibet vento, hûc illûcve impellimur, etiam ad diffidentiam. *Rom.* XIV, 1 22. *Epheſ.* IV, 14. In ſpecie vero

1) Imperfectio fidei.

2) Vita nimis ſenſualis.

3) Specialia peccata.

4) Defectus promtæ voluntatis.

5) Imbecillitas judicii.

vero ſi *doctrina de juſtificatione*, per fidem in Chriſtum, *non ſolidè ſatis* & vividè *apprehenditur*. In vulneribus enim, quæ vel Satanas, vel conſcientia infligit, nihil magè terret, quam ſi homo ſe ſibimet ipſi, in negotio ſalutis, committit, & operibus ſuis. Hinc triſtes illæ, & deſperabundæ quæſtiones *Mich*. VI, 6. 7. Unde & promiſſiones DEI, cum gratia conjunctas, non vividè ſibi applicabit, credet equidem tales & datas, & implendas eſſe, ſed ad ſe pertinere negabit, quia, ab operibus ſuis dependens, ſe nunquam in illo ſtatu eſſe agnoſcet, in quo promiſſionum illarum particeps eſſe poterit, & ſi vel jam ſe credere ſperet, ad ſe tamen reſpiciens, & mutabilitatem ſuæ voluntatis conſiderans, defectionem à bono tamen ſemper metuet.

6) Ingenuus Dei amor.

Interim & 6) *ingenuus* atque ſincerus *Dei amor* iſtiusmodi angores quandoque excitat, quo quis enim illum tenerius amat, eò magis deplorabit, quod ipſum offenderit, & millies peccatum deprecabitur, eò magè etiam ſolicitus erit, num veram fidem, ſinceram charitatem, vivamque ſpem poſſideat. Res eſt ſoliciti plena timoris amor.

7) Satanæ terrores.

Sic & 7) *Satanas*, juratus fidelium hoſtis, *nunquam deſiſtit* à tentando ipſos, quos ſeducere nequit, terret.

8) Corporis conditio.

Ad hæc tandem 8) accedit ipſa *corporis* quandoque *conſtitutio*, quæ, per atrum ſanguinem, triſtioribus cogitationibus, variam & multiplicem anſam præbet, easque, ubi ſemel mentem occuparunt, mire auget.

§. VIII.

Remedia generalia.

Ut variis hiſce malis obviam eatur, *remedia* quærenda ſunt tum *generalia*, tum *ſpecialia*. Ad *generalia* referri poſſunt, quod, a) ſi ex *corporis conſtitutione* malum ortum ſit, etiam *medici corporis* advocandi ſint, ne barbarâ immanitate contemnatur, quod, per ſanitatem corporis, etiam menti reſtituendæ inſervire poteſt; abſit autem, ut in hunc finem vel arioli, vel magi, vel ad medendum non apti aut vocati accerſantur. 2 *Reg*. I. Satanas per Satanam non expellitur. *Matth*. XII, 24-26. ſed medici, ita tamen ut non in illis, ſed in Deo ponatur fiducia 2. *Chron* XVI, 7 9 opus eſt, ut & boni *medici animarum* advocentur, & quidem, ſi noveris, peritiores, &, ſi dici liceat, ſpiritualiores.

Augu-

Auguſtin. de viſitat. infirm. libr. II. cap. 7. Nec hîc, pudoris magis memores quam ſalutis, intermittenda ſunt remedia & medici ſpiritualis; *ſua* enim, ut rectè *Sedulius* libr. III. *oper paſchal.* ait, *vulnera nutrit, qui tegit, & plagam trepidat nudare medenti,* eſtque tali, in quo fiducia ponitur, malum indicandum, quo cor premitur, idque clarè, non tantum in genere, ſed in ſpecie. Sic *Bolton*, in *inſtructione ad rectè conſolandum animas afflictas*, exemplum cujusdam adducit, qui per 20. annos ad blaſphemiam tentabatur, nec ab hoc malo liberabatur, usque dum illud Paſtori fideli retexerat. Cummaximè vero Deo illud, mediantibus *precibus*, proponendum, nec admittenda eſt melancholici excuſatio, quod *orare non poſſit*; urgendum potius, ut faciat quod poteſt, ut conſideret, quod etiam ſolis vagitibus infantis mater commoveatur ad miſericordiam, quod *Spiritus S.*, vel in ſuſpiriis & per ἀλάλητα ea quæ non, vel nulla arte proferuntur, nobis adſit ὑπερεντυγχάνων *Rom* VIII, 26. adſit etiam *Chriſtus*, qui defectus precum noſtrarum ſua interceſſione, veluti thure gratiſſimo, corrigat. *Apocal.* VIII, 3. ſed & c) *reſiſtendum* eſt tentationi protinus *in initio*. Sola hæc ſecuritas eſt, nunquam eſſe ſecurum, ut unde oriatur malum id vitetur. Cumprimis d) in id incumbendum, *ne miſeriæ præſenti nimis inhæreatur*, id quod non tam ad imminuendam, quàm ad augendam illam faceret. *Vitanda* quoque eſt e) *ſolitudo*. ſic *Seneca* Epiſt. 10. Nemo ex „ imprudentibus, qui relinqui ſibi debeat, ne, aut aliis aut ſibi „ ipſi, futura pericula ſtruat. Fugienda quoque *conſortia* ut *malorum* ita *rigidorum*, è contrario vero in id incumbendum, ut, quantum fieri poterit, nos *adjungamus piis*, cummaximè illis, qui ſimili malo quondam laboraverant, ſive tales ſint præſentes, ſive illorum præſcripta habeamus *exempla* vid. *Jacob.* V, 10. 11. 1. *Timoth.* I, 16. Patienter enim ab uno ſuſtinendum erit, quod multis accidit. Cumprimis autem nullo efficaciori exemplo uti poterimus, quam ſi conſiderandis *paſſionibus Chriſti*, interioribus, exterioribus, inſiſtimus, quippe quæ &, ad ſequendum illum, vim ſingularem habent, & ſummum ſimul ſuppeditant remedium. His omnibus & f) accedat ſeria *fœderis gratiæ*, & inde fluentium beneficiorum *conſideratio*, quæ quidem omnia ut

Digitized by Google

faciunt ad ſanctitatem, ita non minus inſerviunt ad plenum ſolamen. Perpendantur tam pretioſæ & maximæ *promiſſiones divinæ*, quæ ipſi etiam *Davidi*, medios inter multos cordis angores, mentem intimè exhilararunt, vid. *Pſal.* XLII. & conferatur cum *Habac.* III, 16. 17. 18. unde ſimul patebit, nullam eſſe conditionem tam triſtem, ſive intùs in mente ℣. 16. ſive extùs in defectibus rerum neceſſariarum ℣. 17. ubi non exultatio in Jehova, & gaudium in Deo ſalutis locum habeat; itemque *Jeſai* LIV, 14. fin. ubi indicatur, nullam eſſe *oppreſſionem*, nullum oppresſionis *terrorem*, nullum *hoſtem*, ſive ſpiritualem, ſive corporalem, nulla *arma* & *inſtrumenta*, nullam etiam *accuſationem* in qualicunque judicio, ubi fidelis non habeat quod opponat, imo cui non Deus ipſe ſe pro illo ſit oppoſiturus; & ſi fidelis cogitet, ſe id *non mereri*, ſciat *hæreditatem* eſſe ſuum bonum, quod ex amore paterno, jure regenerationis, ſervis Jehovæ competat; ſi inſtet: id tamen *ſervorum* eſſe, qui operibus ſuis aliquid promereantur, reſpondetur ibidem, id bonum eorum eſſe, quorum *juſtitia* eſt non ex ipſis, ſed *ex Deo*. Conferatur etiam *Hoſ.* II, 14. 15. ubi promittit Deus, *ſe*, vel *in deſerto pellecturum* Eccleſiam, ſi ſibi metuat, *locuturum quæ ſint ei cordi*, ſi ſterilitatem deſerti, & conditionis internæ miſeriam opponat, *ſe daturum vineas inde ab eo loco*, ſi perturbationem, ipſam *vallem Achor*, ſive triſtiſſimæ illius perturbationis Iſraëliticæ, quæ in hac valle locum habuit *Joſ.* VII. *fores* aperturam *ſpei*.

§. IX.

Specialia

a) In angoribus peccati.

Ad *ſpecialia* ſi progrediamur, diſtinguantur mala, quæ fideles turbant, in *præterita*, *præſentia*, & *futura*. Ex *præteritis* primum eſt, quod eos affligit, *peccatum* huc usque *commiſſum*, quod illos angit *multitudine*, *magnitudine*, *duratione* & *repetitione* varia atque multiplici, quippe qui, cum *Chryſoſtomo*, nihil metuunt, niſi peccatum, quia dedecori eſt Chriſto, contrarium legi Patris ſanctiſſimæ, quia ſic triſtitiâ afficiunt Spiritum S., & vulnerant graviſſimè conſcientiam. Hîc igitur fidelibus, verè reſipiſcentibus, oſtendendum eſt, ne in his ipſis peccatis, vel omni illa ſpecie graviſſimis, ſeriâ modo pœnitentiâ deploratis, ani-

Digitized by Google

animum deſpondendi cauſam eſſe. Conſiderent modo 1) grave equidem malum eſſe peccatum, ſed gravius multò, ubi de peccato dolueris rectè, ſpem gratiæ divinæ abjicere, & deſperare; rem illis eſſe cum Deo & Patre miſericordiæ 2. *Corinth*. I, 3. cui multæ ſunt miſerationes *Pſal*. LI, 3. quæ utique non abnegandæ ſunt. 2) Peccatum tamen omne damnatum eſſe in Chriſto. *Rom*. VIII, 1. nec duplex judicium hìc eſſe ſuſtinendum, alterum Chriſto, alterum fidelibus, ſic enim Chriſtus fruſtra mortuus eſſet. Nec habet, quod excipiat fidelis, maximè dolens & pœnitens, quia Chriſtus gratiæ ſalutaris dona accepit etiam pro rebellibus. *Pſal*. LXVIII, 19. 3) ne malos quidem Deus punit, niſi nolint ſe convertere. *Pſal*. VII, 12. 13. multò minus puniturus eſt dolentes, & ſeſe convertentes. 4) Peccata etiam graviſſima non impediunt, quo minus juſtificetur homo à Deo, qui juſtificat impium. *Rom*. IV, 5. i. e. talem qui hucusque fuit impius non damnat, ergo multò minus peccata impedient ſalutem hominis juſtificati. *Rom*. V, 9. 10. 5) Fœdus Dei cum ſuis eſt ut fœdus quod pepigit cum *Noacho*, *Jeſai*. LIV, 9. At qualenam illud erat? gratiam & conſervationem mundo promiſit, propter Sacrificium Chriſti, idque כי & *quamvis*, & *quia cogitationes* hominum *tantum malæ ſunt à pueritia*. *Geneſ*. VIII, 21. Excludatur *leproſus*, per peccata ſua, ad tempus à facie Domini, non tamen eapropter jus ad ſua bona in Chriſto perdit.

§. X.

Quodſi *objiciant* peccatorum *multitudinem*, *magnitudinem*, *gravitatem*, *durationem*, *repetitionem*, ad hæc regerendum erit. a) Multas eſſe miſerationes Dei. *Pſal*. LI, 3. ſi magna ſint peccata, majorem eſſe miſericordiam DEI, Patris miſericordiæ. *Nehem*. IX 2. *Corinth*. I, 3. confer *Pſal*. XXV, [illegible]. *Jeſai*. I, 16. 17 18. 2. *Reg* XXI. 2 *Chron*. XXXIII. b) Ne[illegible]am quidem defectionem verè contritos omni ſpe gratiæ privare *Jerem*. III, 12-14. & licet adulteri fuerint Iſraëlitæ, quærit tamen Deus, ubi ſit libellus divortii, quem ipſis dederit. *Jeſai* L, 1. unde oſtendere poſſint, quod ipſos penitùs deſeruerit. Dixit Chriſtus, quodlibet peccatum remitti, & innuit peccatum in Spiritum Obj. I. Reſp.

tum

tum S. ideo irremiſſibile eſſe, quia ejusmodi peccatores pœnitentiâ & dolore careant. c) Peccavit etiam utique *Adamus* graviſſimè, attamen promiſit illi Deus ſemen mulieris. Et vel ipſe *Petrus*, contra lumen conſcientiæ *Joh.* VI, 69. peccavit, & tamen prima Chriſti cura erat, ut reſurrectio ipſius Petro annuntietur. d) Peccaverint ſæpe, diuque, regulam ignoſcendi, quam præſcripſit Chriſtus *Matth.* XVIII, 21. 22. multò magis ſequitur Deus *Pſal.* XXV, 11.

2) Inſtantia. 2) Si *inſtent*: Peccaſſe ſe, *nec ſatis* tamen *ſe humiliari*, cognitum id ſibi atque perſpectum eſſe, quod contritis gratiam largiatur Deus, ſed defectum contritionis cauſam eſſe luctus ipſorum;
Reſp. *Reſpondendum* erit, contritionem illam non ſemper æquè ſenſibilem eſſe, imminutionem priorum affectuum, nullum eſſe ſignum intermiſſionis omnium affectuum, fidelem forſan non ita dolere, ut doluit in initio converſionis, magè tamen peccatum odio habere; porro, ſi tantum contritionis haberet atque poſtulatur, cogitaret quod ipſa humiliatio gratiæ divinæ cauſa eſſet, item, quod, ubi multùm humiliationis eſt, parum quandoque humilitatis adſit, jam & ſæpe contritionis defectum eſſe in actionibus externis, & triſtitiæ tamen atque doloris ſinceri & intimi vel ipſas iſtiusmodi querelas ſerias argumento eſſe; in genere, non quærere Deum humiliationis gradum, ſed mutatam mentem, non tam μεταμέλειαν quam μετάνοιαν, Baalis eſſe coli ejulatu & inciſura, non Dei.

Obj. 3) Si *urgent*, eandem tamen *ſuorum peccatorum*, & tentationum ad peccata, *conditionem* eſſe, *qualis eſt in nondum regenitis*;
Reſp. *Reſpondebitur*, utique diſcrimen hîc eſſe magnum & evidens: Fidelis, ſi ad peccatum tentatur, & vincitur, ſtatim omnia priora, quæ unquam præſtitit, bona nihil eſſe judicabit, cum è contrario irregenitus, etiam poſt peccata, levemque de peccatis dolorem, optima quæque ſibi promittit: Pius omne malum ſibimet ipſi tribuet, ex ſe ſuam eſſe perniciem & agnoſcet & dolebit, è contrario vero malum omne, ſi peccet, in diabolum, in proximum, in ipſum Deum, providentiam & fatum conjiciet: Pius horrebit ad mentionem peccati, ſed malus non ad peccatum, ſed tantum ad pœnam peccati evigilabit; quando Chriſtus diſci-

Digitized by Google

diſcipulis indicavit, unum ex ipſis proditurum eſſe Dominum ſuum, protinus omnes, præter proditorem, ſenſu mali hujus horrendi perculſi, quærebant: *Isne ego ſum?* ſed quando huic prædictioni addidit: *Væ! homini qui prodit Dominum ſuum*, tum demum, indicatâ pœnâ, evigilabat Judas, dicens: *Egone is ſum?* *Matth.* XXVI, 21-25. Fideles, poſt peccatum commiſſum, redeunt ad Patrem *Luc.* XV. ſed irregeniti tum demum Deum fugiunt: Fidelis lapſus petit non modo remiſſionem peccati, ſed & ſanctificationem cordis *Pſal.* LI, 12. de priori vero ſolùm, ſaltem quadantenus, ſolicitus eſt irregenitus.

§. XI.

Tentantur aliquando fideles *fœdis*, & quandoque *blaſphemis cogitationibus*. Sed, ſi modo verè fideles ſint, non eſt, ut vel per horrendas iſtiusmodi tentationes animum deſpondeant, nam 1) Satanas tales cogitationes menti fidelium injicit, ut illos affligat, & dejiciat, ergo contra potius eundum eſt, nec voluntati ejus mos gerendus, nec quem quærit effectus concedendus eſt. 2) Horret ad iſtiusmodi cogitationes animus, & quidem protinus, ſic non ex nobis oriuntur, & non noſtræ ſunt. 3) Repugnant illis precibus & ſuſpiriis, quæ per Spiritum S. in nobis excitantur, unde non poſſunt niſi mali ſpiritus opus eſſe. 4) Caſta mulier ſi, cum ſola ſit, violetur, dolet equidem merito, licet conſenſum nunquam dederit, polluta tamen non eſt; ita nec tale quid, quod præter omnem mentis voluntatem contingit, mentem polluere poterit. Non polluit ſacrificium Abrahami, quod aves impuræ ad illud acceſſerint; polluiſſent ſi Abrahamus illas, ſuper ſacrificio, reliquiſſet, non item vero, cum eas ab illo abegit. 5) Iſtiusmodi tentationes Satanæ etiam virus ſuum omne perdidêre in Chriſto, qui, noſtrûm loco, à Satana tentatus, non ſibi ſed nobis liberationem ab iſtiusmodi malo promeruit. *Matth.* IV, 5. 6. Quas in Chriſtum conatus fuit Satanas conjicere tentationes, illis etiam fideles tentavit, ſed fruſtra. Id auſus fuit in *Jobo. Job.* II. conf *Luc.* VIII, 27. ſeqq. & quo graviùs iſtiusmodi tentationibus inſtat, eo certius indicium eſt, eum, qui illas protinus cum horrore rejicit, ab eo liberatum eſſe.

b) In tentationibus cogitationum malarum.

§. XII.

c) In ſolicitudine ob infirmitates

Affligit etiam fideles quandoque *propria* eorum *infirmitas*, quod non majores *in fide* & *pietate* fecerint progreſſus. Et habet etiam infirmitas illa, unde doleant fideles, quo infirmiores enim ſunt, eò facilius labuntur. *Hebr.* XII, 12. eò minùs DEUM glorificant. *Pſal.* L, 23. eò magis aliorum ope indigent. *Rom.* XVI, 1. 2. Laus firmæ fidei magna eſt prærogativa. *Rom.* IV, 18 - 22. Sed nec ipſa tamen infirmitas animum deſpondendi ratio eſt, nec ſufficiens diffidentiæ cauſa, è contrario potius fiduciæ. *Pſal.* VI, 2. Promiſſiones maximè infirmioribus, pauperibus ſpiritu datæ ſunt. *Matth.* V, 3. ſeqq. conf. XII, 20. 21. 2. *Corinth.* XII, 9. Queritur infirmus de infirmitate ſua, ſed Chriſtus loco citato *Matth.* XII, 20. aſſerit, ſe *arundinem*, qua nihil infirmius eſt, & quidem *fractum*, *non quaſſaturum*: Si inſtet, infirmitatem hanc conjunctam eſſe cum peccatis, perpendat, quod Chriſtus etiam *linum fumigans*, quo nihil magis fœtet, *non ſit extincturus*: Excipiant ulterius: Si forte linum hocce non exſtinguat DEUS, exſtingui tamen illud à ſemet ipſis; at promittitur, *DEUM producturum judicium usque ad victoriam*, conſervaturum ſuos, eosque vindicaturum, defenſurum usquedum vincant; Nec metuant ſibi ab impedimentis variis, addit Chriſtus ἕως ἂν ἐκβάλῃ *usquedum* & impedimenta illa cum violentia quaſi *ejecerit*. Chriſtus ſpeciatim infirmis datus eſt agnellis *Jeſai.* XL, 11. mortuus pro infirmis. *Rom.* V, 6. *Apoc.* III, 18. non vult, ut metuant, doleantque puſillanimes *Matth.* VIII, 24. 25. 26. vel propter infirmitatem fidelium datus eſt ipſis Spiritus *Rom.* VIII, 23. miniſterium ſacrum inſtitutum eſt, ut infirmi corroborentur *Jeſai.* XXXV, 3. in cujus rei ſymbolum maximam, infirmis animalculis, & vim & prudentiam DEUS dedit. *Prov.* XXX, 24.

§. XIII.

d) Ob defectus.

Queruntur interdum *defectus* ſuos, deeſſe ſibi gratiam ad officia etiam neceſſaria rectè peragenda. e. g. ſe non poſſe ita orare, uti quidem deberent; preces ab ipſis non ſine multis diſtractionibus, & languidè ſatis fundi. Sed his opponi poterit;

1) Sim-

1) Sinceritatem, per Chriſti gratiam, compenſare defectum perfectionum, quæ deberent adeſſe *Hoſ.* II, 19. 2) Cor petere magis quam actus. 3) Dona noſtra, non qua noſtra, ſed in Chriſto placere DEO. 4) Ob defectus in officiis, officia ipſa non eſſe intermittenda. 5) Non rejicere DEUM, quæ DEI ſunt, ut vel in languidis fidelium precibus ſemper aliquid DEI eſt, licet noſtris illæ defectibus permixtæ ſint, ſicut paterfamilias triticum non ejicit, licet paleam permixtam habeat. 6) Defectum in donis noſtris ſupplere Chriſtum, prorſus ut Pontifex M. ideo frontali ſuo ſanctitatem Jehovæ inſcriptam habebat, quia ejus ſanctitate iniquitates in donariis noſtris expiantur. *Exod.* XXVIII, 36. 37. 38 conf. *Apoc.* VIII, 3. 7) Preces fidelium, etiam quando dixerunt, ſe non poſſe precari, tamen DEO gratas fuiſſe. *Pſal.* LXXVII, 1-5. 8) Quod ad diſtractiones mentis, in precibus, attinet, dolor de illis, modo frequens ſit & ſerius, cum ſinceritate conjunctus, ſufficiet. Non nocet, quod non placet. Hoc unum excipit *David: Si iniquitatem in corde haberem, non audires me. Pſal.* LXVI, 18. Quodſi conquerantur fideles, *ſe jam diu oraſſe, precibus inhæſiſſe, & nunquam tamen fuiſſe exauditos*, reſpondendum erit, a) DEUM ſemper audire, licet non ſtatim reſpondeat; etiam de auditu DEO gratias agendas eſſe. b) Reſpondere, licet non ſemper viſibiliter, multas gratias fructus precum eſſe, ſed inviſibiles. c) Si non protinus reſpondeat, reſponſurum tamen ſuo tempore, tempore accepto. *Jeſai.* XLIX, 8. eſſe vero tempus acceptum, tempus quo auxilio DEI maximè indigemus. *Pſal.* CII, 1-11. *Act.* XII, 5. ſeqq. Tempus, quando cor præparatum eſt, ad auxilium DEI rectè recipiendum. *Pſal.* X, 17. d) Si non reſpondeat in his quæ petiimus, reſponſurum in aliis, quæ meliora ſunt; *Abrahamum* exaudiit, ſi non in Iſmaele, tamen in Iſaaco, *Iſaacum*, ſi non in Eſavo, tamen in Jacobo; mentem legis eſſe legem, mentem Spiritus eſſe cardinem precum *Rom.* VIII, 27. & ita audire DEUM & exaudire, ſi vel non conferat petita, ſe poſſe eſſe fidelem, ſi vel in negando agnoſcat DEI juſtitiam. *Pſal.* XXII, 3. 4. ſi animus acquieſcat, quod gratia ejus ſufficiat 2. *Corinth.* XII, 9. ſi excitetur poſt preces ad gratias agen-

Digitized by Google

das 2. *Sam* XII, 20. ſi animum precandi non perdat. *Pſal.* XLIV, 18. ſeqq. LXXX, 4. ſeqq.

§. XIV.

e) Ob abſentem ſenſum gratiæ divinæ.

Querelam etiam fideles quandoque movent, omnem ipſis *gratiæ divinæ ſenſum deeſſe*; non eſſe ut quondam *Job.* XXIX. XXX. adeſſe potius ſenſum iræ divinæ. *Pſal* VI, 1. *Reſp.* Poſſe ſolamen eſſe absque ſenſu. In obſequio verbo præſtito, atque in vera fide in Chriſtum maximè ſolaminis fundamentum ſitum eſſe. Si conditio à nobis præſtetur, tum etiam jus eſſe ad promiſſiones. *Pſal* XXXVII, 3. 5. imo poſſe fideles ſibi promiſſionem applicare, ubi conditio, ſi non perfectè attamen ſincerè, præſtatur. *Neh.* I, 5. ſeqq. Nihil impedire teſtamentum, quod firmum eſt. *Galat* III, 17. Deſeri fideles equidem quandoque quoad viſionem, nunquam vero quoad unionem *Job.* XIII, 1. *Hebr.* XIII, 5. ubi quinque negandi voculis promittitur, Deum ſuos non derelicturum eſſe. Ipſam deſertionem ad tempus, fructum eſſe amoris divini, ut tantò ardentius quæratur. *Jeſai.* LIV, 7. 8. *Hoſ.* V. ỳ. ult. & VI, 1. Satis tamen lucis & gratiæ ipſis eſſe ad operandum. Conſideretur exemplum *Moſis. Exod.* IV, 14. 15. 16. & locus *Jeſai* LVII, 17. 18. ubi dicitur, quod DEUS vias, per avaritiam & ſtudium rerum carnalium, averſorum, quibus iraſcebatur, quos percuſſerat, à quibus faciem ſuam averterat, tandem *videat*, ignorantiam & imprudentiam fuiſſe declaret de præterito, per remiſſionem peccatorum & ſanctificationem, *eos ſanet* de præſenti, *&*, quoad futurum, in viam virtutis *ducat*, ſimulque populo huic erranti, declinanti, & *lugentibus ejus*, verè piis, qui de peccatis lugent, *conſolationes reddat*.

§. XV.

f) Ob calamitates externas.

Denique fideles ſæpiſſimè etiam tentantur per *calamitates externas*, veniunt ſæpè ex tribulationibus multis, ſunt in illis non ſine gravi ſenſu, ſunt ſedentes in tenebris, quaſi mortui. *Pſal* CXLIII, 3. 4. Sed & inter omnes illas afflictiones, quales quales illæ ſint, non opus habent, ut animum deſpondeant.

Sunt

Digitized by Google

Sunt calamitates fidelium externæ pars illius pretii, quod Chriſtus, populo ſuo, ſanguine ſuo acquiſivit. 1. *Corinth.* III, 21. 22. datum eſt illis ut credere, ita pati. *Phil* 1, 29. non tam afflictiones ſunt, quam eſſe videntur *Hebr.* XII, 11. 2 *Corinth.* VI 9. 10. Fluunt, quoad originem, ex amore Dei, eoque paterno. *Hebr.* XII, 6. In via crucis, via lucis eſt. Ad ipſorum commodum bis, terque DEUS illos caſtigat. *Job.* XXXIII, 14-29 XXXVI, 7-10. vel tum Spiritus gloriæ reſidet in illis. 1 *Petr.* IV, 13. 14. tandemque iterum ceſſant. *Pſal.* CXXV, 3. 4. Et poſſunt etiam illæ clarè diſtingui ab afflictionibus irregenitorum, conſiderant enim fideles uſum afflictionum, à quo toti diſcedunt impii, benedicunt etiam DEO in illis quæ aufert. *Job.* I, 21. finiunt in amore Dei, uti & ex ejus amore oriuntur, intimè docent mentem Domini, & in illis ubique DEUS præſens eſt. *Hebr.* XII, 5. 6. 7. tandem etiam eâ & menſura & modo mala ipſis eveniunt, ut ad ſanctificationem faciant *Jeſai.* Cap. XXV.

§ XVI.

Quo vero graviores & plures, varii etiam generis, fidelium tentationes ſunt, eo majori cum *ſolicitudine* & *prudentia* in illis verſabitur *Paſtor*. Eum in finem, & ante omnia 1) petet ſapientiam, intelligentiam, amorem atque zelum, tum pro gloria Dei, tum pro ſalute tentati *Difficilius* utique *eſt*, ut rectè dicit *Lutherus*, *ſanare conſcientiam afflicti*, *quam excitare mortuos*; idque etiam ſuadebit tentato, ut continuis precibus Deum adeat, &, ſi vel impoſſibilem ſanationem illam judicet, nunquam ceſſet à precando; ſique afflictio gravior ſit, & in publicum nota, jungenda ſunt, precibus Paſtoris & afflicti, ſuſpiria piorum, & preces totius cœtus. 2) Sedulò cavebit, ne profanorum & hypocritarum dubia, quæ, ut peccatis ſuis indulgeant, vel in imaginatione ſua formant, vel jactant, pro tentationibus habeat. Unde de conditione morbi rectè indaganda ſolicitus erit, atque, ante omnia, perſuadebit afflicto, ut, quæ intimè cor mordent, ingenuè aperiat, ita tamen, ut inde ſe ſilentii tenaciſſimum eſſe, hinc vero curioſitatem omnem vitare; nec arcana domus ſe rimari velle, teſtatum det. 3) Ubi morbus tentati patet, in cau-

Prudentia Paſtoris in hac functione.

Digitized by Google

ſas etiam præſentis tentationis inquiret, aliquando enim reverà peccatum, licet non de præſenti commiſſum, tentationis cauſa eſt, quod propterea ſeria cordis contritione deprecandum, atque ſincerâ fide eluendum eſt; hinc vero 4) malarum tentationum omnium auctorem Satanam eſſe & præſupponet, &, in ſpecialibus afflictionibus, per argumenta evincet, ſcilicet ſcrupulos tales movere Satanam in hominis perniciem, & è contrario 5) oſtendet, tantum abeſſe, ut tentatos Deus deſerat, ut, in verbo ipſius, magna promiſſionum copia, de auxilio divino tentatis præſtando, exſtet, in ſpecie *Pſal.* XCI. *Jeſai.* XLIII. 1. *Corinth.* X, 13. 1. *Theſſal.* V, 23. 24. Demonſtrabit 6) quod Chriſtus ipſe, omnium loco tentatus, omnium etiam tentationes, & merito ſuo vicerit, & interceſſione ſua ipſis adſit, & Spiritu ſuo easdem ſuperet. *Luc.* XXII, 31. 32. in quem finem etiam arma ſubminiſtret. *Epheſ.* VI, 10-17. ad quem locum vid. *Daniel Toſſanus*, *Joh. Jacob. Grynæus*, *Joh. Andr. Schmidius*, & cummaximè *Heideggerus Tom.* IV. *Diſſert. de tentationibus ſpiritualibus*. Indicabit etiam 7) non novas eſſe & peregrinas, quas ſubeunt, tentationes, ita tentatos fuiſſe plerosque fidelium. Quomodo operæ pretium eſt in promtu habere *exempla* tentatorum, tum exſtantia in S. Literis, veluti *Joſephi*, *Jobi*, *Davidis*, *Jeremiæ*, *Aſaphi*, *Pauli*, tum alia præſentis ſeculi, qualia plura & ſingularia exhibet *Reizius* in *hiſtoria regenitorum*. Sic & 8) tentationum utilitates & commoda, qualia *Heideggerus* in laudata diſſertatione plurima proponit, ad animum ducet, & tandem etiam argumenta, quæ vel ab ipſis vel à Satana formantur, ſolvet, gnarus etiam eorum, quæ opponenda ſunt abuſui quorundam locorum S. Scripturæ, ita ut, ex ipſis eorum objectionibus, argumenta formet contra ipſos. Sic v. g. oſtendet, quid propriè intelligatur per peccatum in Spiritum S., & quam graviter errent, qui, cum ſingulari dolore, & ſeria peccatorum abnegatione, illud conſiſtere poſſe tradunt; *Hebr.* VI, 4-6. Apoſtolum loqui non tam de lapſis in genere, quam potius ſpeciatim de illis, qui prorſus, toti à toto & in totum lapſi ſunt. *Hebr.* X, 26. ſub nomine ἑκουσίως peccantium non alios intelligi, quam qui ex firmo propoſito, & pervicacia peccant, ỽ. 29. *Prov.* I, 24.

Salo-

Salomonem pariter de aliis non loqui, quam de illis, qui obſtinatâ voluntate peccant, confer ỷ. 29. 30. *Hoſ.* VII, 13. 14. Sic & *Hebr.* XII, 16. 17. ſermonem eſſe de pœnitentia non *Eſavi*, ſed *Patris* ipſius reſpectu benedictionis *Jacobo* factæ, confer *Geneſ.* XXVII, 34-38. Videantur de hoc argumento, *Casmanni ſchola tentationum*, *Drelincourt viſitationes*, *Goodwini opuſcula*, in ſpecie, *Kind des Lichts wandelend in der Finſternus*, & omnium inſtar *Bolton de inſtructione ad rectè conſolandum animas afflictas.*

Caput XI.

De functionibus Paſtorum in actibus cultus externi, ſpeciatim

De Concionibus Sacris.

Σύνοψις.

Capitis hujus *Sectione* I. agitur de cultus externi neceſſitate §. I. Nomine §. II. Actibus variis §. III. in iisque cummaximè *de publico verbi præconio.* §. IV. V. VI.

Sectione II. De *methodo concionum in genere*, ita ut ſiſtantur requiſita ad conciones habendas §. VII. quæ non ſunt pigmenta eloquii humani §. VIII. ſed legitimus apparatus §. IX. tum in genere §. X. tum in ſpecie §. XI. & quoad Scripturam S. V. T. §. XII. & ratione N. T §. XIII. XIV. Preces ad Deum § XV. Intentio ſancta & methodus §. XVI.

Sectione III. De *textuum ſelectione* ex Scriptura S. §. XVII. XVIII. qui ſunt vel ſtati §. XIX. vel liberi uſus §. XX. XXI. iique vel dogmatici §. XXII. vel elenchtici §. XXIII. vel practici §. XXIV-XXIX. vel Prophetici §. XXX. XXXI. vel typici, emblematici, parabolici & hiſtorici §. XXXII.

Sectione

Digitized by Google

Sectione IV. De *introitu concionum* §. XXXIII. per votum §. XXXIV. Exordium remotum §. XXXV. Preces, lectionem textus, alloquium §. XXXVI. Exordium propinquum §. XXXVII. cujus conditio & diſpoſitio indicatur §. XXXVIII. Exemplis illuſtratur §. XXXIX. atque fontes exhibentur §. XL-XLIX.

Sectione V. De *connexione textûs* §. L. ejus inventione §. LI. LII. atque diverſa, pro diverſitate textûs, tractatione §. LIII. LIV. LV.

Sectione VI. De *argumento textûs* §. LVI. cujus propoſitio recentioris inſtituti eſt §. LVII. ejusque partibus §. LVIII. genere & differentia ſpecifica §. LIX.

Sectione VII. De *diviſionis* textûs neceſſitate §. LX. Requiſitis §. LXI. Conditione §. LXII. Legibus §. LXIII. Ordine §. LXIV. Denominatione §. LXV. LXVI.

Sectione VIII. De *explicatione* textus *verbali*, quoad ſitum ejus externum §. LXVII. quoad verba & phraſes §. LXVIII-LXXI. quæ neceſſaria eſt ob vocum ambiguitatem §. LXXII-LXXXIII. obſcuritatem LXXXIV-XC. ob earundem emphaſin §. XCI.

Sectione IX. De *explicatione reali*, in genere §. XCII XCIII. ſpeciatim א) thematum ſimplicium §. XCIV. XCV. ב) complexorum §. XCVI. in quibus exponi debent 1) ſubjectum §. XCVII-CIV. 2) prædicatum in relatione ſua ad ſubjectum §. CV-CXVIII. 3) copula §. CXIX-CXXVI. ſpecialiſſimè de explicatione propoſitionum plurium conjunctarum §. CXXVII-CXXXIII.

Sectione X. De *applicatione* textus in genere §. CXXXIV. ſpeciatim א) de ejus inventione, per poriſmatum collectionem, & collectorum ordinationem §. CXXXV-CXLIII. ב) de ejus diſpoſitione α) quoad baſin §. CXLIV. β) uſum inſtitutorium §. CXLV. γ) correptionem vitiorum, δ) exhortationem ad officia §. CXLVI. ε) confirmationem & conſolationem piorum §. CXLVII.

Sectione XI. De *concionis pronunciatione* §. CXLVIII. CXLIX. item de ſucceſſus optati & defectu, & ejus, licet non ſemper viſibili, exiſtentia §. CL-CLIV.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO I.

De Concionibus in genere.

§. I.

CUm vera religio non animum tantum, ſed etiam corpus ad Dei cultum excitet, & inſtruat, ſitque etiam *cultus* ille *Dei externus* tum *neceſſarius*, & quia cultum internum intendit, & quia proximum incendit ad Dei laudes, atque ideo etiam præceptus. *Hebr.* X, 25. & à primis temporibus uſitatus, ſicuti ſupra Cap. 1. dictum eſt; tum etiam *Deo gratiſſimus*, ſi provenit ex dilectione Dei, ſi juxta Dei Verbum, & ad exemplar divinarum virtutum inſtituitur, ſi cum internis, humilitatis, fidei & reverentiæ erga Deum, actibus conjungitur, ſi denique totus ad Dei gloriam dirigitur, evidens eſt, quantâ & quali curâ etiam cultus ille publicus, *per Verbi divini Miniſtros* ſit inſtituendus. Cultus externi.

§. II.

Venit cultus hic, tum in S. Literis *Rom.* XV, 16. 27. tum paſſim in hiſtoria Eccleſiaſtica, nomine *Liturgiæ*, qua voce, in communi equidem, id quod eſt λήιτον *publicum* & ἔργον *opus* indicatur, unde etiam *vox græca* per *publicum Miniſterium* explicatur vid. *Kuſterus* ad *Suidam Tom.* II. fol. 438. & hinc communius *Chriſto Hebr.* VIII, 6. *Angelis Hebr.* I, 14. & *Magiſtratui Rom.* XIII, 6. attribuitur; cumprimis autem, apud Patres; vox hæc λειτουργεῖν quodvis, *circa ſacra publica*, *Miniſterium* obire notat, hinc natæ ſunt tot *Liturgiæ*, antiquiores, recentiores, ſive *deſcriptiones ordinis*, *in ſacris publicis* celebrandis, obſervandi, de quibus in communi equidem agunt *Joh. Bona* Cardinalis *de rebus Liturgicis*, *Caſſander* de iisdem, *Pfaffius de Liturgiis*, in ſpecie vero, quoad ſacra noſtra, legi merentur *Joh.* à *Laſco forma & ratio tota Miniſterii Eccleſiaſtici*, *in peregrinantium potiſſimum Germanorum Eccleſia*, *ratio diſciplinæ ordinisque Eccleſiaſtici*, *in unitate fratrum Bohemorum*, cum *notis Comenii*, item *Libri communium precum*, & *de adminiſtratione Sacramentorum*, quibus Nomen.

 unum-

Digitized by Google

ntuntur *Epiſcopales in Anglia*, *directorium Presbyterianorum in Anglia* An. 1644. editum, in quo materia ſacrorum publicorum, per capita, indicatur; *Ordo Eccleſiaſticus Palatinus* æquè atque *Catechiſmus* per *Urſinum* & *Olevianum* An. 1563. & abhinc ſæpè editus, cui adjungi meretur, ſingulari cum prudentia conſcriptus, *Ordo Eccleſiaſticus Comitatus Lippiacenſis.* Videatur interim de hoc argumento *Voetii Polit. Eccleſ.* Cap. 1. & ſeqq.

§. III.

Varii actus.

Varii autem ſunt *actus* hujus cultus externi, circa quos etiam paſtoris opera verſatur, quippe qui & per *objectum*, in quo terminantur, dum alii directè, alii vero indirectè erga Deum tendunt *Jacob* I. ℣. ult. & per *materiam* diſtinguuntur, dum illi qui *directè* Deum reſpiciunt, *vel* ſpectant *voluntatem Dei* nobis manifeſtandam & confirmandam, tum *Verbo*, tum *Sacramentis*, *vel voluntatem noſtram*, tum de beneficiis Dei acceptis, tum de neceſſitatibus noſtris, per *gratiarum actiones*, *preces*, *cantus*, declarandam, atque ita, ſecundum haſce differentias, de functionibus paſtorum agendum erit.

§. IV.

Inque iis etiam præconium verbi divini

In munere itaque paſtorali *publicum verbi præconium* inde equidem non omnem paginam implet, hinc tamen non infimi ſubſellii functio eſt. Cuique enim, qui non ſibi, ſed Deo, in Eccleſia, ſervire vult, probe perſpectum erit, totum paſtoris officium in concionando, adminiſtrando Sacramenta, & ad ſummum viſitando ægrotos, non tantum conſiſtere, ſed &, in eo munere, artem artium eſſe regimen animarum; ultimum Pauli monitum, ad Presbyteros Epheſinos, primum in ipſius intentione eſſe debere, ut *attendat ſibi & toti gregi Actor* XX, 28. in ſpecie requiri curam ſingularem in catechizandis rudibus, corripiendis, cum fructu, malis, confirmandis piis, erigendis afflictis, vindicanda, contra incredulos, veritate, &, contra profanos, pietate, ſingularem zelum pariter & prudentiam, in adhibendo legitimè clavium uſu, *ne*, quod cor nutriat *ſanctum* (certe non leve, ſed nunc ſanctiſſimum, quod in typo ne Iſraëlitis

litis quidem dabatur) *canibus*, *ne Margaritæ*, quæ animam ornent, *porcis* offerantur *Matth.* VII, 6. hinc in recipiendis fidelibus, excludendis ſcandaloſis, applicandis promiſſionibus Evangelicis, adminiſtrandis Sacramentis opus eſſe; ſic non publicè modo, ſed & privatim ipſum in precibus pro ſe, ſuo cœtu, tota Eccleſia Dei occupatum eſſe debere; tandemque vitæ ſanctisſimæ non minus, quam doctrinæ lucem requiri, ut ſic, ſtudio bonorum operum, ſit προϊςάμενος, reliquos cum auctoritate præcellens. Interim quia non ſinguli ſaltem privatim, ſed etiam in publico cœtu informandi ſunt, non minor tamen etiam *ſacrarum concionum* cura ſit neceſſe eſt. Non ſufficit, quod *Fanatici* quidam volunt, *nuda S. Scripturæ lectio*, *cum precibus conjuncta*, quaſi de ſuggeſtu nihil aliud proponere liceat, quam ipſiſſima S. Scripturæ verba. Sit enim Verbum Dei radix & baſis, ex qua omnia ſint petenda; ſit etiam S. Scriptura, ſub initium cultus publici, ſicuti in Eccleſiis Gallicis optimè fieri ſolet, populo publicè & ſedulò prælegenda; ſit etiam illa domi, diu noctuque, tractanda, eſt tamen etiam, in conventibus ſacris publicis, ob plerorumque ignorantiam, & omnium neceſſariam excitationem, *Scriptura S. explicanda per Scripturam S.* Eſt Verbum Dei tractandum ſecundum *analogiam fidei*, & quod inde deducitur *Prophetia* eſt, *Rom.* XII, 6. S. Scriptura ita explicanda, ut faciat *ad doctrinam*, *correctionem*, *redargutionem*, *ad diſciplinam in juſtitia* 2. *Timoth.* III, 16. Factum hoc erat ab *Eſra. Nehem.* VIII, 8. 13. In *Eccleſia Judaica* non tantum *Moſes* & *Prophetæ*, ſed & *Chaldaicæ verſiones*, ſenſum verborum ſuccinctè continentes, legebantur. Hinc & inde ab initio *Eccleſiæ Chriſtianæ* id moris erat. Ipſemet *Chriſtus* non modo legit, ſed & explicuit S. Scripturam. *Luc.* IV, 15. ſeqq. *Apoſtoli*, cum precibus, Miniſterio etiam verbi unicè vacabant, ſpiritualia ſpiritualibus συγκρίνοντες 1. *Corinth.* II, 13. & ὀρθοτομοῦντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας 2. *Timoth* II, 15. Succedentes *Epiſcopi* ſuccinctas exhortationes lectioni verbi ſubjecêre, exſtatque fragmentum iſtiusmodi concionis, etiam in Seculo I. habitæ, in clauſula *Epiſtolæ ſecundæ Clementis Romani ad Corinth.* In quarto vero Seculo, maximè per *Chryſoſtomum* & *Auguſtinum*, ſacræ conciones ad rhetoricam

inſtitui cœpêre, fueruntque vel extemporaneæ, prouti eas poſtulavit temporis neceſſitas, vel ad certum quendam textum, petitum ex illo capite, quod publice in cœtu prælegebatur. Quid vero, in concionibus publicis, non tantum inde à Seculo IV. ſed jam ante, tractaverint, in compendio exhibet *Tertullianus* in *Apologetico adv. gentes* Cap. 39. *Cogimur ad divinarum literarum commemorationem, ſi quid præſentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoſcere; certè fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcatione denſamus.* Quam aſſiduus *Auguſtinus* in habendis concionibus fuerit, inde liquet, quod *ſermonem in Pſal.* LXXXVIII. geminum eodem die, alterum matutinis, pomeridianis horis alterum habuerit. Ex *tractatibus* ejus *in Johannem* conſtat, eum diebus quinque continuis concionatum eſſe, vid. *Joh. Jac. Hottingeri Exercit. Prior de Miniſterio Johannis Baptiſtæ* §. III. Idque negotii Epiſcopi ſibi ita datum credidêre, ut vix ante Seculum III *Presbyteris* concionandi facultas conceſſa fuerit. Sed quo latiùs illi gubernationis ſuæ Eccleſiaſticæ pomoeria extendêre, eo minus temporis, ad docendum commiſſum ſibi gregem, ſupererat Unde jam in Seculo quinto *Sozomenus* Lib. VII. Cap. 19. *Hiſt. Eccleſ.* obſervat; in Eccleſia Romana *nec Epiſcopum, nec* alium quendam forte *Presbyterum* Eccleſiam docuiſſe, quod *functio concionandi doctoribus fuerit commiſſa*, & ab Epiſcopali cura ſejuncta. Jam iterum equidem in progreſſu utrumque coaluit, ſed ita ut concionum habendarum nullam prorſus Epiſcopi habuerint rationem; hinc *Carolus* M., quod defuerint qui ſermones ſacros pro cathedra dicerent, *homilias* antiquorum *Patrum* excerpi, & in vernaculam linguam transferri curavit, quæ, per circulum anni, prælegerentur populo, ut haberet neceſſarias admonitiones. Poſthæc equidem *Monachi* munus concionandi in ſeſe ſuſcepêre, ſed illo tam jejunè & frigidè fungebantur, ut prima Reformatorum Eccleſiæ cura in eo poſita fuerit, ut non modo laicis liberum S. Scripturæ uſum redderent, ſed eadem etiam pro concione ſolide tractaretur, quæ laus Eccleſiis Proteſtantium inde etiam adeo propria fuit, ut in bellis, religionis ergo in Gallia geſtis, *verbum militare* unius partis *Miſſa*,

& al-

Digitized by Google

& alterius *Concio* fuerit, quod ad hanc cummaximè cœtus Proteſtantium, etiam cum ſingulari fructu, convenire viderint.

§. V.

Per conciones ſacras.

Eſt autem CONCIO, *ſermo, à fideli Miniſtro Dei, ex illius Verbo, coram Deo ad cœtum Eccleſiaſticum, in eum finem propoſitus, ut Deus in Chriſto glorificetur, Eccleſia autem in fide, charitate & ſpe, ad obtinendam ſalutem, ædificetur.*

§. VI.

Quarum definitio illuſtratur.

Prædicatio verbi itaque a) functio illorum eſt, qui *Verbi divini miniſtri* ſunt. Non omnium eſt agere Doctores *Jac.* III, 1. χάρισμα ſpeciale eſt & ad διδασκαλίαν & ad παράκλησιν *Rom.* XII. 6. Dum nulli alii ſunt, qui donis hiſce, in loco quodam, pollent, laudis eſt, cum *domo Stephanæ*, ſemet ipſum ponere in miniſterium 1. *Corinth* XVI, 15. Ex quo autem plures ſunt, qui hæc χαρίσματα acceperunt, opus eſt & interiore Spiritus impulſu, & tamen ſimul, etiam ad ejus mandatum *Act.* XIII, 1. 2. exteriore ſeparatione, per eos qui cum auctoritate ſunt, quam & meritò, qui ſe præparant ad miniſterium, in patientia exſpectant, certi quod qui in prima vocatione, ut *Barnabas*, rejicitur, non mittendus ad Judæos, ille tamen, in ſecunda, ad apoſtolatum inter gentes vocari queat, confer *Actor.* I, 23. 26. XIII, 1. b) *Fidelem* autem illum *DEI ſervum* eſſe oportet, qui cum omni, etiam ſuo, fructu Verbum prædicet. Quæ *hominibus impiis* & irregenitis *veri notitia* ineſt, ſaltem Ἐπιγνώσεως nomen non meretur *Non cognoſcunt res*, quales in ſe ſunt, *non DEUM*, ut ſummè amabilem, amarent enim illum ut talem; *Non peccatum*, ut ſummum malum, illud cæteroquin averſarentur. Horum eſt c) *ex DEO, coram DEO, in Chriſto, loqui.* Solum DEI Verbum, ſermo ille DEI vivus eſt & efficax *Hebr.* IV, 12. qui & intima carnis pariter & ſpiritus diſcernit, & ſententiam vitæ atque mortis, ut judex, ea efficaciâ pronuntiat, ut electi per illum, & per illum tantum, veluti ſemen quoddam incorruptibile, regenerentur. d) *Materia concionum* inde *ad DEUM* ſpectat, ut nomen ejus hominibus manifeſtetur, quo Chriſtus ſuis præ-

vit. Sola gloria perfectionum & virtutum DEI, in facie Chriſti, tanquam in ſpeculo, repreſentata, eam vim & efficaciam habet, ut transformemur ipſimet, ſicuti Moſes, in gloriam, &, meliùs atque ille, de gloria in gloriam, veluti per Spiritum Dei 2. *Corinth.* III, 18. Contemplatio perpetua in cœlo, merito etiam argumentum eſt perpetuæ meditationis in terra; *Hinc* vero, & ab altera parte, ut utilis eſt S. Scriptura *ad doctrinam, elenchum, correctionem & diſciplinam hominum* in juſtitia, ita etiam eò dirigitur concio. Opus itaque paſtoris Evangelii hoc cummaximè erit, ut *inde* quidem auditores ſuos convincat de juſtitia peccatoribus, per Chriſtum, acquiſita, qui enim perſequuntur juſtitiam hanc, Jehovam quærunt *Jeſai.* LI, 1. *hinc* vero, ut excitet in illis tum cognitionem vivam ſummæ miſeriæ peccatoris, tum deſiderium Redemtoris ſuper omnia, tum ut fidem hancce, per omnes juſtitiæ fructus, vivam reddant, ut ſic etiam *Chriſtus* ſit *in illis*, atque *tum*, per crucifixionem veteris hominis, *mortis, tum*, per vivificationem novi, *reſurrectionis* ejus intûs etiam *participes* reddantur, quæ duo intimè cohærent, nec enim Chriſtus in nobis eſt, niſi juſtitiam ejus, extra nos, nobis imputari credamus, qui *teſtis* eſt *de luce, Johannes*, ille demum optimus *reſipiſcentiæ præco* eſt, nec Chriſtus, extra nos, noſter eſt, aut nos ſanguine Chriſti redemti ſumus, ubi non regeneratio & ſanctificatio ſimul locum habent. *Lex* equidem etiam, *cum Evangelio* prædicanda eſt, ſcilicet ut peccatores, ex illa, de miſeriæ, quæ in peccatis latet, magnitudine convincantur, & de medio ſalutis quærendo ſoliciti reddantur; ſed *nunquam* tamen *ſola* lex proponenda aut urgenda, *ſola* enim *iram operatur Rom.* IV, 15. *gratiam Spiritus S. non habet* conjunctam *Galat.* III, 4. 5. & obedientiam parit, quæ protinus, quia radice caret, iterum deficiet, ut taceamus ipſum modum tantummodo, per legalia & minas, terrendi homines faſtidium parere, amorem dominandi induere, & plerumque cum hypocriſi Phariſaica conjunctum eſſe. *Longum iter eſt*, inquit, *Lutherus*, „ *per præcepta, compendium habet charitas, quæ facile omnia, in* „ *omnibus, erudit.* Ipſe magiſtratus amore magis quam pœnâ

ſubdi-

Digitized by Google

ſubditorum animos ſibi conciliat, nullus autem miniſtrorum ad magiſtratus auctoritatem accedit.

Sectio II.

De Methodo Concionum in genere.

§. VII.

Ut autem, in concione ſua, finem hunc fidelis DEI ſervus aſſequatur (a) *nullâ equidem arte oratoriâ, nullis pigmentis eloquii humani, nullis mellitis verbis opus eſt, requiritur tamen, ut,* (b) *apparatu aliquali inſtructus, poſt* (c) *ſerias preces,* (d) *ſanctumque propoſitum, doctrinam ſalutis* (e) *eâ tum ratione, tum methodo proponat orator, ut non modo memoriæ, in retinenda, & judicio, in diſcernenda veritate, conſulat, ſed ut ipſamet etiam ſe conſcientiæ atque cordi loquentis & audientium commendet.* Requiſita ad concionem.

§. VIII.

(a) *Pigmenta eloquii humani* Paulus diſertè improbat 1. *Corinth* II, 1.4.13. Res humanæ enim illis indigent, non divinæ; ad ſummum enim movent, non convertunt. In verbis nulla vis eſt, niſi in illis, quæ, ſive expreſſim, ſive per conſequentiam, Spiritus S. docuit, ut ita fides noſtra non ex hominibus, ſed ex DEO ſit. Verba, ſine rebus, etiam elegantiſſimè polita, delectant aures, non ſatiant animum, non magè quam comtarum equidem, ſed vacuarum patinarum ordinata congeries. Nemo facilius hæſitabit in propoſitione, quam qui totus in verbis ponendis hæſit, cum è contrario, veritates ſacræ probè perceptæ, fide, ſenſuque proprio confirmatæ, abundantem dicendi materiam ſuppeditant. *Job.* VII, 18. Hinc etiam non deſunt, qui omnem artem oratoriam in ſacris improbant. *Spenerus*, in *Conſiliis Theologicis*, nullos ſeſe, de oratoria Eccleſiaſtica, libros legiſſe teſtatur. Non ſunt pigmenta eloquii humani.

§. IX.

§. IX.

Sed apparatus ad conciones,

Ne autem paſtor auditorium aut jejunis ſemper ſermonibus diſtineat, aut ipſemet aliorum perpetuô vitulo arare cogatur, b) *apparatus*, *tum* ad conciones *in genere*, tum ad textum ſuum *in ſpecie* illi neceſſarius eſt.

§. X.

Tum in genere. 1) Cognitio linguarum ſacrarum,

In genere requiritur, ut 1) LINGUARUM SACRARUM eam habeat *notitiam*, quæ ad intelligendam *emphaſin vocum*, &, in quo haud infeliciter hodie laboratum fuit, *propriam* atque *formalem* eorum *ſignificationem*, itemque exactam *rei definitionem* facit. In hunc finem non ſatis commendari poſſunt *Samuelis Boblii Diſſert. de formali ſignificatione vocum*, &, qui ejus inſtitutum feliciſſimè proſecutus eſt, *Jacobus Guſſetius* in *Commentario Linguæ Hebraicæ*, (qui nuper, ſub Titulo *Lexici Hebr.*, *Lipſiæ* 1743. prodiit) cum quo tamen conjungi poterunt *Lexicon Hebr. Cocceji*, cum addidamentis *Maji*, item *Scheureri* Lexicon, *Schefferi hebræiſches Wörter-Buch*; in *Græcis*, poſt *Henr. Stephanum*, *Budæum*, *Scapulam*, operam non contemnendam poſuêre *Leighius*, *Paſor*, *Chriſtianus Stockius*.

2) Antiquitatum Judaicarum & græcarum,

Ut 2) ANTIQUITATUM, *Judaicarum* maxime & *Græcarum* cognitione qualitercunque imbutus ſit, quô faciunt, quoad HEBRÆAS, opera & ſcripta *Surenhuſii*, qui *Miſchnam Talmudis*, ex variorum verſionibus, etiam ſuis, licet non ubique ſatis feliciter, edidit, *Goodwini* cum *notis Hottingeri*, item *Relandi Antiq. Sacr.* pariter *Ikenii* Theologi Bremenſis, Exercitationes *Buxtorffii* & *Hottingeri*, Diſſertationes *Jacobi Altingii* Oper. Tom. V. itidem opera *Lightfooti*, *Lundii*, *Braunii*, *Cocceji Sanhedrin*, & *Maccoth*. *Ainsworthi in Pentateuchum*, *Seldeni*, *Gatakeri*, *Spenceri de Legibus Hebr.* *Wagenſeilii ſota* & *tela ignea Satanæ*, *Scheringhami Joma*, *Francii ſchola ſacrificiorum*, *Outramus* de *ſacrificiis*, *Cramerus* Tigurinus de *ara exteriore*, Tractatus pariter & Diſſertationes *Ludovici de Veil*, *Rhenferdii*, *Witſii*, *Pfeifferi*, *Sennerti*, *Friſchmuthi*, Ægidii, *Strauchii*, *Danzii*, Conſtantini *L' Empereur* Sebaſt. *Schmidii*, inprimis *Daſſovii obſervationes ad ſcholia critica in Leviticum*. GRÆ-

CARUM

Digitized by Google

carum antiquitatum prolixum & integrum ſyſtema, in collectione ſua exhibet *Gronovius*, romanarum autem *Grævius*, *Roſinus* & *Kippingius*, adde ſcripta *Meurſii*, qui græcas antiquitates optimè calluit. 3) Ut vias DEI in ipſius ſanctuario, ſive Historiam Ecclesiasticam, per tempora *veteris* & *novi teſtamenti* perſpectas & exploratas habeat. Hinc operæ pretium erit, ut evolvantur *Uſſerii Annales* V. T. *Buddei Hiſt. Eccleſ.* V. T. *Suiceri fata orbis & Eccleſiæ*, *Binghami origines Eccleſ.* Tom. II. Opera *Spanhemii*, itemque *Humphrey Prideaux connexio* V. & N. T. *cum hiſtoria profana* Pars I. & II. Opera *Flavii Ioſephi Basnage* & *Tilemont Hiſt. Jud. Gurtleri Hiſt. orbis terrarum*, *Momma* & *Majus de œconomiis divinis*, & hujus etiam *œconomia judiciorum DEI*, *Gurtleri Theologia Prophetica*, &, quoad hiſtoriam N. T. *Hottingeri* & *Weismanni Hiſt. Eccleſ. compendium* itidem *Gothanum*. Sic & in *Joachimi* abbatis *Harmonia* multa etiam inveniuntur egregia. Cumque ſapientia æterna in verbo non minus atque mundo ludat, atque opera gratiæ & gloriæ per opera naturæ adumbret, illaque per *Phraſes* ab his petitas paſſim, in S. Literis, illuſtret, hinc & 4) requiritur, ut paſtor & de his clarum ſibi conceptum formet. Videantur ergo ad hæc, præter *Bernhardi* opera, *Bernh. Nieuwentyt Betrachtung der Welt*, *Bocharti Hierozoicon*, & ſcriptores de rebus typicis & emblematicis, v. g. *Gurtleri voces Typico-Propheticæ*. Ut 5) porro virtutum christianarum *characteres* proprios, & potiores *actus* ſciat, atque, quidquid ſive illis illuſtrandis, ſive confirmandis inſervit, cummaximè ex S. Literis, probè obſervet, & vel, ob memoriæ fragilitatem, in adverſaria ſua referat. Huic labori inſervient, poſt veteres, *Theophraſti* Ereſii *characteres morum*, quos *Iſaacus Caſaubonus* notis doctiſſimis illuſtravit, ſcripta moralia *Speneri*, *Franckii*, *Breithauptii*, *Baieri*, *Vitringæ*, *Hornbeckii*, *van Til*, *Buddei Theol. Moralis*, *Maſtrichtii Theol. Pract. Hottingeri Inſtit. Moral.* Partes tres; cumprimis quoad casus conscientiæ, opera & labores *Perkinſii*, *Ioſephi Halls* & *Sanderſonii Sermones de caſibus conſcientiæ*, *Speneri Conſilia Theol.* Latina pariter & Germanica. Cumprimis autem 6) oportet, ut potens ſit in Scripturis S., eumque

3) Hiſtoria Eccleſiaſticæ V. & N. T.

4) Operum naturæ, gratiæ, gloriæ.

5) Characterum virtutum.

6) Et Scri[pturæ]

pturæ S. in genere.

que in finem (*) REGULAS HERMENEUTICAS, generales & ſpeciales, habeat exploratas, quarum beneficio *ſenſum* literalem *proprium*, in *grammaticis*, & *improprium*, in *rhetoricis*, eruere, & S. Literas, etiam cum ſingulari emphaſi, intelligere poſſit. Legat itaque *Auguſtini* libros de *doctrina Chriſtiana*, *Buxtorffii Theſaur. Grammat.* *Glaſſii Philolog. Sacr.* *Flacii* Illyrici *clavem Scripturæ*, Joh Conr. *Dannhaueri Hermeneut. Sacr.* & *ideam boni interpretis*, Herm. *von der Hard Elementa Exeg.*, Barthol. *Majeri Philol. Sacr.*, Wolfg. *Franzii* Tract. *de Interpret. S. Scripturæ.* *Gatakerum de ſtylo* N. T. Herm. *Franckii Poſit. Hermeneut.* Joh. *Franckii Diacrit.* Sacr., *Pfeifferi Crit. Sacr.*, *Riveti Iſagogen*, *Rambachii Hermeneut.* *S. Leusdeni Philol.* Hebr., *Hottingeri Theſaur. Philol.* Deinde (**) operæ pretium erit, ut SACRÆ SCRIPTURÆ *totius* DISPOSITIONEM, & licet non ſingulorum capitum, tamen *librorum ſacrorum argumentum*, *ſcopum*, & *generaliores partes* memoriæ infigat, quibus probè retentis, citra moleſtum laborem, textus ſui ſcopum atque ſenſum perſpectum habere, & exponere poterit, maximè ſi Theologiæ cognitio ſolida, ad explicationem, & ethicæ Chriſtianæ, ad applicationem uberem, poſthæc materiam ſuppeditet. Hûc faciunt *Heideggeri Enchiridion Bibl.* & ad illud concinnatum *opus analyticum* Salom. *van Til.* De cœtero bibliothecæ exegeticæ inſtar, ratione *totius Scripturæ S.* eſſe poſſent *Biblia Hebraica Buxtorffii* cum commentariis *Jarchi*, *Kimchi* & *Aben Eſra*. *Biblia Venet.* cum ſuccinctis in totam Scripturam S. notis, *Commentarii Biblici Theologorum Anglicorum*, inque iis cummaxime *Gatakeri* labores, *notæ Belgarum* in totam Scripturam, Biblia *Gallica Diodati*, cum notis doctiſſimis, *Germanica Piſcatoris*, *Toſſani* & *Pfaffii*. EX INTERPRETIBUS autem *S. Scripturæ* primus omnino debetur locus *Coccejo* noſtro, cujus ſedula lectio docebit, quam egregium ille, divinarum veritatum theſaurum collegerit, & cum ſingulari fructu tractabitur, ſi quis priùs librum ejus *de fœderibus DEI*, & notas in *ultima Moſis* frequenter perlegerit. Poſt illum, meo ſaltem judicio, præ aliis commendari meretur *Petrus Martyr*, è cujus commentariis, & ſingularis ejus eruditio, & ſolidum judicium elucet, inprimis ad diſcutiendos quam plurimos conſci-

Digitized by Google

conſcientiæ caſus. Ad illum proximè accedunt *Gualtherus*, cui ſe multùm debere *Coccejus* ingenuè confeſſus eſt, deinde *Muſculus*, qui ſingulare ingenium monſtravit. Succinctè quorumlibet verſuum ſenſum dedit *Conr. Pellicanus*. In practicis, & iis quæ ad formandos mores faciunt, eminet *Calvinus*, & quoad N. T. *Marloratus*. Ex *Romano-Catholicis*, præ aliis, cum ſingulari eruditionis apparatu ſcripſère *Cornelius à Lapide* in X. Volum. *Jacobus Tirinus*, *Joh. Mariana*, *Toſtatus*, *Menochius* &c. Collectionem autem variarum interpretationum habemus in *Matth. Poli Synopſi Criticorum* Vol. I-V. Ut vero nosmet ipſi, noſtrâ diligentiâ, S. Scripturæ ſenſum inquirere queamus, opus etiam eſt CONCORDANTIIS, maximè *Hebraicis* & *Græcis*. *Buxtorffii* ad V. T. Hebr. *Conr. Kircheri* ad LXX. & *Schmidii* ad N. T. Videatur interim de hiſce omnibus *Joh. Franc. Buddei Iſagoge Hiſtorico-Theologica ad Theologiam univerſam.*

§. XI.

Juvat autem & *in ſpecie*, quoad *ſingulos* S. *Scripturæ libros*, referre, qui è melioribus ſunt interpretibus. Tum in ſpecie.

§. XII.

Ex commentariis in V. T. (a) ad PENTATEUCHUM laudari merentur, *ex veteribus*, tum *Chryſoſtomus*, tum, qui minori equidem utitur eloquio, majori tamen ſe commendat ingenio, *Theodoretus*, ex *recentioribus* autem labores *Pauli Fagii*, *Sebaſt. Munſteri*, &, quoad realia cummaxime, *Zanchii*, *Junii*, quibus jungi poteſt commentarius *Petri Martyris*, quamvis paulò imperfectior, quia ab hoc opere morte abreptus fuit. Ex Judæorum ſcriptis pentateuchum egregiè illuſtravit *Ainsworth* Anglus; *Rivetus* autem in diſcutiendis caſibus conſcientiæ ſolidus eſt. Et ſicuti *Polus* expoſitiones interpretum recentiorum, in totam Scripturam S. collegit; ita *Andr. Willetus* Anglus interpretationes ſcriptorum ſuperioris ævi, maximè à Reformatione, in priores pentateuchi partes exhibet. Curioſiora *Clericus* & quæ poriſmata concernunt *Babingthon* Anglus dedit. Illis qui expoſitiones Hebræorum collegêre, jungi etiam poterit *Joh. Mercerus*. Quoad Scripturam S. V. T.

cerus. Omnium autem inſtar, illuſtri compendio, pentateuchum expoſuit *Franc. Burmannus.* Præter laudatos interpretes pentateuchi ſpeciatim legi merentur *van Til* in *octo priora Capp.* GENESEOS, &, quoad Philoſophica, *Merſenni quæſtiones in geneſin*; In EXODUM conferantur *opera Lightfooti.* Ritualia in LEVITICO, præter ſupra laudatum *Daſſovium* in *obſerv.* ad *ſcholia critica in Levit.*, illuſtravit *Abarbanel* in *præfatione ad legem*, quam *Ludov. de Veil* in Latinum ſermonem convertit. Obſervationes autem practicas ex *Levitico* dedit *Spanhemius*, filius, in *Oper. Theol.* NUMEROS ſpecialiter & egregiè explicuit *Guiliel. Atterſol.* DEUTERONOMIUM vero *Jac. Altingius Oper. Tom. I.* *Ultima* denique *Moſis* doctiſſimè *Coccejus* illuſtravit. (b) In *librum* JOSUÆ videantur, poſt Veteres, *Auguſtinum, Theodoretum, Calvinus, Lavaterus, Wolphius, Borrhæus, Burmannus* & *Klinglerus*; ex Lutheranis *Brentius, Chytræus*; ex Pontificiis *Serarius*, &, qui *collegii* noſtri *ſapientiæ* prima quaſi fundamenta poſuit, *Andr. Maſius.* Cumprimis autem ad expoſitionem hujus libri facient *Bocharti Phaleg & Canaan*, atque *Relandi Palæſtina.* (c) *Librum* JUDICUM illuſtrarunt *Petr. Martyr, Lavaterus, Wolphius, Borrhæus, Druſius, Serarius*, &, ex Recentioribus, itidem *Burmannus, Sebaſt. Schmidius.* &, quoad veritatem hiſtoriæ hujus libri, conferri poſſunt *fragmenta* antiqui ſcriptoris gentilis *Sanchoniathonis*, quæ exſtant in *Euſebii Demonſtrat. Evangel.*, *Bocharti Phaleg*, & *Buddei Hiſt. Vet. Teſt.* (d) Ad *libellum* RUTH videri poſſunt *Petr. Martyr, Burmannus, Lavaterus, Merceerus, Fullerus* Anglus, & *Carpzovii Collectanea Rabb.* Typica autem hujus libelli illuſtrari poterunt ex abbatis *Joachimi Harmonia.* (e) Ad *libros* SAMUELIS conferri merentur *Martyr*, qui doctiſſimè ſcripſit in libros Samuelis, *Sebaſt Schmidius, Burmannus, Willetus*; Ad *libros* (f) autem REGUM & CHRONICORUM, itidem *Martyr, Wolphius, Zanchius, Burmannus*; Vitæ vero *Davidis* & *Salomonis* illuſtrandis inſervient labores *Georg. Serpilii*, antiſtitis Ratisbon. (g) ESRAM & NEHEMIAM illuſtrare *Wolphius, Lavaterus, Brentius, Mayer*, &, ex Anglis, *Pilkington*; iidemque pariter, una cum *Druſio, Gualthero*, & *Thom. Koopero* videri poſſunt (h) ad *librum* ESTHER. (i) Librum JOBI,

poſt

Digitized by Google

poſt Veteres, inprimis *Calvinum*, cujus *conciones* in Jobum prolixæ exſtant, *Borrbaum* & *Lavaterum*, ex recentioribus illuſtrarunt, *Coccejus*, Sebaſt. *Schmidius*; *Mercerus* expoſitiones Hæbræorum in Jobum edidit, & noviſſime Albert. *Schultens* pleraſque *Phraſes* in Jobo *difficiles*, ex *Arabica lingua*, ingenioſiſſime expoſuit, & *Philoſophica* hujus libri *Scheuchzerus* in *Phyſica Jobi*. (k) Nullus autem ſacrorum librorum tot interpretes nactus eſt, quam *liber* PSALMORUM; Ex Antiquioribus ſunt *Auguſtinus*, *Hieronymus*, *Hilarius* maxime & *Caſſiodorus*; Ex Pontificiis celebris eſt *Balthas. Corderii* S. J. *Catena græcorum patrum in Pſalmos Antwerpiæ* A. 1643 III. Volum. Ex Recentioribus, præ aliis interpretibus, commendari meretur, ob *voces Hebraicas* ſolidè expoſitas, *Geierus*, ob *analyſin* cum applicatione Prophetica, *van Til*, item, ob *titulos*, & *hiſtoriam*, convenienten his titulis, ex libris Samuelis, ſingulis ferè Pſalmis adjunctam, *Ford* Anglus, cum quo jungi poteſt *Irrhovius de Pſalmorum titulis*. *Scopum* uniuscujusque Pſalmi in compendio exhibuit *Gurtlerus* in *Theol. Prophet*; ſuccinctam *analyſin Jacob Altingius*, &, ex antiquioribus, *Scultetus*. Judæorum expoſitiones exſtant in *Joh. Vicars decuplis* in Pſalmos; *Poriſmata*, ex Pſalmis, ſic ſatis ingenioſa edidit *Mollerus*. (l) Ad PROVERBIA *Salomonis*, poſt Veteres, inque illis *Bedam* Tom. VII., legi merentur *Salazar* Jeſuita, quoad literam, ex græcis, romanisque auctoribus, expoſitam, itidemque, tum ob literam, tum ob ſenſum realem, *Leighius*, *Druſius*, *Geierus*, *Mercerus*, *Cartwrigthus*. Proverbia hæc cum aliorum Veterum proverbiis contulit *Duportus*; Ad priora IX. capita *Samuel. Bohlius*, vir ingenioſus, in *ethica ſacra*, commentarium edidit, & Cap. XXX. XXXI. inque his latentem Prophetiam *Hulſius Profeſſor Teutoburg.* prolixè expoſuit. (m) ECCLESIASTÆ ſenſum, ex Pontificiis *Joh.* de *Pineda*, ex Anglis *Cartwrightus*, itidem *Sebaſt. Schmidius*, *Martin. Geierus* ſic ſatis commodè expoſuêre. Ingenioſa quædam, in germanica expoſitione, *Chriſtoph. Seebach* dedit. Caput XII. *Hottingerus* medicus, & *Cornel. de Haſe*, itemque concionibus & eruditionis & ingenii plenis venerandus *Jablonski* illuſtrarunt. Obſervationes autem practicas, in hunc librum, & quandoque

 ſic

ſic ſatis ingenioſas dedit *Cotton* Anglus. (n) Cantici Canticorum interpretes ſunt *Placeus* Salmurienſis, *Heumſchius*, qui Epithalamium hoc in VII. periodos ingenioſè diſtinxit; ex Anglis, *Durham*, *Cotton*, ſenſum tamen melius dedêrunt *Brightmannus* & *Melchioris* in operibus ſuis. (o) Jesaiam *Prophetam* expoſuêre *Oecolampadius*, cujus labor in Jeſaiam valdè laudatur, & ſubſequentibus ſæpiùs uſui fuit, itemque, ex Pontificiis, *Caſp. Sanctius*, porro *Muſculus*, *Pitiſcus*, *Sam. Boblius*, inprimis, contra Judæos, *L'Empereur*, & ſuperiùs laudatus *Gatakerus*; omnium autem inſtar *Vitringa*. Ad Cap. XLIII. in ſpecie conferri merentur *Alex. Morus*, *Jac. Altingius* & *Sam. Andreæ* in duabus diſſertationibus doctiſſimis. (p) In Jeremiam, poſt Veteres, ex Pontificiis, *Sanctium*, *Maldonatum*, &, ex Lutheranis, *Bugenbagium*, *Sebaſt. Schmidium*, conferri merentur, ex noſtris, *Lavaterus*, *Toſſanus*, & cumprimis *Jac. Altingius*, qui *Oper. Tom.* I. totum Jeremiam prolixè expoſuit, itidemque tum in Prophetiam, tum in Threnos *Jeremiæ*, *Gatakerus* in ſupra laudatis *Commentariis Anglicis*, & ad hos Threnos etiam *Petr. Martyr*, *Oecolampadius*, atque, ex Anglis, *Broughtonus*. (q) Ezecheliem, poſt *Oecolampadium*, *Lavaterum*, *Sanctium* &, ex Anglis, *Guiliel. Greenbil*, doctiſſimè expoſuit *Villalpandus*, ſed paſſim à *Coccejo* noſtro correptus. Ad ultima hujus Prophetæ à Cap. XL. legi meretur *Vitringa* in peculiari tractatu *de templo Ezech.* (r) In Danielem ſcripsêre *Oecolampadius*, *Willetus*; excerpta variorum ſcriptorum dedit *Iconius*. Præ aliis tamen commendantur *L'Empereur*, *Broughtonus*, *Brightmannus*, *Geierus* & *Varenius*. In *Cap.* IX. vero *Hieron. van Alphen* Profeſſ. Theol. Ultraject. *commentarium* eruditum edidit (s) Ad Prophetas XII. minores legi merentur, ex Pontificiis, à *Caſtro*, *Ribera*, ex Lutheranis *Winkelmannus*, &, ex noſtris, *Druſius*, *Joh. Crocius*, ſpeciatim, quoad obſervationes practicas, *Hutchinſonius* Anglus. Adde *Abarbanelis prooemium in* XII. *Prophetas minores* Latinitate donatum à *Franc. ab Huſen*, in verſione & notis ad *commentarium* hujus Rabbini *in Hoſeam* Lugd. Batav. 1687. Sex *poſteriores* illuſtravit germanicè *Petr.* von *Hoeke*. Interpretes in ſpecie Hoseæ ſunt *Hieron. Zanchius*, *Andr. Rivetus*;

Digitized by Google

tius, *Sebaſt. Schmidius*, *Joh. Henr. Urſinus* Norimberg. Ad mentem Rabbinorum, in hunc Prophetam, videatur, præter laudatum ſupra *Franc.* ab *Huſen*, *Eduardum Pocockium*, qui ſimul etiam JOELEM ſpeciali commentario latinè, ſicuti *Joh. Jacob. Scheuermannus* germanicè, expoſuit. Ad *Joel* Cap. II. Eruditam diſſertationem compoſuit *Cornel. de Haſe*. In *vaticinia* AMOSI, ſupra laudatus *Joh. Henr. Urſinus* An. 1644. LIII. conciones, &, ex noſtris, *Georg. Dan. Pauli*, Inſp & Paſtor Alzeienſis, commentarium german. edidit. Ex interpretibus ad OBADIAM, *Oecolampadius*. *Joh. Pilkinton* Anglus, & *Outhoſſius*; ad JONAM, itidem *Joh. Henr. Urſinus*, *John King* Anglus, *Leusdeni Jonas illuſtratus*, & de *Piſce Jonæ Bochart*. in *Hierozoico* Part. II. Lib. V. Cap. XII. & de *Haſe* in *Leviathane* commendari poſſunt. MICHAM vero *Pocockius*, NAHUMUM, HABACUCUM &c. von *Hoeke*, *van Til* in *Phoſphoro Prophetico*, *Pocockius* & cum eo *Stokius* atque *Torsbellus* Angli illuſtrarunt.

§. XIII.

Ad NOVI TESTAMENTI dilucidationem ante omnia com- Reſpectu li-
mendari meretur *Joh. Millii* N. T. *græcum*, cui tantum non brorum SS.
omnes lectiones variantes inſeruntur, quod *Ludolphus Kuſterus* N. T. in ge-
Amſtelodami An. 1710. recudi curavit, licet *Millius* aliorum, nere.
inter quos *Daniel Witbby*, & ipſemet *Kuſterus* eſt, fervidam reprehenſionem evitare non potuerit. Interim ad illuſtrationem hujus N. T. cummaxime faciunt *Diſſertationes* & *Miſcellanea*, ingenti cumulo, hodie edita, ut ſunt *Joh. Cameronis Myrothecium Evangelicum*. *Ludov. Capelli ſpicilegium*. *Jacobi Capelli obſerv in* N. T. *Claudii Fraſſenii diſquiſitiones Bibl. Joh. Crojus* in *obſervat.* S. ad N. T *Joh. Dougtæi analecta*. S. cum *Nortoni Knatchbul animadverſ.* in N T *Theodorici Hackspanii notæ Philologico Theol.* in V. & N. T. Altdorff. 1664 *Dan. Feſſelii adverſaria ſacra*, *Sal. Deylingii obſerv* S. *Joh. Alberti Fabricii obſerv. ſelectæ* in varia loca N. T. *Cornelii Adami obſerv. Theologico-Philologicæ*, & ejusdem *exercitationes exegeticæ*, *Alberti obſervat.* Lugd. Batav. 1725. *Joſuæ Arndii Miſcellanea S.*, *Georg. Raphelii Annot.* in N. T. *Theophili Alethæi*, ſive, ſub hoc nomine latentium, *Laurentii*

Digitized by Google

rentii Mülleri, & *Jeremiæ Friderici Gründliche Erleuterung der dunckelſten Oerter* V. & N. T. *Theophili Amelii*, ſive *Petri Zornii Erörterung der dunckelſten und ſchwereſten Schrifft-Stellen im* N. T. *Joh. Chriſtoph. Kochii Obſerv. Miſcell.*, *Valent. Erneſt. Löſcheri Diſſert. Sacra*, *Hombergk Parerga Sacra*, *Elsneri Obſervat. Sacr.*, *Lightfoot Horæ Hebr.* & *Talmud. Wolfii Curæ Philolog.* His addi poſſunt, qui *de* STYLO N. T. an purè græcus ſit, an ſcateat Hebraismis, diſputâre, veluti *Vorſtius de Hebraismis* N. T. *Pfochenius* in *Diatriba* de *Linguæ Græcæ* N. T. *Puritate*, T. H. *van den Honert* & *Jac. Rhenferdius* in *Syntagm. Diſſert. de Stylo* N. T. *Gatakerus de Stylo* N. T., *J. Olearius* de *eodem argumento* cum animadverſionibus & notis *Joh Conr. Schwartzii*, *Balthaſar Stolbergius* in *Tract.* de *Soloecismis* & *Barbarismis Græcæ* N. T. *Dictioni falſo tributis Witteberg.* 1685. Sic & porro plures numero. HARMONIAM *quatuor* EVANGELISTARUM indicâre, veluti *Mart. Chemnitius*, *Polycarpus Lyſerus* & *Joh. Gerhardus*, conferantur etiam *Henr. Hammondus* in *Paraphr.* N. T. cum *notis Clerici*, *Bernh. Lamii* in *concordia* IV. *Evangeliſt. Lightfooti Harmonia*, *Cornel. Janſenii Comment.* in *Concordiam* & totam *Hiſt. Evang. Richardi Simonis* N. T. quod *Trevoltii* A. 1702. prodiit 4. Vol. in 8vo. *Frider. Spanhemii dubia Evangelica.* Ad PRAXIN inſerviet *Rodolph. Gualtherus* in *Homiliis* ſuis. CRISIN in plurima loca illuſtrat *Joh. Marckius* in *exercitationibus juvenilibus textual. ſelectis* & in *exercit. exeget. ad loca ſelecta* V. & N. T. PASSIONES J. C. *ultimas* explicuêre *Anton. Bynæus im gecreutzigten Chriſto*, *Joh. Caſp. Mercken in Obſervationibus Criticis in Paſſionem* J. C. item *Edmundus Merillus in notis Philolog. ad Paſſionem* J. C. & in aliquot Diſſert. *Chriſtoph. Matth. Pfaffius* in Hiſt. Paſſionis J. C.

§. XIV.

In ſpecie. MATTHÆUM 1) in ſpecie, poſt *Muſculum*, *Pareum*, *Spanhemium* utrumque, illuſtrarunt *Huyſinga*, van *Til*, *Joh. Gothofr. Olearius*, *Camero* in *Myrothecio Evangel.* 2) Ad MARCUM, præter modo laudatos, legi meretur *Georg. Frider. Heupelius in notis Grammatico-Hiſtorico-Criticis* Argentorati 1716. impreſſis.

3) In

Digitized by Google

3) In JOHANNEM omnium inſtar eſt Commentarius *Frid. Adolphi Lampe*, qui & in Præfatione Catalogum prolixum interpretum hujus Evangeliſtæ exhibet. 4) Ad ACTA APOSTOLICA videri poſſunt *Streſo*, *Pareus*, van *Leeuwen*, *Pearſonius* in *Annalibus Pauli*; *Herm. Witſii Prælect. de vita & rebus geſtis Pauli* Apoſt. in ejus *Meletem. Leidens.* item *Cave de vita Apoſtolorum.* 5) *Epiſtolam Pauli ad* ROMANOS, prolixis Commentariis, expoſuêre, & eruditis, quoad ipſam materiam, obſervationibus illuſtrâre *Muſculus*, *Martyr* & *Bucerus.* Integras *conciones* in eam edidit *Jac. Altingius.* Criticè illam & ſuccinctè conſideravit *Wittichius.* Interim cum fructu multo in illam legi poteſt *van Peene*, itemque *Zwingerus* in hanc Epiſtolam. Hiſtoriam Pauli, Romanorum & hujus Epiſtolæ ad Romanos T. H. van den *Honert* in *Prodromo ad hanc Epiſtolam* doctiſſimè dedit. 6) *Epiſtolas ad* CORINTHIOS, ex Veteribus, itidem *Martyr* & *Muſculus*, prolixè & eruditè explicuêre; &, ex Recentioribus, *utramque König* & *Biermannus*, priorem *Akersloot*, poſteriorem *van Alphen.* 7) In Epiſtolam *ad* GALATAS videantur *Spenerus*, cum praxi ingenioſâ, *Akersloot*, *van der Waeyen*, & optandum eſſet, ut *Codex Manuſcriptus Adriani Pauli* prodiret; 8) In *Epiſtolam* vero *ad* EPHESIOS legi merentur, poſt Veteres ſupra laudatos, *Rob. Bodius* Lond. 1662. *Knibbe* germanicè. Initium hujus Epiſtolæ doctiſſimè illuſtravit *Herm. Alex. Roellius.* 9) In eam ad PHILIPPENSES, *van der Hagen* & omnium inſtar *Dallæus* 10) ad COLOSSENSES, *Suicerus*, *Davenantius* Anglus, *Akersloot*, *Knibbe*, *D'Outrein*, 11) in *Epiſtolas ad* THESSALONICENSES, *Landreben*, in *priorem Muſculus*; in *poſteriorem* itidem *Muſculus* & *Streſo.* 12) In *Epiſtolas ad* TIMOTHEUM, *Calvinus*, *Dallæus* 13) *ad* TITUM itidem *Dallæus*, porro *Outhoffius*, conferantur H. A. *Franckii Lectiones Paranet.* & *Gerb* van *Maeſtricht Exercit.* in hanc Epiſtolam. 14) In eam ad PHILEMONEM ſuccinctam exegeſin dedit *Chriſt. Frider. Franckenſtein* in *obſervationibus* ad hanc Epiſtolam. Multorum inprimis operam impenſam videmus 15) in *Epiſtolam ad* HEBRÆOS, quam, ex *Anglis*, tribus Tomis in folio, cum multiplici eruditione, expoſuit *Owenus*, & exactam in illam analyſin, ſolidamque græcarum vocum expo-

Digitized by Google

ſitionem dedit *Thom. Gouge.* Ex *Pontificiis* legi meretur *Ludov. Tena*; ex *Lutheranis* vero *Sebaſt. Schmidius*, & *Franckius* in *Lect. Paranet.* atque ex noſtris, *Braunius*, qui antiquitates Judaicas ad illuſtrationem hujus Epiſtolæ adhibuit, *van Hoeke*, *Creigton*, *D'Outrein*, *Joh. Meſtrezat* V. Volum. *Sermonum Gallic.* Cap. I-IX. expoſuit *Jac. Altingius* Oper. Tom. IV. 16) Interpretes *Epiſtolæ* Jacobi ſunt, ex Anglis, *Dikſon*, porro *Paræus* & *Antonides*, videatur etiam *Hadr. Junius Oper. Tom.* II. 17) In *Epiſtolas* Petri ſcripsêre *Byfield*, *Adamus*, & *Thom. Smith*, item *Dikſon*, *Pocockius* Angli, germanicè vero *Antonides.* 18) In *Epiſtolas* Johannis, præter Anglos, *Cottonum* & *Dikſonum*, videri merentur *van Staveren*, *Creigton*, &, ex Lutheranis, *Spenerus.* 19) Ad *Epiſtolam* Judæ vero, ex Anglis, *Jenkyn*, *Dikſon*, *Broughthon*, dein *Viſcherus* belgicè, &, quoad elegantiſſimam analyſin, *Herm. Witſius* in *Meletem. Leidens.* Denique 20) in Apocalypsin *Johannis*, poſt Veteres, *Forbeſius*, *Medus*, & *Vitringa* conferantur *Petr. Jurieu accompliſſemens des Propheties*, &, ad ultima capita, *D'Outrein Nova Hieroſolyma*, & tandem germanicè *Scheurmann* in apocalypſin.

§. XV.

Preces ad Deum.

c) Ut autem, per præconium Verbi, homines ad fidem perducere queat paſtor, meditationes ſuas à *precibus* ardentibus ordiatur opus eſt. Rectiſſimè *Auguſtinus*: „Agat quantum poteſt, cum iſta dicit, ut intelligenter, ut libenter, ut obedienter audiatur, & magis orationum pietate, quam oratorum facultate ſe poſſe non dubitet. Mirè olim laudabatur *Facundia Tauleri*, & totam ille huic maximè principio tribuit, quod ab orationibus prolixis & fervidis in Cathedram aſcenderit. Coram Deo certè ſanctè meditamur, quæ coram hominibus cum fructu dicenda ſunt. Itaque paſtor tum gratias agat Deo, quod Miniſter Evangelii factus ſit, juxta donum gratiæ ejus, tum teſtetur ſincerum animum, in hoc argumento nonniſi religioſè & prudenter verſandi, quod, in domo Dei, nonniſi ex Deo, & coram Deo, de Deo in Chriſto loqui cogitet, tum denique rogabit Deum, ut ipſi *intùs* det intellectum & prudentiam

tiam in omnibus, *extùs* ſermonem Dei loquendi cum libertate & diſcretione ad τὸ λαλεῖν ὡς λόγια Θεοῦ, & aperiat ipſe fores Verbo in cordibus auditorum. Certè ſi *Pericles*, Athenienſium prætor, ſuggeſtum aſcenſurus diis antea vota fecit, ne Verbum imprudenter exeat, quantò magè id Miniſtris Verbi divini faciendum erit.

§. XVI.

d) Requiritur etiam, ut præconii hujus *intentio ſancta* ſemper & impolluta ſit, proin inde ſequeſtrata à cupidine lucri, hinc ab aucupio vanæ gloriæ, tota eò directa, ut Chriſto animas lucremur, ipſeque, vel per infirmitâtes noſtras, glorificetur. In hunc finem *Taylor*, in practicis optimè verſatus Anglus inter alia utile eſſe credidit, ſi labor paſtoris ſemper in medio verſetur, nec unquam ſibi proponat, ſe pro omnibus ſuis viribus ſermonem ſuum elaboraturum. Optima meliorum concionum ratio ea eſt, ſi primarius illarum fons non ingenium noſtrum, ſed gratia Spiritus S. erit, qui, ſecundum promiſſionem Chriſti, *Matth.* X, 20. & piis Miniſtris in hac hora dabit, quæ loqui debeant. Saltem illud quod à Deo eſt, ad Deum etiam tendit. Aquæ è terra ſcaturientes non evehent in cœlum. Ex proprio corde nihil fluit, quod ædificat. *Ezech.* XIII, 3. Unde hic labor cumprimis cum ſui abnegatione inſtituendus eſt. Intentio ſancta.

e) Quia vero Spiritus S. mediatè agit, & ad ſuam operationem ſtudium noſtrum requirit, quia Deus & Deus ordinis eſt, hinc &, vel in illis quæ à Deo ſunt, *ordine* opus eſt. Ipſe *Paulus*, qui ab omni prærogativa ſermonis humanæ ſapientiæ alieniſſimus erat, ſolidiſſimâ tamen *methodo in Epiſtolis* ſuis uſus fuit. Imo tota *Scriptura S.* à principiis ad concluſiones progreditur; nec nocet etiam, ſed plurimum prodeſt ad verba emphatica reſpicere. *Eccleſiaſtes*, in præſtantiſſima concione, *quæſivit* inde *verba deſiderii*, quæ tum ſuo, tum auditorum deſiderio ſatisfaciant, hinc vero etiam, ſine qua nihil deſiderabile eſt animæ ſalutis cupidæ, *rectitudinem*, *verba veriſſima*; &, ubi hæc duo junguntur, *verba ſapientum* erant *partim ſicuti aculei*, qui Methodus ſive ordo.

animum pungunt, cor penetrant, ad Chriſtum, tanquam Caput, per fidem, ad proximum, per charitatem, & ad ſuimet ipſius pœnitentiam compellunt; *partim ſicuti clavi*, qui altè memoriæ infiguntur, & ad ſemet ipſos compulſos firmiter compingunt. *Eccleſ.* XII, 10. 11. (12. 13.)

Sectio III.

De Textibus Concionum.

§. XVII.

Textus concionum.

Primum vero in ordine illo eſt, ut *de themate tractando ſolicitus ſit Orator S.*, certum enim & utile, cum Judicio, ſeligendum eſt argumentum; rectè autem, in illo judicio, quoad eligendum thema, verſabitur, ſi, ratione tum ſui, tum auditorii habitâ, tale ſibi proponat argumentum, quod ad ædificationem ſui cœtus facere poſſe, ſub auxilio divinæ gratiæ, certo ſibi polliceri poterit. Ita *Petrus* I. *Epiſt.* Cap. IV, 11. hoc disertè poſtulat, ut, *ſi quis loquatur*, nempe, ex antecedentibus, non modo in Eccleſia, ſed & ad Eccleſiam, cum ea auctoritate, & ἐπιταγῇ quam Chriſtus ei conceſſit, *loquatur ille ὡς λόγια Θεοῦ*; proinde talia, quæ, & quoad materiam, & quoad modum, vicem ferant oraculi divini, tam ſanctè, fideliter, gnaviter, graviter propoſita, ut in ejus ore nec ἀξιοπιστίαν, nec effectum ſuum amittant. Quale autem argumentum illud eſſe, aut non eſſe debeat, *Paulus* 1. *Timoth.* I, 4. 5. clarè indicat; ſcilicet *hunc eſſe finem*, hoc proinde etiam argumentum παραγγελίας, non mandati ſaltem, ſed *denunciationis* cum *mandato*, *charitatem*, ſcilicet tum Dei, tum proximi, eamque talem, *quæ*, ſolidum fundamentum, *puritatem cordis*, teſtimonium certum, *conſcientiam bonam*, &c. radicem fixam atque ordinatam, *fidem impollutam habeat*, mediante qua omnes actus ad charitatem, & in ea diriguntur; è contrario vero improbantur à *Paulo*, & pro ματαιολογίᾳ habentur, quæ inde, ratione originis, *fabulæ* tantum ſunt ἄδηλοι, πιθανολογίαι, quæ nomine & eloquio humano tantum nituntur, & quæ,

quæ, ratione uſûs, *ſimiles* ſunt *genealogiis* infinitæ inquiſitionis, cum quibus conveniunt argumenta purè critica, curioſa, ſubtilia, inextricabilia, de quibus eleganter in *Epiſt.* ad *Titum* Cap. III. vel in ipſo ordine, quod à quæſtionibus iſtiusmodi ſtultis ad genealogias, inquiſitiones originis & ſucceſſionis, hinc vero ad contradictiones & lites tranſitus detur. Hoc deplorarunt fideles ante reformationem in *Concionibus Monachorum*, ut *Erasmus* in *Colloquio*, quod *Concionis* nomine inſignivit, refert; „ expetiviſſe concionatoribus illis, in populo Chriſtiano ſuperſtitionis eſſe quamplurimùm, pietatis quam minimùm; ſi mera „ critica ſunt, quæ tractantur, intereſſe concionatoribus, dici „ poſſet, in populo Chriſtiano multum vanæ eruditionis, parum ſolidæ pietatis eſſe. “

§. XVIII.

Quia vero themata tractanda non modo ex Scriptura S. ſunt demonſtranda, ſed etiam ad textum quendam Scripturæ S. V & N. T. proponenda, *non ſine matura rei deliberatione textus ipſe ſeligendus* eſt. Superſtruitur Eccleſia ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Unica fidei, ſpei, & charitatis regula eſt Scriptura S. Undè & in *Concilio Laodiceno* canone 59. & abhinc frequenter injunctum eſt, ut *Apogryphi Libri* in Eccleſia nec legantur, nec tractentur. Quamvis autem non infrequens in Eccleſia Chriſtiana fuerit, etiam citra Scripturæ S. textum, argumenta theoretica & practica publicè proponendi, ut omnes SS. *Macariorum Homiliæ* ſpeciali textu carent, quia tamen, in ſpecie per orationes in laudem ſanctorum habitas pro cathedra, aliaque ejus generis argumenta, homines ſenſim & à cultu ſolius Dei, & à fide veritatum S. Scripturæ abducebantur, hinc utile viſum, ut fons, unde ſermo noſter fluat, præponatur. Et ſunt etiam iſtiusmodi conciones textuales, ab antiquiſſimis temporibus, in uſu. *Moſes* & *Prophetæ* legebantur in Synagogis, iisque adjungebatur *paraphraſis* & applicatio, ut cumprimis ex prolixa *paraphraſi Chaldaica in Canticum* apparet. Ex *Synagogis*, ut alia, ita mos ille translatus fuit legendi, in Eccleſiis Chriſtianis, Scripturam S., & illi lectæ ſubjungendi adhortationes,

Seligendi ex Scriptura S.

nes, quas lectio ſuppeditabat, cumprimis libri illius, quem, ut tractaretur, Epiſcopus injunxerat; vel etiam fortuitò, ut ferebat occaſio, quædam legebantur, inſciis illis, unde extemporalis concionis argumenta petebantur. Ita eleganter *Auguſtinus Sermone 63. in Evang. Johannis: Lectio propoſuit nobis unde loquamur, tanquam Domini imperio, ab illo exſpectavit cor meum, tanquam juſſionem proferendi Sermonis, ut hinc intelligerem loqui me velle, quod recitari ipſe voluiſſet.*

§. XIX.

Sunt vel ſtati.

Sunt autem TEXTUS partim STATI, partim LIBERI USUS & obſervationis. STATI, qui, per *circulum anni*, in *Pericopis ex Evangeliis* petitis, quæ *dominicalia* vocantur, extant, vel in certis, *Paſſionis dominicæ*, ſectionibus. De hiſce *Pericopis Evangeliorum dominicalium* hæc obſervamus: a) *Eſſe eas* equidem ſic ſatis *antiquas*, nec tantùm, ut vulgò judicatur, à *Caroli M.* temporibus, & initio Seculi IX. introductas, quia *homiliæ* illæ, quas *Carolus* M. ex *ſcriptis Patrum* excerpi curabat, per circulum anni legendas, ad hoſce textus, has pericopas adaptatæ fuerunt, ut pridem ante in uſu fuerint, neque certus illorum auctor allegari aut probari poterit. Videatur *Joh. Henr. Thamerus, de origine & dignitate Pericoparum, quæ Evangelia & Epiſtolæ vulgo vocantur. Jenæ* 1716. b) Eſſe eas etiam, pro rudioribus, *ſic ſatis utiles*, cum in illis totum ſalutis noſtræ, per Jeſum Chriſtum, impetratæ myſterium, una cum ipſis factis, & potioribus doctrinæ partibus proponatur; hinc &, (c) cummaximè *in Eccleſiis, in quibus rudiores ſunt*, non prorſus omittendas, quod propter annuas repetitiones, & incalcationes hæc, ab illis quibus parum temporis, & otii, ad ſublimiores meditationes, ſupereſt, melius capi poſſunt, atque adeo in his myſteria Chriſti illis familiariùs cognita ſunt; *Non omittendas* d) cumprimis, ſi id *ingratiis auditorii* fieret, quia cæteroquin idem paſtoribus eveniret, reſpectu concionum illarum, quod *Auguſtino* evenit, in *Lectione Hiſtoriæ Paſſionis Chriſti*, de qua in Sermone 144 ſcribit: Paſſio, quia una die legitur, non ſolet legi, niſi ſecundum Matthæum; volueram aliquando, ut, per ſingulos annos

Digitized by Google

nos, ſecundum omnes Evangeliſtas etiam paſſio legeretur, "
factum eſt, non audiverunt homines, quod conſueverint "
prius audire, & perturbatum eſt. Interim (e) in ampliori "
bus civitatibus, & ubi ſunt, qui, in myſteriis veritatis, inſtru-
ctiores ſunt, ad incrementum fidei non opus eſt, ut ſuperſti-
tiosè iis ſemper adſtrictus maneat Evangelii miniſter, ſed, pro
Eccleſiæ neceſſitate, ad promovendam cognitionem, vel gemi-
na illis, vel alia etiam, ut fert auditorii ratio, tractare pote-
runt.

§. XX.

Vel liberè uſus; ita ut tractentur

Ita enim in LIBERIS TEXTIBUS varia & multiplex, ædificationem promovendi, occaſio eſt. Sic *primò* ſingulari commodo eſt, pro paſtore ipſo, ne diſtrahatur nimis cura quærendi textum, quem proponat, & qui auditorio inſervire poſſet, ſi *integrum* quendam *S. Scripturæ librum*, pro concione, explicet, *excerptâ*, in eum finem, *Sectione quadam*, ſi fieri queat, *majore.* Integra libri ſeries menti fortiùs inhæret, ut lectio integri libri, ejus contenta memoriæ altiùs infigit, quam ſi, oculo quaſi fugitivo, hoc illudve, in eodem, obſervaverimus. Nexus in ſerie occurrens, vim ſingularem habet, Veritatem efficacius commendandi ad conſcientiam; datur etiam ſic quotidie uberior progreſſus in cognitione S. Literarum, pateſiunt nobis divitiæ S. Scripturæ, ad formandam pietatem, in Poriſmatibus, quæ inde eliciuntur, quæque, quo ſimpliciora ſunt, & paucioribus proponuntur, eò meliùs etiam memoriæ infiguntur; Ita certè, Judæi & Chriſtiani, cum brevibus obſervationibus, totos S. Scripturæ libros citius expoſuêre. Huic *Methodo* non tantum tot *Commentarios Veterum*, *Auguſtini*, *Ambroſii*, *Cyrilli*, *Hilarii*, & aliorum, ſed cummaximè etiam, *recentiorum* Doctorum, debemus ingenioſas *Calvini*, & maximè *Muſculi*, *Gualtheri* commentationes, ex eorum homiliis ortas, quales, cum varia & multiplici eruditione, qua reliquis omnibus præſtabat, ſupra jam laudatus *Petrus Martyr* edidit. In ſeligendo autem tali libro ſacro, pro concione explicando, Paſtori ratio auditorii, & circumſtantiarum loci atque temporis habenda eſt; cum-

vel integer Scripturæ S. liber.

Digitized by Google

primis ne ſcripta difficiliora, quæ captum populi excedunt, pro perpetuo concionum argumento eligantur.

§. XXI.

Vel textus, qui ſummam libri continet.

Quodſi vero prolixior ille labor eſſe videatur, quam ut ſcopum ſibi propoſitum ſe aſſecuturum ſperet Paſtor, ad intelligentiam tamen S. Scripturæ multum conferret, ſi *textus* tales eligerentur, *in quibus ſumma* ſi non *totius libri*, ſaltem *maximæ partis* ejusdem proponitur. Minores etiam partes quasdam, præ aliis, commodè tractari poſſe, docemur *exemplo ſervatoris* noſtri *Luc.* IV, 17 18. Quia vero cognitio S. Literarum baſis eſt omnis notitiæ ſalutaris, haud è re erit, ſi tamen, auditorio ſuo, Paſtor qualemcunque guſtum totius S. Scripturæ daret, idque facile fieri poteſt per illos textus, qui nobis totum quaſi librum, in compendio, referunt. Ita *Hiſtoriam* V. T ferè totam, auditorio noſtro, familiarem redderemus per explicationem *Hebr.* Cap. XI. 1. *Corinth.* X. & *Pſal.* LXXVIII. *Summam dictorum ab Eliphazo*, & amicis ejus, ut repetamus, huc nos duceret *Job.* XLII, 7. *Octo* integra priora *Capita Proverbiorum*, in compendio quis exponere poſſet ad *Proverb.* Cap. IX, 1. ſi per VII. illas columnas, quod haud improbabile eſt, ſeptem veræ ſapientiæ baſes, de quibus, in octo anterioribus capitibus, actum, intelligantur. Totam *Eccleſiaſtæ concionem*, in ſumma, ſiſtit *Eccleſ.* XII, 15. (13.) Sic tota *Hiſtoria Evangelica*, ad quintuplicem, diſcipulorum Chriſti, vocationem exponi poſſet. *Summa Epiſtolæ* ad *Romanos*, Cap I, 16 ad *Galatas*, Cap. I. 6. 7. ad *Ephesios*, Cap. I, 17 18. ad *Philippenſes*, Cap. I, 27. *Prioris ad Theſſal.* Cap. I, 4. Epiſtolæ ad *Hebræos*, Cap. XIII, 21. *Jacobi*, Cap. I, 4. 1. *Epiſt Joh.* Cap I, 4. & Cap. V, 13. in compendio occurrit.

§. XXII.

Vel textus dogmatici.

Cum interim fides noſtra non tam in libris, quam in teſtimoniis librorum fundetur, poterit eadem illa Veritas, quæ eſt ſecundum pietatem in Textibus Dogmaticis proponi. Fides radix virtutis eſt, ergo nunquam hærendum eſt, quod

Armi-

Arminiani amant, in textibus mere practicis, ſed in id juxta elaborandum, ut omnibus & ſingulis, ſimplex equidem, ſed ſolida tamen, *veritatis cognitio* inſtilletur. In hunc finem 1) præmittenda eſt generalis quædam veritatum συγγραφία ex iſtiusmodi textibus, qui myſteria Religionis, in quodam quaſi compendio, exhibent. E. G. *Coloſſ.* II, 2. 3. videatur ad hunc locum *Suicerus*, item 2. *Tim.* III, 16. vid. *Pictetus* in Diſſertationibus ipſius, *Tit.* I, 1. 2. & *Coccejus* ad hunc locum. *Hebr.* VI, 1. 2. & Jac. *Altingius* ad h. l. porro *Pſal.* XVIII, 31. 2) In id juxta elaborandum, ut qui etiamnum rudes ſunt, lactis recte participes fiant, adeoque, poſt ideam generalem, primæ Veritates, & quoad rem, & quoad confirmationem rei, ad conſcientiam commendari deberent. Jam hûc equidem *conciones Catechetica* ducunt, juſtum tamen eſt, ut, maxime ubi nullæ conciones Catecheticæ habentur, diſtincti textus ſeligantur, & ſedes materiarum ſolicite colligantur, ut, ex illis, veritates proponantur, inque his cumprimis eò reſpiciendum eſt, ut ante omnia *DEUS* ipſe, ejusque *virtutes* & *perfectiones* ab omnibus cognoſcantur. Hûc ducerent e. g. *in genere* textus *Exod.* XXXIV, 6. 7. *Jerem.* XVII, 23. 24. 2. *Corinth.* III, 18. Ita etiam de *homine inſtituto*, *deſtituto*, *reſtituto*; de *operibus natura*, *gratia*, *gloria* erit agendum, tumque progrediendum ad *perfectiora*, de quibus, in compendio, *Paulus* agit 1. *Corinth.* II, 6. & 1. *Corinth* III, 12. cujus ſapientiæ teſtimonia in collatione etiam *typorum*, & *umbrarum*, cum corpore dari equidem poterunt, ſed tum cummaxime, quando veritates neceſſariæ, in omnibus ſuis partibus, & cum nexu inter illas, fuerint propoſitæ. Cavendum autem omnino erit, ne, coram imperita multitudine, quæſtiones altiores & difficiliores, vel ſemper, vel frequentiùs, tractentur. Popularitas ex maximis concionantis virtutibus eſt, ad conciliandos & permovendos animos, majoris efficaciæ quam putari poſſet. Hoc in laude *Baſilii* ponitur à *Gregorio Nyſſeno*, & *Chryſoſtomi* à *Metaphraſte*, qui de Præd. ſtinatione, gratia, & libero arbitrio pauca propoſuit, id potius urgens, nolle omnia ſcire, ſummam ſapientiam eſſe. Videatur *Ferrarius de ſacris concionibus* lib. II, c. 18.

 §. XXIII.

Digitized by Google

§. XXIII.

Vel Elenchtici.

Veritas autem non tantum indicanda, ſed etiam *vindicanda* eſt, nec contra vitia tantum, ſed etiam *contra errores* pugnandum, & pro fide ſemel tradita ſanctè decertandum, non modo frequentius in uſibus ELENCHTICIS, ſed etiam quandoque in CONCIONIBUS integris, ſcilicet ſi, præter veritatem, διχοςασίαι & ſcandala de novo invehantur, ſi atroces, in doctrinam veritatis blasphemiæ effundantur, inſtetque evidens ſeductionis periculum. Tota Scriptura utilis etiam eſt ad ἔλεγχον. 2. *Tim.* III, 16. Hæreticis hominibus os obturandum eſt. *Tit.* I, 9. 10 11. Monendi fideles, ut ſibi caveant à Pſeudo-Prophetis *Matth* VII, 15. Obſervandum tamen, a) ne id absque neceſſitate, & juſtò frequentius fiat, nimiis concionibus Elenchticis, & libidine contradicendi, magnam univerſali illi, quæ in Eccleſiam Evangelicam irrepſit, corruptioni, anſam datam, &, cum Sermonibus iſtiusmodi, per *Collegia Adiaphoriſtica* MEISNERI & aliorum, illam haud parum promotam fuiſſe à VOCKERODTIO, in doctiſſimo *Tractatu de Adiaphoris*, obſervatum fuit. b) Præſtare etiam Theſeos noſtræ vindicationem ſolidam atque modeſtam, quam Antitheſis continuas refutationes, quia, ad ſalutem noſtram, ſcire non intereſt, num alter erret, ſed quæ à nobis requirantur, quod pluribus probavit *Samuel* WERENFELSIUS in *Diſſert. Apologet. pro judicio Plebis de Dogmatibus fidei.* c) In concionibus, ad hunc finem, inſtitutis præſtare, &, aliquando ſaltem, utilius eſſe, ſi totius doctrinæ ſalutari vindiciæ proponantur, quam ſi ſingulæ veritates, contra adverſarios, ex profeſſo vindicentur; ita enim ſimul nexus veritatis apparet, hûcque referri poſſent loca 2 *Corinth.* II, 17. 2. *Corinth.* IV, 2. *Matth.* VII, 1. ubi, ſi natura, & periculum judicii temerarii, in communi fuerit expoſitum, id, non ſine fructu, in ſpecie adverſariis applicari poſſet, nulli eorum cauſam ſonticam eſſe, tam duriter & inclementer de nobis judicandi. d) Ob metum tamen ſeductionis etiam adverſariorum Antitheſis, vel in communi, atque in ſuo nexu, vel in particularibus dogmatibus proponi poteſt, quod ut ſolidè pariter & modeſte

Digitized by Google

deſtè fiat, prudentiam Eccleſiaſticam requirit. Erroris periculum indicari poteſt, ſed perſonæ DEI judicio relinquantur. Quò vero rariùs iſtiusmodi conciones elenchticæ habendæ ſunt, eo majori cura ſelectus in refutandis erroribus habendus eſt, merenturque ante omnia iſtiusmodi refutationem ſeriam, errores illi, quibus voluntas & vita polluitur, qui rectà tendunt ad ſubruenda fundamenta pietatis. *Arma* noſtra *ſpiritualia potentia* ſunt *ad deſtruendum* inde ὀχυρώματα, ſive doctrinas illas, quæ defendendo peccato inſerviunt, hinc ὑψώματα, quibus cognitio DEI, & obedientia Chriſti, etiam offenſivè, ut loquimur, oppugnantur, quales ſunt illuſorum errores contra exiſtentiam, providentiam & judicium DEI 2. *Corinth.* X, 4 5. contra quos commendari poſſunt AMYRALDUS, in Tractatu Gallico, de *Religione Chriſtiana*, MORNÆUS & GROTIUS de *Veritate Relig. Chriſt.* STILLINGFLEETII *origines ſacr.* item TILLOTSONII *conciones.* Sed poſt illos e) refutationem quandoque univerſalem merentur *errores*, *qui cultum DEI publicum pervertunt*, hique magè quam qui in ſola mente hærent, & plerumque per conſequentias potius, quam per ſemet ipſos nocent. Cum illis certè minus, quam cum his communio iniri poteſt; hinc etiam illorum magis, quam horum ſeductio metuenda eſt, & in id juxta incumbendum, ut pateat periculum, quod ex cultu idololatrico fluit, in quem finem legi meretur PLACÆI *Dialogus* Gallicus, inter patrem & filium, *de Miſſa.* Cavendum f) tandem, ne in abſtruſioribus vel difficilioribus controverſiis multùm hæreamus. Illarum propoſitio, inde ab initio Eccleſiæ, plus nocuit, quam profuit. Ita ſi ſubtiliorem *Diſputationem de modo*, quomodo *S. S. Trinitas* ſubſtitiſſet, ALEXANDER *Epiſcopus Alexandrinus* omiſiſſet, tot tantasque, in Eccleſia, ſtrages *Ariani* non dediſſent.

§. XXIV.

Vel Practici.

Neque tamen animus noſter tantum eſt ad ſapientiam formandus, ſed vita etiam cum prudentia dirigenda. Non indicandum tantum. quid qualeve illud bonum ſit, quod à DEO accipimus, ſed etiam quid Dominus eapropter à nobis, in teſtimoni-

monium grati animi, requirat *Mich.* VI, 8. non ſaltem viæ Dei erga nos, ſed & noſtræ ad DEUM exponendæ ſunt, *ut ſciamus quomodo ambulare debeamus dignè Domino* εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν *in omnem complacentiam, idque in omni opere bono: Coloſſ* I, 10. hincque TEXTUS etiam PRACTICI, hique præ reliquis omnibus, quod veritas ad pietatem tendat, commendari merentur, eſſetque cummaximè optandum, ut omnes Verbi Dei miniſtri eſſent, cum *Zacharia, intelligentes* (non בראת *in viſionibus* ſed) ביראות *in timoribus DEI.* 2. *Chron.* XXVI, 5. vid. *Vitringa* in *Prolegom. Comment. in Jeſaiam* p. m. 3. not. (B.)

§. XXV.

Ita ut officiorum nexus proponatur, ſcilicet inculcando 1): Hominis corrupti miſeriam

Quisquis etiam, in his *textibus practicis*, ordine quodam uteretur, unumque cum altero officiorum connecteret, & tum *naturam*, tum *neceſſitatem ſanctitatis* atque *pietatis* in dies plenius exponeret, ſub divina gratia, certum ædificationis fructum ſibi polliceri poſſet. Ita, ſi, in textibus dogmaticis, perfectiones atque virtutes DEI, pro concione, eſſent expoſitæ, quæ inde fluat obligatio ad pietatem pateret, quod certè DEUS ſe abnegare nequeat, hinc boni verique adeo tenax ſit, ut Creaturæ rationali nonniſi vera bona præſcribere, eam, niſi bono vacet, non amare, mala, & à voluntate DEI aliena ſatagentem non poſſe non odiſſe, odiumque illud, beneficiorum omnium ſubtractione, calamitatum omnium immiſſione, teſtari. Hæc *neceſſitas*, per μίμησιν & ἀκολούθησιν, ſequendi DEUM, Chriſtumque demonſtrari poſſet ad conſcientiam ex 1. *Joh.* I, 6. 7. III, 7. 1. *Petr* I, 15. 16. 2. *Petr.* I, 4. Ubi relatio illa Creaturæ erga Creatorem, & officia hinc fluentia commendata eſſent ad conſcientiam, tum beatus *integritatis ſtatus novi hominis*, id eſt, Adami ut recens è DEI manibus prodiit, & *in juſtitia* atque *ſanctitate veritatis* conditus fuit, indicari poſſet ex *Epheſ.* IV, 23. 24. *Eccleſ.* VII. ult. hinc monſtrari, quomodo, ſuâ culpâ, & ſe ipſo, deterior factus fuerit ex *Hoſ.* XIII, 9. quantumque à priſtino ſtatu defecerit, quæ *antiquitas*, *univerſalitas* & *pertinacia mali originalis*, quæ *magnitudo* inde fluentis *corruptionis*, in omnes hominis partes, ex peſſimo figmento cordis derivata fuerit *Geneſ.*

VI, 5.

Digitized by Google

VI, 5. &, cum integro Catalogo *Galat.* V, 19-22. ad quem videatur omnino *Sennert de la Corruption de l' Homme*; hujus miſeri ſtatus triſtes effectus & conſequentia, cumprimis interiora illa ſubjungi poſſent: e g. inde orta *ignorantia*, cujus malitia & incommoda referri poterunt ex *Jerem.* IV, 22. *Job.* XXI, 14. ubi, evidenti alluſione ad diluvium, innuitur, rejectionem notitiæ Dei tantum non unicam illius cauſam fuiſſe *Rom.* I, 18; *Securitas*, cum procraſtinatione continua pœnitentiæ, ex *Prov.* XXVIII, 14 1 *Theſſ.* V, 3; *Pertinacia Jer.* V, 23. unde omnia *peccata adverſus legem* in communi, Tabulam I. & II. *Evangelium*, ſive reſipiſcentiam, fidem, charitatem & ſpem commiſſa fluunt, de quibus peccatis ſpecialem Catalogum habere haud inutile eſt, exhibet talem *Byfieldius* in *ſpeculo oraculorum divinorum*. Ut vero peccatori, in concupiſcentiis per errores, ſe in dies ulterius corrumpenti fucus eximatur, & inſidiæ Satanæ clariùs pateant, nihil magè paſtori, in iſtiusmodi concionibus practicis, incumbet, quam ut falſæ, vanæ fiduciæ ſigna, inter quæ ſecurus, in fermento ſuo, jacet, refutentur. Refutetur proinde *ſpes ſalutis* petita ex *privilegiis externæ communionis* cum vera Eccleſia ex *Rom.* II, 28, ex obtentu *profeſſionis externæ Matth.* VII, 22, ſenſus & *delectationis* ſuæ *in bono DEI Verbo* ex *Hebr.* VI, 4. 5. & maximè ℣. 9. *Obſervationis Cæremoniarum* ex *Rom.* XIV, 17. *Marc.* VII, 7. *Virtutum in externo exercitio*. e. g. prudentis diſpenſationis *Eleemoſynarum*, & *Martyrii* pro Evangelio 1. *Corinth.* XIII, 2. 3. *Obedientiæ* quaſi univerſalis *in externis officiis Matth.* XIX, 20. etiam cum ſingulari ἀκριβείᾳ *Actor.* XXVI, 5. *Matth.* V, 20., *fidei ſine operibus*, dum doctrinam gratiæ audiunt, aut in Verbo legunt, eique non contradicunt *Jac.* II, 26. pacifici *teſtimonii ſui cordis de gratia DEI* ex *Job* VIII, 34. *proſperi rerum ſucceſſus Deut.* IX, 4. 5. XXIX, 19. ubi ſecuri illi peccatores videntur conferri cum muliere adultera, quæ potum zelotypiæ temerè ſitit, & maledictionibus omnibus ſubjicitur; tandem etiam ex *cauſa deſertorum graviorum ſcelerum*, ex 2. *Petr.* II, 20. In ſumma, latitudo corruptionis, & magnitudo miſeriæ in plenam lucem ponenda eſt; huc facere poſſet, inter alia, *Rom.* III, 10-18. ubi illa *miſeria in genere* deſcribitur ℣. 10. *in*

2) Refutando falſæ & vanæ fiduciæ ſigna.

ſpecie in *intellectu* & *voluntate* intùs ℣. 11. extus in *actionibus*, & quidem tum in *peccatis commiſſionis*, antecedenter ſimilibus vino acido, conſequenter carni putridæ, tum *omiſſionis* ℣ 12, ratione membrorum *in Verbis*, à fonte interiori ad exteriora ℣. 13. 14. in *factis* & actionibus *pedum* ℣. 15. in *effectibus*, poſitivo, negativo ℣. 16. 17. quoad *principium* tandem omnium ℣. 18.

§. XXVI.

3) Urgendo neceſſitatem converſionis.

De peccato autem ſuo convictus *neceſſitatem converſionis* tantò lubentius agnoſcet. Hæc pro concionibus ita tractanda, ut inde quidem demonſtrandum ſit, *illam eſſe opus Dei*, hinc tamen etiam *officium hominis*; oſtendenda proinde omnimoda *hominis dependentia à Deo*, ita ut, etiam omnis boni in communi, auxilium ſit à Deo, ex *Actor.* XVII, 28. vel *Eccleſ.* IX, 1. ubi innuitur, *juſtorum & ſapientum*, ſcilicet ex ſimplicitate animi, & ſagacitate ingenii profectos, *labores* ita *in manu Dei* eſſe, *ut nequidem amorem & odium cognoſcat homo*; ſive quod & quomodo illud, quod appetit vel averſatur homo, cum rationibus Dei conveniat, confer *Job.* XXXII, 8. XXXVIII, 36. Cummaxime vero oſtendendum, à gratia Dei eſſe regenerationem in initio, vitam omnem ſpiritualem merito ſanguinis Chriſti, & efficaciæ Spiritus illius deberi *Galat.* II, 20 fidem maximè *Epheſ.* III, 17. totam ſanctificationem *Ezech.* XXXVI, 26. *Jerem.* XXXII, 39. 40. *Hebr.* XIII, 20. 21. cummaxime vero usque ad patientiam 2. *Theſſal.* III, 5.

§. XXVII.

4) Pietatis partes tractando.

Quia tamen in nobis Deus non ſine nobis agit, & peccatum equidem, ſed non Deus, ex homine truncum facit, hinc neceſſe eſt, ut etiam *de officiis ſuis* frequenter *moneatur* pro concione. Ita vero commendanda *pietas in genere*, etiam cum refutatione objectionum carnis, in quem finem exiguus *Libellus Wiglebii*, in quo excuſatiunculas illas refutat, commendari meretur; huc faciunt loca 1. *Timoth* IV, 7. 8. 2. *Corinth.* VII, 1. Commendari ea etiam debet *in ſpecie*, *tum* quòmodo formanda ſit in nobis, tanquam *in ſubjecto*, & *intus* 1. *Petr.* III, 4. per ὑπερανθρώ-

λιαν

κίαν mentis *Pſal.* LXXIII, 23. 24. ſeqq. Studium conſcientiæ bonæ *Actor.* XXIV, 16. cuſtodiam cordis *Prov.* IV, 23. & *extus* per membra omnia *Rom.* VI, 13. Linguam *Prov.* XXI, 13. auditum *Luc.* VIII, 18. per oculos *Job* XXXI, 1. *Prov* IV, 21. manus *Jacob.* IV, 8. tum etiam *partes* ejus, & *officia ſpecialia* proponenda, quorum ſciagraphiam generalem *van Til* dedit, in *Theologia Paracletica.* Conferantur ſcripta Gallorum, de *Theologia Morali Chriſtianorum*, *Amyraldi*, *Picteti*, *la Placette*, quibus, ex noſtris, addi poſſunt *Hornbeckii Theologia Practica*, *Voetii Aſcetica*, & *Petri* van *Maſtricht Theologia Practica.* Capita omnium virtutum, poſt *reſipiſcentiam Joel.* II, 12. 13 2. *Corinth.* VII, 10 11. ſunt *fides*, de qua *Phil.* III, 7 11. *Charitas* erga *Deum Matth.* XXII, 37. 38. & *proximum* 1. *Corinth.* XIII, 1. ſeqq. ubi, poſt propoſitam illius neceſſitatem, illius natura, ex duabus proprietatibus generalibus, & utriusque ſpecialibus effectibus, cum illius prærogativa, deſcribitur Videatur ad h. l. *Hadr. Junius*, tandem & *ſpes Galat.* V, 5. *Rom.* XV, 13.

§ XXVIII.

Ubi partes hæ potiores erunt expoſitæ, tum id cumprimis curandum, ut hujus *pietatis*, & *partium* illius *proprietates generales* clarè pateant. Actus quidam, exercitio pietatis ſimiles, facile extant etiam in hypocritis, ſed debent fideles, ut *Ananias*, εὐσεβεῖς eſſe κατὰ τὸν νόμον *Actor.* XXII, 12 in oppoſitione *inde* ad omnem exceſſum ſuperſtitionis, *Coloſſ.* II, 20. 23. hinc ad omnem defectum, per hypocriſin, *Job.* VIII, 13. *Matth.* XV, 7. 8. Hinc itaque oſtendendum, quam neceſſaria, ad veram pietatem, ſit a) *ſapientia*, ad eligendum finem optimum, & convenientia media, ad δοκιμασίαν τῶν διαφερόντων *Rom* XVI, 19. *Prov.* II, 9. 10. *Eccleſ* X, 10. b) *Circumſpectio* in ambulando, ἀκρίβεια illa, non ut fuit in Phariſæis ἀσόφοις, ſed ut eſt in ſapientibus *Epheſ.* V, 15. Ad quæ duo tantò meliùs, etiam in actibus ſpecialibus, commendanda *notitia* quædam requiritur *Theologiæ Caſuiſticæ*, quæ, in compendio, exhibetur à Sandersonio in *Tractatu de Conſcientia*, *Sermonibus* ejus *Anglicis*, & IX *Caſibus Conſcientiæ*, itemque in Tract. *de Juramento*. *Joſephus*

5) Et partium illius proprietates indicando.

Digitized by Google

ſephus Hall in operibus ejus, Perkinsius & Amesius *de Conſcientia*, Spenerus in *Conſiliis Theologicis*, quibus addi poſſunt *Epiſtolæ* Melanchtonis, Calvini, *Petri* Martyris, cujus etiam *Commentarii* non minus, atque *loci* ejus *communes*, caſus quamplurimos, doctè & ſolidè diſcuſſos exhibent. Explicanda porro c) quæ ſit pii hominis ἁπλότης *ſinceritas in ſcopo*, quantumque huc fixa cordis diſpoſitio ad quærendum Dominum, ſancta mentis cum voluntate Dei conformitas, recta actionum ſuarum ad ſcopum directio faciat, quæ commendari poterunt ex *Pſal.* CXIX, 7. *Matth.* VI, 22. ubi *oculus* ille *ſimplex* fuco oculorum veteri opponitur, & ab hocce ſigno veterum de valetudine petitur, *Prov.* IV, 25. quæ ſit d) porro hominis *integritas in mediis*, τελειότης perfectio partium integralium & functionum, *Matth.* V, 48. *Pſal.* XV. quæ e) *puritas in intentione*, *actione*, *converſatione*, ex *Cantic.* VI, 9. *Jacob.* IV, 8. 1. *Corinth.* VI, 17. qui f) tandem *zelus*, quæ *diligentia* & *conſtantia*, ad laudem veræ pietatis, requiratur, *Hebr.* XII, 15. 28. *Phil.* II, 22. 2. *Petr.* I, 10. *Deut.* IV, 9.

§. XXIX.

b) Vim itidem Veritatum Evangelicarum ad pietatem demonſtrandæ.

Ad hæc autem omnia nunc conſcientiæ commendanda opus eſt, ut oſtendat paſtor 1) *vim & efficaciam veritatis Evangelicæ ad pietatem*, quomodo huc, inde ab electione usque ad ſpem vivam vitæ æternæ, beneficia omnia, & cummaximè fides nos ducat, *Tit.* I, 1. 2. *Petr.* I, 4. 5. Confer Diſſertationes Hottingeri de *fidei juſtificantis* Ενεργεία *& uſu ad praxin* Lampii de *fide*, *radice bonorum operum*. His 2) adjungendæ etiam quandoque, ſed rariùs tamen, *comminationes* e. g. *Rom.* VIII, 13. *Hebr.* XII, 29 cummaximè vero 3) *promiſſiones* Evangelicæ, in quibus ſingularis vis eſt, ad nos participes reddendos divinæ naturæ 2. *Petr.* I, 4. 2. *Corinth.* VI, 16 17 18. & VII, 1. *Triplicis* autem *generis* promiſſiones & ſunt, & huc faciunt. *Vel* enim continent *privilegia* fidelium, *hæredum* illarum promiſſionum *Galat.* III, 22. in quibus ſunt inexplorabiles divitiæ *Epheſ.* III. 6. 9 *vel ſolamina* præbent *in afflictionibus* piorum, adverſus metum, triſtitiam, diffidentiam ex peccatis, infirmitatibus, ten-

tatio-

Digitized by Google

tationibus, deſertionibus, adverſitatibus ortam, de quibus omnibus, in genere, agi poterit ex *Pſal.* XLII, 8. *Jeſai.* L, 10. *vel* continent *ſingularia commoda ſingularium officiorum*, e. g. quæ preces, fidem, fiduciam ſequuntur, de quibus in uſibus concionum agendum. In communi autem, pro concione, etiam commendanda eſt 4) *certitudo* illarum *promiſſionum*, ut cor peccatoris afficiant, quæ demonſtrari poteſt a) *ab auctore*, qui eſt ἀψεύδης *Numer.* XXIII, 19. 1. *Samuel.* XV, 29. b) à *Mediatore*, in quo omnia ſunt *ita* & *Amen.* 2. *Corinth.* I, 20. c) à *ſcriptione*, unde ratio teſtamenti eſt *Galat.* IV, 23. d) à *juramento Hebr.* VI, 17. 18. e) à *morte teſtatoris Hebr.* IX, 16. f) à *pignore Spiritus*, & g) à *nexu promiſſionum* inter ſe.

§. XXX.

Qui vero multa promiſit ſingulis fidelibus, ille liberalis etiam eſt in *promiſſionibus* ſuis erga *Eccleſiam univerſam*, cumque etiam hæ ſingularis uſus ſint, ſitque λόγος ille προφητικὸς βεβαιότερος, qui nos ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ non minus ducit, atque *magos*, per vaticinium, ad Chriſtum, ἀνατολὴν ἐξ ὕψους, duxit. 2. *Petr.* I, 19. coll. *Matth.* II. *Luc.* I, 78. non etiam omittendi ſunt TEXTUS PROPHETICI; ſuperſtruitur enim huic Prophetarum fundamento *Epheſ.* II, 20. Vel textus Prophetici

§. XXXI.

Sunt autem *Prophetiæ* vel *de tempore nunc præterito*, aut *jam præſenti*, aut *olim futuro* datæ. *Illæ* faciunt ad confirmationem *fidei*, *iſtæ* ad excitationem *charitatis*, *hæ* ad corroborationem *ſpei*, unde, pro diverſo ſcopo, jam hæ, jam illæ proponendæ ſunt. Ita e. g. ſi majora Chriſti beneficia, ipſius apparitio in carne, paſſio, reſurrectio, & miſſio Spiritus S. conſiderentur, conducit, ad beneficiorum illorum gratam ſuſceptionem, confirmatio veritatis ex Prophetis. In id autem incumbendum, ut ſeligantur, in hunc finem, iſtiusmodi textus, qui ſe commendant ad conſcientiam, nec commodè aliò, quam ad Chriſtum referri poſſunt; nec erit, in iſtiusmodi propoſitione, prolixâ refutatione ſententiæ adverſariorum, opus, ſed ex ipſa emphaſi vocum, & evidenti convenientia implementi cum prædictione qui varii ſunt

fides confirmabitur. Ad hoc argumentum commendari merentur *Tomus ultimus operum* COCCEJI, & commentarii GUSSETII in חזוק אמונה. Prophetiæ ad *præſens tempus* reſpicientes à reliquis difficulter diſcernuntur. Faciunt tamen hûc evidenter *Jeſai.* Cap. LVIII. & LIX. quæ, pro concione, ſolidè ſunt expoſita ab *Hadr.* JUNIO, & operæ pretium eſt inde noſtros excitandi, cum evidenter repreſentent peccata, & pericula noſtri temporis. Quæ vero *in futurum* etiamnum implementum ſuum conſequentur, ſaltem in communi videntur eſſe laudandæ, nec ad ſpecialia nimis maturandum, quod viderimus & erraſſe, in tali determinatione, plures, & cum periculo Eccleſiæ erraſſe. Saltem in genere, converſionem Judæorum, ingreſſum gentium, judicia in hoſtes Dei, pleniorem Eccleſiæ lucem, ſanctitatem & felicitatem exſpectandam eſſe, ex *Levit.* Cap XXVI. *Deut* Cap. XXXII. *Hoſ.* III. ℣. ult. *Cap.* XIV. & ultimis pleriſque capitibus Prophetarum, ex *Cantic.* Cap. VII. & VIII. itemque ex *Apocalypſi* indicari poterit, quippe quæ poſtrema ſtatum fidelium interiorem, exteriorem, in mundo & Eccleſia, in hac, ante, in & poſt luctam cum beſtia, deſcribit.

§. XXXII.

vel textus typici, emblematici, parabolici.

Ludit etiam *ſapientia divina* in TYPIS. Faciunt etiam hæc EMBLEMATA SACRA, teſte *Paulo Hebr.* VI, 1. ad perfectionem in ſapientia, unde etiam hinc textus quandoque peti poterunt. Conferantur ad hæc *Hadr.* PAULI in *Specimine Theologiæ Typicæ*, TAYLOR in *Chriſto revelato*, *Mich.* BAUMANNUS in *analectis typicis ſacris*, *Joh.* BIERMANNUS in *Moſe* & *Chriſto*, aliique. vid. BUDDEI *Iſag. Hiſt. Theol.* Lib. II. Cap VIII. p. m 1740. ſeqq. Ex Scripturis S. autem hi cummaximè typi ſeligendi eſſent, qui δήλωσιν πνεύματος habent, qui ſcilicet *ponuntur* in *lege*, *explicantur* in *Prophetis*, & dein *applicantur* in *Evangelio*. De PARABOLIS autem videatur *Joh.* MELCHIORIS in *operibus* ejus. Cumque inde exempla, ſive laude, ſive vituperio digna, hinc teſtimonia varia gratiæ aut iræ Dei, ad confirmationem in fide, charitate & ſpe non parùm faciant, tractandi etiam ſunt TEXTUS HISTORICI, cumprimis illi, qui vel facta, vel fata populi Dei continent.

SECTIO

Digitized by Google

Sectio IV.

De Exordiis Concionum.

§. XXXIII.

Duplici, in concionibus noſtris, utimur *introitu*, *exordio remoto*, ante prælectionem textus, & *propinquo*, poſt eandem. *Illud* introductio in *cultum publicum*, *hoc* introductio in *textum* eſt. *Illud* non minorem curam atque ſtudium requirit, quam *hoc*. Officiorum erga Deum ſumma pariter & pars primaria cultus eſt. In actibus hujus imperatis & elicitis tota pietas conſiſtit, quæ hinc Ἐυσέβειας, ſive recti cultus, nomine venit. Præſtantiſſimus cultus publicus eſt, ubi communia beneficia ab omnibus ſimul agnoſcuntur, & commune Deo homagium præſtatur. Hujus autem publici cultus una ſaltem pars, in habendis & audiendis concionibus conſiſtit, unde utique non ad hanc unicam ſaltem partem, totus paſtoris labor, in cœtu publico, referendus eſt. Verſatur enim cultus noſter *partim* circa illud, quod nos Deo præſtamus, huc pertinent adoratio, invocatio, laudes Dei, & gratiarum actio; *partim* circa illud, quod à Deo nobis offertur, quò facit manifeſtatio gratioſæ voluntatis Dei in Verbo, & hujus gratiæ obſignatio in Sacramentis. Ad omnia meritò reſpicit paſtor in ingreſſu, de omnibus, cultus publici, partibus ritè perficiendis cœtum monebit. Nihil magè illis obſtat, quam *inadvertentia*, hæc vel optimis facile obrepit, per aſſuetudinem unius & ejusdem propoſitionis ſive exordii, unde evidenter fluit tantus e. g. in adoratione divinæ Majeſtatis tepor, ut plerique hodienum, quando ingrediuntur templum, & caput, coram Deo, aperiunt, merâ hypocriſi loborent, & neſciant ad quid illæ precationes ſint inſtitutæ, hinc itaque ſolicitè curandum, ut ſcopus omnis, ad quem confluximus auditorio pateat. Introitum concionum

Digitized by Google

§. XXXIV.

a) per votum

Fiat itaque protinus *votum* ipſum, quo actionem noſtram incipimus, cum tali Spiritus intentione, & animi devotione, ut deſideria ſua, cum noſtris, ſeriò jungat populus. In hunc finem, præter ſeriam paſtoris intentionem, opus eſt *inde*, ut votum ipſum, ſuccincta quadam paraphraſi, quandoque in concionibus, explicetur, & de eo, quod ſub initium audivit, populus memor reddatur, *hinc* vero, ut etiam nonnunquam, maximè in occaſionibus ſolennibus, ipſummet votum mutemus, adhibitis e. g. verbis ex *Apocal.* I, 4. 5. 6. *Epheſ.* VI, 23. 24.

§. XXXV.

b) per exordium remotum.

Sequatur *propoſitio* ſuccincta, devota & perſpicua, *explicans* ſingulas *partes publici cultus*, ad quem confluximus, quæque adeo ratio, uſusque earum ſit legitimus. *Exordia communia*, niſi zelo, animique devotione non communi proferantur, plus nocent quam proſunt, unde variatio in illis utilis erit, ne, ex aſſuetudine, confirmetur populi inadvertentia. *Exempla* „ quædam proferre juvat: In Nomine Dei, coram Deo, ad „ ejus cultum comparuimus; quomodo autem una ambularent, „ qui non conveniunt? *Spiritus Deus eſt*, ergò *in Spiritu & veritate adorandus* eſt; adorabitur autem, à nobis, *in Spiritu*, „ ubi mentem noſtram ad illum, tanquam ens perfectiſſimum, „ Patrem noſtrorum ſpirituum, unicum Dominum, optimum „ exemplum, ſummum bonum, ultimum finem elevaverimus; „ ubi noſtram indignitatem, ejus perfectiones, noſtram miſeriam, „ ejus Majeſtatem, noſtram indigentiam, ejus divitias & beneficia, ad ipſius amorem, timorem & reverentiam, ritè nunc „ conſideraverimus, atque cum abnegatione noſtri, & filiali „ fiducia, in ejus nobis oblatâ, & nunc etiam offerenda gratiâ „ acquieverimus: In *veritate*, à nobis, adorabitur, ſi *principium* noſtri cultus fides Servatoris ſit, in quo ſolo Deo grati „ ſumus, ex quo uno, cum omni vita ſpirituali, id haurimus „ quod Deo placet; ſi *regula* actionum noſtrarum non doctrinæ „ humanæ, non præſumtiones noſtræ voluntatis; ſed ſolum „ ejus Verbum ſit, ad quod, quæ cogitamus, volumus, loqui-

mur

mur & agimus, nos compoſituros ſanctè Deo hìc polliceamur; ſi *modus* cultus noſtri conſiſtat in ſincerâ quadam actionum internarum cum externis convenientia, abſque qua, ſi labiis accedamus ad Deum, corde remoto, ſi atria hæc manibus impuris tractemus, totus noſter cultus nihil niſi munus vanitatis, & ſuffitus abominationis, nihil niſi decollatio canis, & oblatio porcini ſanguinis, corpus ſine anima, ſacrificium ſine adipe, cultus ſine ratione, labor ſine mercede eſſet; ſi denique *finis* omnis hujus actionis eò tendat, ut Deus glorificetur in Chriſto, & noſtra ſalus promoveatur &c. Vel ſuccinctius *ſinceritas totius cultus* ita auditorio commendari poterit; *Rem* nobis *cum Patre eſſe*, nolle itaque eum, ut tantum ei corpora ſiſtamus, veluti ſervi; ſed cor, ut filii. *Aut*; rem nobis eſſe cum *omniſcio Numine*, quod nihil odoretur, quam timorem Domini, hunc intimo quaſi ſenſu percipiat, hunc, præ ſacrificiis & fertis odoris, ſaporis, coloris optimi, approbet; *Aut*; Illum, quem colimus, *ſcrutatorem* eſſe, inde *cordium*, in primo primis animæ motibus, hinc *renum*, in progreſſu & diſcretione cogitationum noſtrarum, cujus verbum, ad quod confluximus, ſenſualis animæ motus, à cogitationibus Spiritus diſcernit, cum quo, & DEO & Verbo, nunc nobis res ſit, unde omnia cum ſingulari ſinceritate coram Deo tractanda ſint. *Item: Spiritu æterno Filium Dei ſe Deo obtuliſſe, ut noſtras conſcientias, ad rectè Deo ſerviendum, purgaret*, ergo purificato ſpiritu, mente ſincerâ, conſcientia abluta, per ipſius ſanguinem, accedendum eſſe, ne fructu ſuo mors Chriſti careat. Porro; *Liberaſſe Chriſtianos Deum ab elementis mundi*, ad averruncandum malum, *infirmis*, ad conferendum bonum, *egenis*, à *præceptis carnalibus*, ab omnibus illis præceptis non bonis, ut tanto majori cura, purâ etiam ipſum mente colamus. Porro; *Glorificandum Deum eſſe animo* pariter, & *corpore*; non corpore ſine animo, mente Dei genus, mente Deo ſimiles nos eſſe; non animo ſine corpore; quæ interiùs Deo ſunt ſimilia, extùs eſſe manifeſtanda, juſtum eſſe, ut non ex uno tantum, ſed ex omni ſuo opere fructum ſuæ laudis capiat; qui *corpus* non minus, quam *animam*, glo-

„ rioſiſſimo artificio *condidit*, pretioſiſſimo impendio *redemit*, „ & ſaluberrima operatione *in templum* ſui Spiritus *erexit*, hûc „ itaque nos convenire, ut utrumque Deo ad ſervitium ſiſtatur, „ ut, etiam per has externas actiones, & noſter cultus intenda- „ tur, & proximus accendatur. Solent haud pauci etiam, in exordio remoto, vel *dictum*, vel *argumentum* tractare, *quod cum textu proponendo convenit.* Sed, niſi in tali materia occaſio ſuppeditetur, agendi etiam de reliquis, cultus publici, partibus, præſtat, noſtro judicio, abſtinere ab iſtiusmodi exordio externo, eò enim tantum tenderet, ut credi poſſet, omnia cultus noſtri officia nunc ad unicas aures eſſe affixa, prouti & hoc communiter fertur, alios ad preces, & nos ad conciones confluere. Si itaque ſcopo horum remotorum exordiorum, qui eſt introductio in cultum publicum, ſatisfacere velimus, etiam per textus quosdam generales, huc referri poſſent *Actor.* X, 33. *Cant.* I, 8. *Hebr.* X, 25. *Jeſai.* II, 2. *Zach.* VIII, 23. *Jeſai.* LVI, 3. *Pſ.* XLII. LXXXIV. CXXII, 3. *Epheſ.* III, 21. *Pſal.* XCV, 6. *Pſal.* C. &c.

§. XXXVI.

c) per preces, lectionem textus, alloquium cœtûs

Poſt ſerias *preces*, his in oris maximè ſtatas, & graviter pariter atque perſpicuè *prælecta Verba textus*, tanquam Verba Dei vivi, *cœtum alloquimur*, ut ELECTOS, & IN CHRISTO DILECTOS. Nec eſt, quod ſibi quis de tali alloquio, in cœtu magnam partem corrupto, ſcrupulum formet. Sit definitio veri Chriſtiani ſtrictior, quam ut omnibus cœtus membris competat, differentia eſt inter definitionem Chriſtiani, & hujus definitionis applicationem; hæc latiùs patet, fit ex judicio charitatis, quæ omnia, de præſenti, credit, &, in futurum, ſperat, donec contrarium pateat. Privilegia & nomina fidelium, à *Paulo* etiam, vocatis & fidem profitentibus tribuuntur 1. *Corinth.* VII, 12. 13. 14. Differentia etiam eſt inter applicationem ſpecialem, & communem. Sub communi potiſſimùm appellamus electos. Uſu etiam confirmatur hæc appellatio, ut in inſcriptionibus Epiſtolarum, ita in alloquiis *Actor.* XIII, 16. 26. ubi tamen ſub nomine *timentium Deum*, in ſpecie, ſubintelliguntur *Proſelyti ex gentibus*, etiam nomine magis, quam re talibus, confer *Pſ.* CXVIII, 4.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Alloquium excipit Exordium Propinquum, ceu *introductio* quædam *in textum*, illius *neceſſitatem*, *utilitatem* & *dignitatem* commendans. Exordium equidem abſolutè neceſſarium non eſt. Majeſtas S. Scripturæ quamlibet ejus partem per ſe commendat. Benevolentiâ equidem auditoris opus eſt, Verbum, ab animo, contra paſtorem, præjudiciis occupato, exceptum, eſt ut pretioſus liquor impuro vaſi commiſſus, ſed ſanctitas vitæ, cura gregis, ſoliditas doctrinæ illum magè quam omnia Exordia, vel cummaximè exornata, concilia nt. Animum curis ſecularibus immerſum, non demum hoc Exordium ad ſeria avocabit, ſed vivus indigentiæ ſuæ ſenſus, quem ut in Templum adferat neceſſe eſt, preces, & ea quæ, in Exordio remoto, monentur, huc efficacius faciunt. Interim quia nunc more receptum eſt, ut ſicuti ante cantiones ſacras, ita in concione, præludio quodam utamur, εὐπρεπείας ergò & præmitti poterunt, & eò tum ſunt dirigenda, ut animum ad id inprimis, quod pro concione tractandum eſt, attentum reddant.

excipit exordium propinquum.

§. XXXVIII.

In hunc finem *thema textui conveniens* ſeligendum eſt, quod *nec* ab illo ſit *nimis remotum*, ſic enim ſcopus Exordii periret, *nec nimis* etiam *propinquum*, ne idem tractetur in Exordio, quod explicandum, vel confirmandum eſſet in concione, *nec nimis* etiam *vulgare*, ſic enim faſtidium, quod per Exordium depellendum eſt, per illud demum crearetur. Itaque paſtor *Exordium* ſuum potius ita diſponat, ut א) pro *baſi* ponat ſententiam gravem, preſſam, perſpicuam, ita inſtitutam, ut momentum rei, decentia materiæ. & convenientia ejus cum argumento præſente, quòque tendere velit paſtor, ab auditore attento agnoſcatur, isque adeo hinc, de tota actione honeſtè præjudicare queat; ב) ut *deductionem* ſuæ baſi ſubjungat, ſuccinctam pariter & ſolidam. Attentio diu vexata flacceſcit, hoſpes nimis in atrio detentus, tandem nollet in cubiculum admitti. Fieri autem poterit iſtiusmodi deductio, vel *per collationem* propoſitæ Theſis

Ejus conditio & diſpoſitio

cum-

cum rebus aliis, vel per *demonſtrationem* ejusdem, per unum alterumve argumentum, non equidem dinumeratum, ſed preſſe tamen poſitum, & cum acumine alteri quoque junctum, vel per *paraphraſin* quandam, ſi nempe baſis dictum aliquod Scripturæ S. ſit, aut, ſi, in eadem, vel *emblema*, vel *typus* fuit propoſitus, per collationem ejusdem, non equidem per omnia, ſed illa tantum, quæ in rem præſentem ducunt; ut 3) hanc deductionem, vel *ad Verba textus*, vel *ad argumentum* inde tractandum, commodo *tranſitu*, *applicet*, ſive per aſſimilationem, ſive per gradationem à minori ad majus, & viciſſim, ſive etiam per oppoſitionem quandam, ubi illæ deductiones omnium ſunt elegantiſſimæ, quæ in applicatione, ſive tranſitu illo, in diverſas textûs partes incidunt.

§. XXXIX.

Exempl. I. ad Job. XXVIII, 28. Juvat hæc monita per *exempla* quædam illuſtrare. I. Sit *textus Job.* XXVIII, 28. *Exordii baſis*: Pii hominis eſt δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα. *Deductio per* hanc *collationem* inſtitui poſſet:
„ Per peccatum juſta *rerum proportio* ſublata eſt, ſublata *in cor-*
„ *pore*, per inordinatum ſanguinis motum, unde morbi, ſub-
„ lata *in mente*, per exceſſum, & defectum in judicio, unde
„ tot errores, qui veterem hominem corrumpunt in concu-
„ piſcentiis. Deperditam, in corpore, proportionem reſti-
„ tuunt Medicorum remedia, ſed Verbum Dei illam in mente.
„ Optimus de rebus canon è cœlo eſt. En exemplum! Mun-
„ dus ſapientiam politicam, omni ſapientiæ reliquæ præfert,
„ ſed in illa DEUM non agnoſcit, veræ ſapientiæ fontem;
„ alia omnia Scriptura S. docet, ſcilicet: *Timor Domini eſt ſa-*
Exempl. II. ad 2. Chron. VII, 13. 14. *pientia* &c. II. Aliud *exemplum textûs pænitentialis 2. Chron.*
„ VII. 13. 14. Sit *baſis*: Omni ſufficientia DEI ſe manifeſtat
„ in omnibus defectibus hominum, cummaximè vero in remiſ-
„ ſione peccatorum. *Deductio*: Dives DEUS eſt omnibus in-
„ vocantibus eum. Magnum eſt, quod multa det, ſed majus,
„ quod multa remittat. In *illo* cernitur potentia Dei extra ſe,
„ quod ſit DEUS ſalutum, & Dominus, qui vel è morte
„ educit; in *hoc* vero vis, & potentia DEI in ſemet ipſum.

Magnum

Magnum eſt, quod æſtum aliorum coërceat, ſed majus, quod "
ſemet ipſum, per preces hominum, conſtringi patiatur. En! "
Exemplum, ubi plagæ etiam immiſſæ fuerint, eas tamen, ad "
preces, revocat. III. *Deductionis* autem *per demonſtrationem* Exemp. III.
exemplum ſit, ad parabolam *de Samaritano Luc.* X.: Veritatem " ad Luc X,
miraculorum Chriſti, ut multa alia; ita maximè nexus, inter " 30. ſeqq.
doctrinam & facta ejus, evidenter probat. Negari equidem "
illa non poterunt, ſi conſideretur; non eſſe pauca à Chriſto "
patrata miracula, ſed multa; non peregrina, ſed domeſtica, "
non remoti temporis; ſed ejusdem quo Chriſtus, & Apoſtoli "
vixêre; prædicata non a peregrinis, ſed à diſcipulis, qui ea "
oculis ſuis uſurparunt, non commodi ergò, ſed cum impen "
dio vitæ &c. Sed hoc cumprimis illa confirmat, quod idem, "
in corporibus hominum, præſtiterit, ad quod, in eorum "
mentibus, conficiendum miſſus fuit, eſtque nexus ille adeo "
luculentus, ut etiam ipſa ſalus hominis, ab eo confecta, in "
parabola, per ſanationem miraculoſis ſimilem, fuerit expreſſa. "
IV. *Exemplum Exordii analytici*, quod, in applicatione ſive Exemp. IV.
tranſitu ad textum, ad ſingulas ejus partes deducitur, ſit, ad ad 1. Joh.
verba poſtrema, 1. *Joh.* V, 3. ubi *baſis* ſit: Ea Religionis " V, 3.
Chriſtianæ prærogativa eſt, quod & ad ſanctitatem, & ad li- "
bertatem ſimul ducat. *Deductio*: Gentes ſe liberas credebant, "
ſed deerat ipſis ſanctitas; Judæis lex erat ſanctiſſima, ſed ca "
rebant verâ libertate, utrumque, felici copula, Evangelium "
Chriſti conjungit. Nihil hîc deeſt ſanctitati: ducit ad *præcepta*, "
ſed nihil etiam libertati: hæc præcepta *non ſunt gravia.* "

§. XL.

Ut autem uberem *Exordiorum*, ita diſponendorum, materiam in promtu habeamus, operæ pretium erit, *fontes*, unde peti poſſunt, & *in genere*, & *in ſpecie* indicare. Exordiorum horum fontes

§. XLI.

Ita *generales fontes* eſſe poterunt a) *principia Veritatum Theologicarum*, unde, quæ in textu propoſito occurrunt, tanquam concluſiones, aut deductiones, fluunt. Poſitâ enim ſemel theſi, a) generales

Digitized by Google

quam textus continet, nihil facilius eſt, quam inde aſſurgere ad generaliores veritates, quæ tum materiam *Exordii ſynthetici* ſuppeditant. b) Hûc applicari poterunt *nomina DEI*, *Chriſti*, *fidelium*, ex quibus nunc hoc, nunc illud ad argumentum textus ducit. c) *Emblemata*, & *ſimilitudines* ex natura petitæ. Sapientia æterna ludit in orbe, id eſt, cum ſingulari gratia, in minoribus operibus naturæ, repreſentat majora gratiæ. Multa, in natura, ſimilia ſunt rebus ad Religionem pertinentibus, nec ſimilia tamen ſine auctore DEO, unde illis, ad opera gratiæ repreſentanda, uti poterimus, quamvis luxuriæ ingenii non omnis danda. Magis tamen d) *typi*, in fœdere gratiæ inſtituti, *legesque cæremoniales* hûc facere poſſunt. Umbrarum illarum nexum cum corpore, *Paulus ſapientiam* vocat *inter perfectos*. Unde cumprimis inter perfectos, quibus jam ſolida veritatum cognitio eſt, ab illis umbris ad corpus tranſitus ad textum, in Exordio, non ſine fructu inſtituitur. His e) tandem etiam alia, *ab oppoſito*, à *momento rei*, ab *opportunitate temporis*, & *circumſtantiis loci* & *perſonarum* adjungi poterunt.

§. XLII.

β) Speciales.

Fontes autem *ſpeciales* quod attinet, variant illi pro varietate textuum.

§. XLIII.

ℵ) in textibus dogmaticis præſtant 1) exordia ſynthetica

ℵ) In *textibus dogmaticis* præſtare videntur 1) *Exordia ſynthetica*, & erit è re, ut paſtor, cumprimis apud cœtum rudiorem, à generalioribus ad ſpecialia ſui textus, à prioribus ad poſteriora, ab imperfectioribus, etiam priorum œconomiarum, ad perfectiora, à defectibus ad conceſſa dona progrediatur. Ita enim, etiam ſub initium ſui ſermonis, prophetabit ſecundum Analogiam fidei. Sic à cognitis pergit ad incognita. In tali nexu theſis ſuæ cum fundamento, patet argumenti uſus atque dignitas. Ita e. g. *à cognitionis naturalis uſu* equidem qualicunque, ex *Job.* XXXVIII, 36., ſed inſufficienti tamen 1. *Corinth.* II, 9. tranſibit *ad Scripturam* S. à *neceſſitate cognitionis ſuæ originis*, à quo, & *finis*, ad quem homo ſit, (qui in hoc uno cum-

maxime

maxime brutis præſtat, quod ſit creatura non modo rationalis, ſed religioſa) tendet *ad DEUM Rom.* XI, 36: à *defectibus noſtris* ad *virtutes DEI:* à *neceſſitate ſatisfactionis* pro peccato, & quidem per DEUM ipſum, *Pſal.* XLIX, *ad Myſterium de SS. Trinitate:* ab *independentia* & *dominio DEI Rom.* IX, 21., *ad liberam electionem: ab omniſufficientia & divitiis*, cumprimis autem in exprimibilitate virtutum divinarum, *ad creationem:* à *cura* quorumvis *regum*, atque *parentum* pro ſuis *Act.* XXIII, 3., per conſiderationem omniſcientiæ, omnipotentiæ & bonitatis DEI, *ad providentiam:* à finitudine & *imperfectione creaturarum*, ad *peccatum:* à *juſtitia vindicativa Pſal.* V., vel, ſi illud nimis propinquum ſit, à *miſeria lapſus Angelici Jud.* ṽ. 6., ad *pœnam peccati*, & *miſeriam hominum:* à *divitiis divinæ longanimitatis*, ad *conſilium gratiæ*, vel ſaltem, ab officio communi, miſeris ſuavia & grata loquendi *Prov.* XXXI, 36., *ad fœdus gratiæ:* à φιλανθρωπία *DEI*, comparatâ cum providentia erga Angelos *Geneſ.* III, 15., *ad redemtionem hominum:* à *neceſſitate cognitionis*, ut *finis* ultimi, ita *medii unici*, per quod ſalvemur, *ad perſonam Mediatoris*, ubi *baſis* poni poſſet ex *Joh.* XVII, 3., *deductio* autem formari ex 1. *Joh.* V, 19. 20: *Totus equidem mundus in malo jacet, ſed nos novimus verum illum:* à *nexu* inter *magnitudinem operis*, & *idoneitatem operantis* (conf. *Numer.* XXVII, 16-20.) *ad officia Chriſti:* ab *incommodo moræ*, & *pretio adventus* nec opinantis *rei ſperatæ Prov.* XIII, 12. per *Geneſ* XXI. & hiſtoriam nativitatis Iſaaci, qui, poſt hæſitationem Saræ, & fidem Abrahami, tanta gaudii materia fuerat, ut à riſu nomen obtinuerit, *ad adventum Chriſti*, & Verba 2. *Tim.* I, 19: Porro, ab *obligatione ſponſorum* in communi, repræſentandi debitum in ſe ſuſceptum, *ad exinanitionem Chriſti* 2. *Corinth* VIII, 9: à *juſtitia DEI*, non tantum in condemnatione reorum, ſed etiam in abſolutione, vindicatione, & præmiis innocentium, atque juſtorum conſpicuâ, per *Geneſ.* XVIII. Cap, *ad ſtatum exaltationis*, eumque tanquam juſtificationem Chriſti *Jeſai.* L 8. in bonum noſtrum tendentem *Rom.* VIII, 33: *à perfectione Mediatoris* Dei illius fortis ſalutum *Pſal.* LXVIII. 21. *ad beneficia Evangelica*, &, eorum ſymbola, miracula Chriſti, ubi, inter alia, ad claſſem bene-

neficiorum omnium 1. *Corinth.* I, 30. Tranſitus, per *Pſal.* LXXXIV, 12. datur ad omnes partes: Item à *perfectione operis mediatorii* ad *vocationem Evangelicam*, ceu invitationem ad nuptias *Rom.* X, 6. 7. 8. ſcilicet factâ Chriſti deſcenſione, ad impetrandam, & aſcenſione, ad applicandam ſalutem, nunc nihil niſi Verbo opus eſſe, ex parte DEI, quod nunc ori & cordi propinquum ſit: à *perfectione bonorum Evangelicorum*, & *vocatione* ad communicationem illorum, *ad fidem*, ſcilicet: Quo plenius ſaluti noſtræ conſuluit, quò clariùs impetratam ſalutem annuntiavit DEUS, eò magè in illius opere acquieſcendum eſt, ſocium operis non admittit, gloriam ſuam non dat alteri; In quo *lapide ſeptem fontes* ſunt, in illum meritò *ſeptem oculi* conjiciuntur *Zachar.* III, 9: Ab *immutabilitate DEI* ad *conſtantiam fœderis gratiæ.* e. g. Inter nomina Dei eſſe נצח ישראל 1. *Sam.* XV, 29.: Ab illo *amoris* ſincerioris *charactere*, *quo ſeſe non poteſt occultare*, quo ſe manifeſtat per varios modos, & communionem quandam intimam, *ad Sacramenta.* e. g. *Joſephus* ſe fratribus, quà talibus, non poterat non manifeſtare, conſequens manifeſtationis convivium erat, non ſignum externum dedit pro ſymbolo, ſed panem: à *divini amoris latitudine*, & quod, ex intentione Dei, ſe non modo multis, ſed his unitis communicare voluerit, per *Joh.* XI, 51, *ad Eccleſiam*: à *bonorum hujus vitæ imperfectione*, per 1. *Corinth.* XV, 9. *ad glorificationem*, aut, ad eandem, à neceſſitate ſpei, inter miſerias hujus vitæ, per nexum hujus ſpei cum reſurrectione. *Actor.* XXIII, 6.

§. XLIV.

2) Etiam alia;

Quia vero etiam veritates has quandoque ornari volunt, hinc &, 2) *vel* a) *ab emblematibus naturæ*, vel b) *à typis*, *Exordia* peti poterunt, maxime apud illos, qui nunc feruntur ad perfectionem.

§. XLV.

a) Veluti emblematica.

a) In *emblematicis Exordiis* non conſultum eſt, ut themata ſimplicia, latè patentia, pro baſi ponantur, ita ut omnia, quæ cum vulgari opere naturæ conveniunt, per deductionem, prolixè

fixè recenſeantur; ſed præſtat, ut unum vel alterum *emblema in ſpecie* ponatur. e g. Si de *cognitione DEI* agendum eſſet, pro Exordio *emblema lucis* adhiberi poteſt. Sed præſtàt, ut ſaltem ea recenſeantur, quæ ad rem hujus argumenti faciant. e g. Lucis ea eſt natura, ut non tantum eminùs, quod vulgus judicat, „ ſplendeat, ſeque oſtendat, ſed actu radios ſuos ad nos trans- „ mittit; non eminùs tantum DEUS aliquid de ſe manifeſtat, „ ſed ſui cognitionem, & in conſcientia, &, ad Verbum, per „ Spiritum intimè nobiſcum communicat, hoc, eleganti copulâ, „ *David* indicat *Pſal.* XLIII, 3. *Mitte lucem & veritatem* Aut. „ Lucis ea natura eſt, ut non poſſit latere, vel ipſis illis, qui in „ obſcuro habitant, per unum, vel alterum radium ſe manifeſtat. „ *Rom.* I, 19. Sic *de aquâ*, non tam *in genere*, quam *in ſpecie*, *emblemata* peti poſſunt. e g. ad locum de *ſalute ex gratia*, de *regeneratione ex Spiritu* &c. ſcilicet: Aquarum hæc eſt ratio, „ ut, naturâ ſuâ, non aſcendant altiùs, quam antea delabeban- „ tur; dona, quæ, ab inferiori ſcaturigine, naturâ ſunt, in „ mundo equidem, & inter homines, valere poſſunt, ſed à cœ- „ lo ſit, quod ad cœlum ducit, neceſſe eſt. *Jacob.* I, 17. „

§. XLVI.

b) Typica

b) In *typis*, ex inſtituto divino, ad majora ſignificanda deſtinatis, latus, ad *Exordia*, patet campus. Uberem Exordiorum copiam, ex typis, ſuppeditabunt ſupra §. 32. laudati *Taylor*, *Pauli*, *Baumannus*, *Biermannus*. Sic e. g. per *lucem primigeniam*, ſplendentem in locum obſcurum, &, mediante igne „ ſuo, ad juſſum DEI, ſeparantem ſuperiores & inferiores „ aquas, donec in ſolem, & ſidera tranſlata fuerat, tranſitus fie- „ ri poteſt ad *Verbum Evangelii*, in tenebris lucens, & cordi- „ bus tenebricoſis illuceſcens 2. *Corinth.* IV, 6 Animam & „ Spiritum, medullam & oſſa, interiora, exteriora ſeparans „ *Hebr.* IV, 12. uſquedùm verus Lucifer, *Chriſtus*, exoriatur „ in cordibus noſtris 2 *Petr.* I, 19. Per *ſplendorem in facie Moſis*, quodque, cum Moſes ad Dominum ſeſe converteret, ve- „ lamen omne fuerit ſublatum, tranſitus fieri poterit *ad Deum*, „ hujusque *virtutes*, & *gloriam*, nunc cumprimis *in facie Chriſti* „

„ ſe manifeſtantem 2. *Corinth.* III, 16. 18. *Coloſſ.* II, 3. Per *te-*
„ *nebras*, triſte chaos mundi, aut per varias *impuritates legales*
„ *Levit.* XI-XVI *ad peccatum*, vel regenitorum opera ita con-
„ ſpurcans, ut ipſa illorum juſtitia ſit *veſtis* ſanguine *polluta Je-*
„ *ſai.* XLVI, 10. Per *arborem cognitionis boni* & *mali*, talis, *ad*
„ *legem*, dari poteſt tranſitus, ut, ſicuti abſtinendum erat ab il-
„ la arbore, quò edatur de *arbore vitæ*, vel, ſi edebatur de illa,
„ carendum erat hujus fructu; ita ſi ex operibus ſit juſtitia, non
„ ſit ex gratia, & viciſſim. Ex *ſacrificiis* pro *peccato* & *reatu*
„ tranſitus datur, vel ad *veritatem*, vel ad *perfectionem ſatisfa-*
„ *ctionis Chriſti*, uti quidem, loco illarum umbrarum hoc *cor-*
„ *pus Chriſto* fuit *adaptatum*, ut nunc, nequidem perfectiſſimis,
„ opus ſit ſacrificiis *Pſal.* XL, 7. 8 9. Per *Adamum*, hujus no-
„ men, ſedem, integritatem, Dominium &c. *ad Chriſtum*. Per
„ *Evam*, petitis ex *Adamo* oſſe & carne illius, per deſiderium
„ hujus ad *Adamum*, per dolores partûs, usquedum habeat Je-
„ hovam Dominum, *ad Eccleſiam*, quæ *Chriſti* juſtitiâ conſiſtit,
„ & ſanctitate ornatur, *ad fidem in illum*, &, inter varias luctas,
„ maturatum *adventum* ejus primum, & ſecundum, tranſitus
„ datur; hacque ratione *nomina*, & *vitæ Patriarcharum*, *piorum*
„ *regum*, *Prophetarum*, *inſtituta* cumprimis *Pontificis* M.; ſimi-
liaque, amplam ſupellectilem, ad Exordia, præbent.

§. XLVII.

ב) In textibus practicis.

ב) In *textibus practicis* peti poterunt *exordia* 1) ab *actibus prudentiæ civilis*, & *legibus ſocietatis humanæ*, aſcendendo à mi-
„ nori ad majus. e. g. Prudentis eſt, huic uni inſiſtere, quod
„ ad rem facit, tædioſæ pariter & inutiles ſunt ambages; *Ho-*
„ *minem Deus fecit* ישר, qui ad ſuum ſcopum rectà tendit, ex
„ ſolo peccato ſunt *cogitationes* multæ, multorum *Magnatum*
„ *Eccleſ.* VII, 30. hæc ad præceptum ſummum, *charitatis in*
„ *Deum*, eique ſecundum, *charitatis ad proximum*, ad monita
„ de *timore Dei*, in ſpecie *Eccleſ.* XII, 15. referri poſſunt. Por-
„ ro: Prudentis eſt, tueri ſtatum, & conditionem ſuam; valet
„ illud etiam in mundo, ſub conditione charitatis & humilitatis
„ *Rom.* XIII, 6. magè id requiritur in Chriſtianiſmo 1. *Petr.*
I, 21.

Digitized by Google

I, 21. ulterius: Agendum eſſe convenienter ſuæ origini, qui ſe "
eùs agit, peccat contra naturam, itaque, e. g. qui vivit in "
Spiritu, etiam in Spiritu ambulabit. *Galat.* V, 25. Peti 2) poſ- "
ſunt, ex *oppoſitione priſtini ſtatus*, non tantum ſub peccato, "
ſed etiam ſub lege, juxta *Phil.* I, 27. item, à *partibus imaginis* "
divinæ, à naturali *nexu veritatis* cum *pietate*. Si etiam 3) à *ty-* "
pis exordia petantur, pro baſi id poni poterit, quod, in *ſacri-* "
ficiis, non ad *impetrationem* tantum, ſed etiam ad *applicatio-* "
nem, nec illam ſaltem *à parte Dei*, ſed etiam *à parte hominum*, "
reſpiciatur; quod, ad *ſacrificia* pro *reatu* & *peccato*, vel hac "
de cauſa, *pacifica* acceſſerint, & ſacrificia *laudis*, ut doceamur, "
ſub emblemate *farinæ*, *oleo* & *permixtæ* intùs, & extùs *unctæ*, "
quæ nos *confeſſio*, ſive *noſtræ fraudis*, ſive *Dei laudis*, per Spi- "
ritum S., & in teſtimonio externo talis unctionis, deceant. "
Hùc etiam 4 *emblemata naturæ*, veluti *ſerpentina prudentia*, *co-*
lumbina ſimplicitas, *oculus ſimplex*, tum *ſanus*, tum *non fucatus*,
ſimiliaque, facere poſſunt.

§. XLVIII.

ג) In *textibus paracleticis*, ſive nunc promiſſiones totius Ec-
cleſiæ, ſive ſingularium fidelium contineant, in id incumben-
dum eſt, ut, etiam ab initio, ſuavis quidam, illius balſami, odor,
afflictas mentes afficiat, ſintque, *exempli loco*, hæc *themata*: Fa-
cere Deum omnia ſuo tempore: Eſſe Jehovam Zebaoth, etiam "
ordinatiſſimi temporis: Lucem ſuam mittere in tenebras: "
Habere pietatem promiſſa, etiam hujus vitæ: Eſſe DEUM "
conſervatorem non modo hominum, ſed & pecudis, non mo- "
do electorum, ſed omnium: Accepiſſe *Chriſtum* dona, etiam "
pro rebellibus &c. "

ג) in textibus paracleticis

§. XLIX.

ד) Quodſi vero *integer Scripturæ S. Liber* explicetur, *ex-
ordium* commodè petitur, *vel* à *nexu* ejus cum antecedentibus,
vel ab ἀνακεφαλαιώσει, ſive *recapitulatione dictorum* hactenus, quæ,
ſi hæreat paſtor etiamnum in initiis, latiùs deduci poterunt, ſi
progrediatur, in ſummam arctiorem contrahi poterunt. Sic,

ד) in explicatione integri libri.

ſi quis

ſi quis, e. g. in *Eccleſiaſte Salomonis*, usque ad poſtrema veniſſet, priora omnia ſuccinctè ita proponere poſſet: *Eſſe omnia vana;* „ id patere ex *duplici argumento*, *inde*, quod nullum, à rebus „ hujus mundi, exſpectari queat bonum permanens, *hinc*, quod „ incredibilis, in omnibus, ſit moleſtia; certum eſt *poſterius* hoc „ *membrum*; ita ſemper res ſe habuit, id uſu expertus fuit *Sa-* „ *lomo*, in laboribus, ſtudio ſapientiæ, voluptatibus, & per ſe „ ſingulis, & cum priori ſapientia connexis; nec aliter id poſ- „ ſe, quia omnia deſtinato ſuo tempore dirigantur à Deo, un- „ de nihil præſtat quam εὐθυμία in ἐνεργείᾳ; id experiri quem- „ libet in converſatione cum aliis, cum æqualibus, cum ſuperio- „ ribus, cum Deo, ut ſe nunc res in peccato habet, ubi nimia „ vanitas, proh dolor! in cultu publico, in precibus, & votis „ appareat; certum eſſe *poſterius membrum*, vanas enim eſſe, „ quæ pro bono permanente habentur, opes, non prodeſſe eas „ domino, non ſervo, potiùs multùm nocere; hujus meditatio- „ nis hunc eſſe debere uſum, ut circumſpecti ſimus in judicio „ noſtro, circumſpecti in converſatione cum æqualibus, ſu- „ perioribus, Deo; itaque quærendum eſſe favorem ſuperio- „ rum, tranquillâ ſubmiſſione, inferiorum, promtâ beneficen- „ tia, Dei ipſius, poſt ſedulam Creatoris recordationem, in ſe- „ nio tam utilem, timore Dei, & obſervatione mandatorum „ ejus, quæ totius hujus ſermonis ſumma ſit.

Sectio V.

De Connexione Textûs.

§. I.

Exordio ſubjungenda eſt connexio textûs.

Quæ, in explicanda librorum ſerie, exordii loco, adhiberi poteſt *connexio*, ea in ſingularibus textibus, ſi ſuccinctior ſit, *exordio ſubjungenda* eſt, ut, ex cohærentia textus cum argumento ſuperiori, *ſcopus* Verborum in pleniorem lucem proferatur. *Connexionis* equidem, in concionibus, *Angli* & *Galli* recentiores *nullam* ferè *rationem habent*, quia non de explicatione Verbo-

Verborum, ſed ſola argumenti generalis, ſub Verbo latentis, tractatione ſoliciti ſunt. Sed cum *Germani* æquè, atque *Belgæ* id, in concionibus ſuis, ſibi negotii datum credant, ut, ad informationem in fide, & excitationem ad ſtudium pietatis, etiam cognitio S. Literarum accedat, quæ ſolæ hominem ſapientem reddunt ad ſalutem, in ſenſum literalem textuum ſolicitè inquirunt, & ideo connexionis cummaximè habendam eſſe rationem perſuaſi ſunt.

§. LI.

In hunc autem finem opus eſt, ut paſtor 1) *perſpectum habeat* & exploratum *totius libri ſcopum*, ex quo Verba textus petuntur, quippe quem in omnibus, etiam vel minimis verbis, à Spiritu S. inſpiratus Scriptor intendit, quo omnia, ne ipſa quidem praxi omiſſâ, direxit, ut cauſæ etiam ſubjunctarum, e. g. in Epiſtolis Apoſtolicis, exhortationum illum lateant, qui totius Epiſtolæ ſcopum non reſpicit. 2) Ut *partes generales*, & *ſuccinctam* quandam, *totius libri analyſin* in promtu habeat, cum arctè partes illius cohæreant, & una pars alteri egregiam quandoque facem præbeat. 3) Ut *antecedentia* & *conſequentia ſui textûs* penitiùs inſpiciat, ex quorum medio deſumta Verba, ſine illorum perſpecto ſenſu, intelligi non poſſunt. 4) Ut *ratio connexionis* textus, cum illis, ex *particulis*, *formâ propoſitionis*, *accentu* ponendo in Verbis, perpendatur, & diſquiratur, an nova quædam ſit prioribus addita propoſitio, an propoſitionis ratio, vel ſaltem illuſtratio, aut etiam vindicatio, imo annon potius ſit oppoſitio?

Requiſita ad ejus inventionem

§. LII.

Rectè *Chryſoſtomus* ad *Pſal.* III. *Quemadmodum ædificium ſine fundamento debile eſt; ita niſi inveniatur ſcopus, Scriptura S.* Extent in aliis ſcriptis, quæ ſint extra compitum, & nihil ad rem faciant, id in S. Literis non uſu venit, inſtant ubique Scriptores *ſcopo* ſuo, & ſelectum & ordinem præceptionum à *Paulo* Romanis, ad calcem Epiſtolæ, datarum mirari quis poſſet, ſed qui hoc intime perſpectum habet, ſcopum *Pauli*, in illa Epiſto-

Digitized by Google

la, eſſe juſtitiam fidei Judæis primùm, poſt gentibus, ex miſeratione Dei, per ipſius Evangelium eſſe revelatam, apprimè agnoſcet, hìc ea ſaltem nominari officia, quæ ex juſtitia fidei, divinisque miſerationibus immediatè fluunt, & quæ, ad hanc fidei doctrinam, inter credentes, purè conſervandam, tum in mundo, tum in Eccleſia, faciant, quod, præ reliquis, *van den* Honert *in prodromo ad hanc Epiſtolam* eleganter oſtendit. 2) Ut, cum ſcopo, *analyſin* etiam quandam menti firmiter imprimat paſtor, ſingularis uſus eſt. Ita enim, vel ex tempore, ſenſum alicujus loci illuſtris, maximè dogmatici, cum illi doctrina ipſa jam perſpecta ſit, explicare poterit. Inſerviunt huic *ſtudio analytico*, poſt antiquiora, *Hadr. Junii* & *Altingii* labores, *Enchiridion Biblicum Heideggeri*, primò *minus*, poſt *majus*, maximè cum *Opere Analytico Sal. van Til*, qui *Heideggerum*, ubique *Coccejum* ſequentem, paſſim corrigit; quibus tamen non ita confidet paſtor, ut non etiam, proprio labore, ſibi partes ſaltem generales librorum ſacrorum, per aſſiduam lectionem, familiares reddat, non modo, quod propria fortiùs memoriæ infigantur, ſed quod vel ſola collatio *Heideggeri* & *Tillii* oſtendat, quantum quilibet ſibi, ſuæque imaginationi, in diſtribuendis partibus S. Scripturæ, concedat, quomodo fortè, & haud difficulter, opus analyticum, cumprimis in *Pentateuchum*, *Proverbia*, & *Prophetas*, toto cœlo ab opere *Tillii* diverſum, formari poſſet. Cum vero, quò propiùs verba textûs cohærent, eò magis ad ſenſum Verborum faciant, in id cumprimis incumbendum erit 3) paſtori, ut *quæ arctè cohærent*, *partemque ſeparatam conſtituunt*, *à reliquis diſtinguat*, quod ſæpiùs artis eſt, cummaximè in Prophetiis, quarum nequidem integræ conciones, & viſiones ubiquè clarè à ſe ſeparari poſſunt, eſtque hìc nequidem maximo Sacrarum Literarum interpreti, *Coccejo*, ubique fidendum, quod ille omnem ſenſum literalem, in quantum ad præſentia tempora ſpectat, ſæpiùs excluſerit, hincque Prophetias conjunxerit, ut ductum vaticiniorum, ad ultima tempora, obtineat, cum tamen, ex Prophetiis ipſis, luculenta peti queant teſtimonia, quod & diverſo tempore fuerint habitæ, & ad diverſa reſpiciant. Id meditanti inprimis Prophetiam *Hoſea* ſe commendabit

Digitized by Google

dabit ad conſcientiam. Quomodo autem textus noſter, cum antecedentibus cohæreat, quæ illius ad hæc ſit ratio, id *inde* quidem *ex* adhibitis *particulis* (de quibus omnino legi meretur *Franc. Vigerius* de *particulis linguæ græcæ*) *hinc* autem etiam quandoque ex *ſono loquentis* expiſcari debemus, ita enim, pro more Judæorum; interrogationes & reſponſiones ſic ſibi ſunt invicem conjunctæ, ut vix & ne vix quidem, citra intervenientem ſonum diſcerni queant. Sint *exemplo* quæ *Rom.* III, 1-9. & *Galat.* II, 14 fin. occurrunt.

§. LIII.

Non id autem in hunc finem monetur, ut, connexionis oſtendendæ ergò, tam operoſa & prolixa tractatio, omnibus & ſingulis textibus, ſit præmittenda; ſed *diverſa textuum ratio*, etiam *diverſam ſcopi*, vel *cohærentiæ tractationem poſtulat*. Diverſa ejus tractatio

§. LIV.

Ita, in Historicis *Textibus*, nec ſcopus, nec partes totius libri, ſaltem ſemper, & ubique, indicandæ ſunt, ſed ſufficit, ſi, ex proxima periodo, cui textus inhæret, ſumma rei indicetur. Interim, *in Evangeliis* exponendis, non omni fructu carebit, ſi quandoque ſaltem indicetur, vel quo anno, vel in quo itinere, eventus ille Hiſtoricus, contigerit, cumprimis, in *Evangelio Lucæ*, ad prolixam illam præparationem Paſſionis Chriſti; quæ in itinere valedictorio ejusdem, intra poſtremas ſex hebdomades, evenêre, quæque plus quam dimidiam, hujus Evangelii partem conſtituunt, à *Luc.* IX. ℣. 51. ad XVIII, 14. reſpiciendum eſt; ſicuti, è contrario, in *Evangelio Matthæi*, claſſis illa argumentorum, ex qua textus petitus eſt, conſiderari debet, creſcunt enim in illo etiam demonſtrationes, quibus probat, Jeſum eſſe Chriſtum. Sic, in *Johanne*, ſaltem ad diem illum feſtum recurrendum eſt, in quo ſermonem habuit, ex quo textus petitur. Videantur ad hæc *van Til* in *Matthæum*, *Lampe* in *Johannem*, & cummaximè *Burmannus*, filius, in *Harmonia* IV. *Evangeliſtarum*, *Lightfoot* in *Harmon.* & *Chronico* N. T. Oper. Tom. II. In *Textibus* Poeticis non opus eſt, ut 1) in textibus hiſtoricis 2) Poëticis

ultra illum *Pſalmum* aſcendatur, in indicando nexu, ex quo Verba textus petebantur, niſi fortè obſervetur, eſſe notabilem quandam connexionem Propheticam, in quibusdam Pſalmis ſibi invicem cohærentibus. Ita certè *Pſalmi*, inde à *Pſal.* XLII.
„ ad L. qui poſteris *Korachi* dati fuêre, nexum quendam Pro-
„ pheticum evidenter continere videntur. Cum enim *Pſal.* XLI.
„ Paſſio Chriſti eſſet relata, *Pſal.* XLII. ſub typo *Davidis*, eje-
„ ctio Chriſtianorum ex ſynagogis Judæorum, cum illorum de-
„ ſiderio accedendi ad Altare Domini *Pſal.* XLIII. illorum per-
„ ſecutiones ſub Judæis *Pſal.* XLIV. coll. *Rom.* VIII. 36. nu-
„ ptiæ Chriſti cum Eccleſia, regnumque illud tempore Con-
„ ſtantini M. erectum *Pſal.* XLV. perſecutiones ſub Anti-Chri-
„ ſto, cum defenſione Eccleſiæ *Pſal.* XLVI. elevatio Eccleſiæ,
„ ex hiſce portis inferni *Pſal.* XLVII. & XLVIII. ultima vero
„ tempora *Pſal.* XLIX. deſcribuntur. Hæc vero connexio, quod latior illa ſit, quam ut ad Exordium referri queat, vel cum explicatione textus conjungi, vel etiam commodè, usque ad demonſtrationem implementi, textus expoſiti, differri poterit.

3) Prophe-ticis

4) Dogma-ticis

Eadem ratio eſt *textuum* Propheticorum. Cumprimis vero, in Dogmaticis *textibus*, & *ſcopus libri*, & *partes doctrinæ* propoſitæ latius deduci debent, quia haud leve pondus, ad doctrinam in textu confirmandam, etiam ex antecedentibus petitur. Non opus autem eſt, ut operoſè partes omnes præcedentes & diſtinguantur, & nominentur. Sufficit quandoque ipſas veritates præmiſſas, in ſuo ordine, referre. Sit pro *exemplo Galat. Cap.* II ℣. 16. ubi *connexio* ſic proponi poſſet: Juſtè mirabatur *Paulus*, per ſeductionem pſeudo-doctorum, converſos ex gentibus transferri à vocante Deo, idque, in gratia Chriſti, ad novam ſervitutem legalem, tanquam ad aliud Evangelium; *Non erat aliud; non poterat aliud eſſe. Nec* enim *erat Evangelium Pauli ſecundum hominem*, quod homines ſuadeat, illorum juſtitiam, auctoritatem, doctrinam, traditiones; *erat* hoc, quod acceperat, *planè divinum*; *docuit* hoc illius *converſio*; *ante illam* mero, in Chriſtianos, odio flagrabat, *in ea* Deus ipſe Filium ſuum manifeſtavit, *poſt illam* nemo ipſum informavit; docuit *converſatio* ejusdem *poſt converſionem*; converſatio *cum Apoſtolis omnibus*, qui

Hie-

Hieroſolymæ fuerant, & Evangelio Paulino nihil addiderant; converſatio *cum Petro*, qui adeo nihil addidit, ut potiùs etiam ab illo fuerit correptus, & quidem inprimis in converſatione tali, quæ nocere potuiſſet juſtitiæ fidei, unde cum ſeſe excuſasſet, ſeu potius ambulationem ſuam, ab origine ſuæ gentis, defendiſſet, inquiens; *nos naturâ Judæos eſſe*, reſpondet ei *Paulus*, in Verbis textus, *ſcire* tamen *ipſos*, *Petrum* & *Paulum*, *nullum hominem*, fuerit Judæus, fuerit Apoſtolus, *juſtum haberi ex operibus*. Ad *ſitum connexionis* quod attinet, poterit illa *propoſitioni*, ſive argumento textus, *præmitti*, ſi ſuccinctior ſit, ſi vero longior, præſtaret illam *diviſioni ſubjungere*, & explicationi textus præmittere 1) quia *propoſitio* ſumma eſt dicendorum, non dictorum, etiam ratione nexus, 2) quia textui ipſi arctè præmiſſa connexio plus lucis infert, & fortiùs memoriæ infigitur.

§. LV.

In *textibus* PRACTICIS, ubi major materiæ, minor textus ipſius ratio habetur, *prolixior connexionis tractatio minus* eſt neceſſaria, quandoque tamen, ad illam, occaſiones ſubnaſcuntur, ſive per *Exordium*, ſive per *ſitum textus*, praxi egregiè inſervientes. Ita, in laudato ſuperiùs §. 39. *textu Job.* XXVIII, 28, ad *Exordium* indicatum, hæc ſubjungi poterit *cohærentia:* Talem τὰ διαφέροντα δοκιμάζοντα egit *Jobus*; conſideraverat, inde ab initio capitis, & bona ſubterranea, & ſtudium effodiendi opes, irritamenta illa malorum, quomodo, in hunc finem, homines nunc cum terra tenebricoſa, & inacceſſa, nunc cum rupibus perfodiendis, nunc cum aquis irrumpentibus luctentur ℣. 1-11. Huic ſtudio, ſtudium ſapientiæ ita opponit, ut inde quidem oſtendat, auro illam atque gemmis longe eſſe præſtantiorem ℣. 12-19. hinc vero etiam homini naturali magè imperviam; tandem tamen illas opes, quas, tanto conamine, in terris quærit homo, oculis illius retegi, non autem ſapientiam divinam, vel per maris, vel per orci ingreſſum, patere ℣. 20-22; Soli DEO illam eſſe cognitam, hanc ipſum in promtu habere, inde à prima, & æterna rerum conſtitutione, illam nemini, niſi timenti DEUM manifeſtari ℣. 23.

5) cumprimis in textibus practicis

Exem. Job. XXVIII, 28

„ ſeqq. Si itaque ſcire velimus, quid præſtet in mundo, non
„ auri & argenti, ſed ſapientiæ & prudentiæ ſummum eſt pre-
„ tium; ſi inquiramus in medium, quo illa obtineatur, non id
„ eſt inveſtigatio naturalis, ſed *timor Domini*, & *receſſio à malo*,
„ hæc ſunt illa διαφέροντα. Porro, ſi tractanda eſſent pro con-
Exemplum Pſal. LI, 18. 19. cione Verba *Pſal* LI. 18. 19. Operæ pretium erit, poſt ſimile
Exordium de δοκιμασίᾳ τῶν διαφερόντων, totam Pſalmi conne-
xionem, vel hac de cauſa, ſubjungere, quod ordinatiſſimum
„ pœnitentiæ Evangelicæ compendium ſit. Ita enim *David*
„ *duo* ſibi maximè *beneficia*, ſummam rei, in negotio gratiæ,
„ conficientia, expetit, inde *juſtificationem* ℣. 1 - 11. hinc *ſancti-*
„ *ficationem* ℣. 12 - fin. א) *Illius* & *gratiam* petit ℣. 3. 4. & *funda-*
„ *menta* ſuæ petitionis, atque *fiduciæ* ſubjungit, deſumta inde,
„ *à parte DEI*, ex virtutibus illius, *benignitate* & *miſericordia*
„ ℣. 3. hinc, ex *qualitatibus Davidis*, quæ ſpem gratiæ ipſi fa-
„ ciunt, ſuntque a) *agnitio* doloroſâ *peccatorum*, & quidem *tum*
„ *actualium*. *in genere* ℣. 5. *in ſpecie* vero ℣. 6. deſcriptorum,
„ *tum adverſus DEUM:* Tibi Soli, *tum* adverſus *proximum:*
„ coram te, commiſſorum; quæ confeſſio amplificatur, ab
„ oppoſita *juſtitia DEI*, qui & *verus* ſit, quando omnem homi-
„ nem peccatorem dicit, & *juſtus*, quando eum, ut talem, ad
„ pœnam trahit, *ibid. tum originalis* ℣. 7. b) *Agnitio* fiducialis
„ *divinæ gratiæ*, cujus ſuæ ſcientiæ indicat & *fundamentum* pri-
„ mum, *veritatem*, & *ſapientiam*. hincque fluentem *revelatio-*
„ *nem DEI*, non extùs tantum, per *Nathanem*. ſed intus *in præ-*
„ *cordiis* ℣. 8 & *ſubſtantiam* ſive *materiam*, cujus *tum medium* re-
„ cenſet, ſub typo *hyſſopi*, meritum Chriſti, *tum fructum* re-
„ fert *geminum*. inde *puritatem* ℣. 9, hinc, ex puritate, *tum gau-*
„ *dium* ſubjectivum ℣. 10. tum *ſecuritatem* objectivam, ab ira
„ DEI, & accuſatione peccati ℣. 11. Hinc ב) progreditur ad
„ *poſtulatum ſanctificationis*. Hujus *tum* ſibi expetit *principia*,
„ eaque tum *ſubordinata*, quæ, ut alia ſanctificare queant, ipſâ
„ ſanctificatione egent. *cor mundum*. oppoſitè ad affectus impu-
„ ros, qui ipſum polluerunt. & *Spiritum firmum*, oppoſitè ad in-
„ firmitatem, qua illis aurem præbuit ℣. 12; *tum* ſupremum
„ & *primarium*, *Spiritum* S., ℣. 13. Inde ſibi *effecta triplicia*
pro-

Digitized by Google

promittit, tum *ratione ſui ipſius*, qui *futurus* ſit inde *hilarior*, ad patiendum, *alacrior*, ad agendum ỳ 14. tum *ratione proximi*, quem ſuo ſit exemplo *ad pœnitentiam informaturus* ỳ. 15, tum *ratione DEI*, cujus *juſtitiam* ſit *deprædicaturus* ỳ. 16. *tum verbali prædicatione laudum* ejus ỳ. 17. tum *ſanctificatione reali*, *priſtinis* ſuis *ſacrificiis*, & cæremoniis externis, nunc *prælaturus Spiritum*, ex μεταμέλεια, ſive dolore peccati, *confractum*, & *cor*, per μετάνοιαν, *contritum*, in quo ſolutum eſt, quod erat rigidum, totum, inter abnegationem ſui, nunc tractabile."

Sectio VI.

De Argumento Textûs.

§. LVI.

Argumenti textus propoſitio

Nexui indicato ſubjungitur *propoſitio* ſummæ, ſive *argumenti textûs*. In hac propoſitione obſervari merentur 1) ut, ſive ex Exordio, ſive ex ſubjuncta connexione, prono alveo fluat. Nihil ingratius eſt, quam nimius, inter præmiſſa, & propoſitionem inſtituendam, hiatus. Cogitationum & meditationum nexus ſe auditori cummaximè commendat. 2) Ut, ſi textus ſit ſuccinctior, & in una tantum propoſitione conſiſtat, argumentum per generalem quandam paraphraſin inſtituatur, ubi tamen cavendum erit, ne dicatur id omne in argumento, quod lucem ſpecialem explicationi dare queat; aut, ſi prolixior textus ſit, in ſummam contrahatur id, quod partes textûs potiores conſtituit. Nihil enim faſtidioſius eſt, quam ſi e. g. in propoſitione *pericoparum Evangelicarum*, omnes & ſingulæ circumſtantiæ, alias jam auditori notiſſimæ, nudæ repetantur, quò tamen ipſa textus prælectio fecit. 3) Ut aliis, iisque generalioribus Verbis, quam quæ in textu extant, argumentum proponatur; nec enim Verborum repetitio, & eorundem ſumma, unum ſunt. 4) Ut, potiorum ſaltem, pertractandarum partium nulla omittatur in argumento, utpote ex quo ſubſequens etiam diviſio

ſio

ſio inſtituenda eſt. 5) Ut cauſa hujus propoſitionis, ab auctore ſacro, factæ, ex anterioribus adjungatur. 6) Ut, ſi ratio poſtulet, hujus argumenti, nunc hoc tempore, ſpeciatim conſiderandi, prægnans ratio ſubjungatur, illudque à neceſſitate, vel utilitate commendetur.

§. LVII.

Inſtituti recentioris eſt.

Propoſitionis uſus recentioris inſtituti eſt. *Patres* equidem quandoque *argumentum* dicendorum *propoſuêre*, ſed illud hac de cauſa, *quod partem* ſaltem plerumque *pericopæ* lectæ *explicuerint*, eratque tum argumentum illis exordii loco, imo aliquot ante dies argumentum quandoque, ante tractationem, auditoribus ſuis inſinuaverunt, cujus rei *exempla* extant *in homiliis Chryſoſtomi*. *Reformatores* noſtri, in concionibus ſuis, etiam *ab argumento generaliori exordium ſumſêre*, & nullam deinde propoſitionem ſpecialiorem ſubjunxêre. Etiam quandoque argumentum ipſum ita vel exordio, vel cohærentiæ connectitur, ut ſeparata propoſitione non ſit opus. *Hodiè* tamen magnum, & *inſignem uſum* creduntur habere *propoſitiones*, ita ut contra regulas oratoriæ ſacræ peccaret, qui illam omitteret; ſaltem *concionatori* ipſum argumentum probè perſpectum ſit neceſſe eſt, non modò ut, ad generaliora inde progrediens, materiam exordii formet; ſed ne etiam, per totam ſuam meditationem, extra orbitam vagetur; *Nec ſine fructu*, cumprimis *in textibus dogmaticis* & *practicis*, apud *auditores* ſunt, non item in *Propheticis*, ubi, quâ potior verborum ſenſus eſt, ex litera expoſita demum patet, niſi evidenter conſtet, quò tendat Propheta, ut in vaticiniis de *Chriſto*; ut autem, quavis occaſione, moneamus, repreſentamen implementi explicationi nos eſſe ſubjuncturos, frigidum eſt, & inutile. In *genere propoſitionis* rectè *definiendo* aliquid operæ ponendum eſt, & vel è *forma verborum*, vel è *materia* peti poterit. v. g. ad *Job*. XXVIII, 28. dici poſſet: exhiberi hîc *teſtimonium DEI*, *de medio & qualitate veræ ſapientiæ*, *oppoſitè ad id*, *in quo homines illam quærunt*. Vel: *Prærogativam* ſiſti, *timoris DEI*, *& pænitentiæ præ illis*, *ex quibus homines laudem ſapientiæ quærunt*. Ad *Pſal*. LI, 18. 19. vel è *forma*: *Teſtimonium Davi-*

Digitized by Google

Davidis de eo, quod DEUS acceptat, &, in hac materia, *de diſcrimine inter cæremoniales leges, & pænitentiam Evangelicam.* Sive de *materia*: exhiberi *prærogativam veræ pænitentiæ, præ cæremoniis legalibus, in judicio DEI, in hunc finem à Davide propoſitam, ut, in illius exercitio, gratum ſuum erga DEUM animum declaret.* Sic, in *doctrinalibus*, ad *Galat.* II, 16: *Teſtimonium Pauli, Petro vel Judaizantibus oppoſitum, & agnitione credentium omnium confirmatum, de juſtitia peccatoris coram DEO, in hunc finem propoſitâ, ut nequidem converſatio cum credentibus ex gentibus, metu ſcandali credentium ex Judæis, vitetur.*

§. LVIII.

Sed juvat *argumenti partes* pleniùs intueri, & exponere. Est illud *ſuccincta* quaſi *definitio*, vel *textûs*, vel *dicendorum ex textu, ut uno auditor obtutu, quid per concionem tractetur, in promtu habeat.* Conſiſtit itaque *genere*, & ſua *ſpecificâ differentiâ. Genus* vel ex *forma*, & *modo propoſitionis*, vel ex *materia*, & *re propoſita formari*, & quandoque cum qualicunque *elogio*, ſi fieri queat, Verbis quæ Spiritus S. docuit, proponi poterit. Ejus partes.

§. LIX.

א) Si *textus* ad credenda pertineat, & *fidei* quoddam *dogma* menti ſiſtat, dici poterit, illum continere *ſalutarem doctrinam*; dare *brevem*, ſed *luculentam informationem*; exhibere *magnum illud pietatis myſterium*, repreſentare illud *firmum, & omni acceptione dignum Verbum DEI* &c. Si ejusmodi dogma, in textu, *probetur*, propoſitio eſſe poterit: Exhiberi *ſolidam confirmationem, grave teſtimonium, demonſtrationem Spiritus.* Si *latiùs* illud *diducatur*: dari *perſpicuam explicationem magni illius myſterii* &c. Si *plura conjungantur*: repræſentaturos nos *congeriem ſalutarium veritatum.* Ita etiam, *ex materia*, res generalis proponi poſſet, e. g. ſiſti hic *Juſtitiam DEI, in lege & Prophetis confirmatam* &c. Si Verba faciant ad inculcandum *officium*, & propoſitio quædam exhibeatur. *de virtute*, ſuccincta, dici poſſet, e g. ad *Prov.* I, 7: continere illam, *γνώμην, axioma, brevem* equidem, ſed *utiliſſimam ſententiam, einen Königlichen Denckſpruch.* Si cum Genus.

 exhor-

exhortatione quadam illa propoſitio ſit conjuncta, vocari poterit *monitum ſalutare*, *via index*, παράκλησις. Si *urgeat acriter:* Dari *Verbum ſicuti ſtimulum*, ex *Eccleſ.* XII, 11. Si *inſiſtat* Scriptor S. Dari Verbum *ſicuti clavum*, altiùs firmiùsque inſigendum. Si quæ peccatorum ſit *reprehenſio* in textu, *gravis*, dici poſſet, *oratio DEI*, qua populum hujus vel illius criminis poſtulat, quod, pro varia propoſitionis ratione, jam *convictio*, jam *conteſtatio*, *obteſtatio*, *acris ad officium revocatio*, *gravis*, à judice vivorum & mortuorum, facta *redargutio* dici poſſet. Si *ſperanda* concernat, & *Prophetiam* exhibeat textus, ſed *lætioris eventus*, inſcribi poſſet: *Suavis*, & *Evangelica prædictio*, *magna*, & *pretioſiſſima promiſſio*. Si vero *triſtiora: Onus*, *gravis*, tremendi judicii, *comminatio*. Si textus ſit *hiſtoricus*, exhibere illum, dici poſſet, *partem* hanc vel illam *viarum DEI*, in ejus ſanctuario, referre *miram ſanationem*, *tremendum judicium* &c.

Differentia ſpecifica. ב) In *differentia* hujus *argumenti præ alio*, tum ad *objectum*, tum ad *ſcopum* reſpiciendum eſt. *Objectum* vel unum eſt, vel plura nobis, & diverſa ſiſtuntur. *Unum* ſi contineat, illud *vel nudè* proponitur, *vel* adeſt quædam illius objecti *amplificatio*. Si *nudè* ſaltem proferatur, ita ut tota propoſitio ex *ſubjecto*, *prædicato* & *copulâ*, vel expreſſâ, vel ſubintellectâ, conſiſtat, ſufficit ſi generalioribus verbis objectum, vel actio illa deſcribatur. Si vero quædam, illius propoſitionis, in textu cernatur *amplificatio*, atque *deductio*, quænam hæc relatio ſit, quam illa deductio, ad objectum, habeat, conſiderari, & proponi debet. Ita enim *objectum*, *res* & *actio* quædam, jam cum ſua *origine*, ſive *principio* & *fundamento*, unde ſit; jam in ſuo *modo*, & *actione*, qua res illa fit; jam cum *cauſa*, mox cum *effectu* proponitur; vel additur *conſequens* quoddam, aut *finis* rei, ſive ille rei *terminus*, ſive ejus *ſcopus* ſit, quæ quidem *omnia*, etiam *in argumento*, verbo *monenda* ſunt. Quodſi vero *non unius* tantum *objecti*, & *rei* mentio fiat, in diverſis illis rebus tamen, quantum fieri poterit, *nexus* & *relatio* quædam quæri, & indicari debet; vel enim, in textu, cernitur *diſtributio* totius cujusdam in ſuas partes, vel *congeries* plurium ſpecierum ejusdem generis, vel *gradatio* quædam ab uno ad alterum, vel erit *comparatio* unius cum altero, eaque

eaque *completa*, ut adſit protaſis & apodoſis, aut *incompleta*, ut ſola referatur protaſis, vel erit *antitheſis* ſive *oppoſitio* quædam, eaque iterum aut *clara*, ut contraria juxta ſe poſita magis elucescant, vel *tacita* contrariorum permutatio, & inverſio, quæ, cum objecto, in argumento, etiam indicanda. His tandem etiam *ſcopus ſacri Scriptoris* in hoc textu, & quandoque etiam *concionatoris* ipſius ſubjici debet. Invenietur autem ille ſcopus vel *in textu* vel in *nexu*. 1) *In textu*; tum per *rem ipſam*, tum cumprimis per *particulas* præmiſſas, quæ quandoque ſunt *illativa*, ut *igitur*, quandoque *cauſales*, ut antecedentia probentur, interdum *adverſativa*, ferè plerumque *conjunctiva*, ita ut addatur etiam aliquando *ecce!* ut in re ſingulari, ubi vel præſens, vel certiſſimè futurum, aut magnum beneficium, aut grave periculum. 2) Vel etiam *ex nexu*, ſive antecedentibus & conſequentibus, ille eruetur, cujus vel *illatio*, vel *conjunctio*, vel *objectio*, aut *reſponſio*, in textu, comparet, cujus, in argumento, etiam paucis mentio facienda. Quibus tandem etiam *ſcopus paſtoris* additur, cumprimis ubi neceſſitas & dignitas argumenti id poſtulat. Ita ſi, loco ſimplicis propoſitionis, *Galat.* II, 16. verba ultima: *Per opera legis nulla caro juſtificatur*, tractanda eſſent, argumentum eſſe poſſet: Exhibetur *luculentum Pauli teſtimonium, de univerſali omnium hominum impotentia, ad obtinendam ſalutem ex propria juſtitia, eo fine Galatis inculcatum, ut, hac miſſâ, per fidem juſtitiam Chriſti quærant.* Ex eadem claſſe, *Galat.* III, 26. *Omnes filii eſtis* &c. proponitur, *univerſalis illa fidelium N. T. Prærogativa, conſiſtens in adoptione ad majorennitatem, orta ex fide Chriſti, adducta in confirmationem libertatis à lege ceremoniarum.* Sive: *Teſtimonium Pauli de univerſali, omnium fidelium N. T., adoptione, & hinc profluente libertate.*

Digitized by Google

SECTIO VII.

De Diviſione Textûs.

§. LX.

Partitionis textûs neceſſitas:

Propoſitionem accurata ſequatur *diviſio* neceſſe eſt. Ita enim, vel hac etiam ratione, Verbum DEI rectè ſecandum eſt. Claritas ſenſus à diſtinctione conceptuum, hæc autem à partitione textus ipſius dependet. Per illam tum paſtoris, tum auditoris memoriæ conſulitur. Tota Scriptura S., libri maximè dogmatici, ſingulari ordine conſcripti fuerunt, atque ulterius ordo ille promoveatur, Judæi *legem* & *Prophetas* in *Sectiones* majores & minores diſtinxêre, fuitque etiam, partium ſingularium diviſionibus, egregiè per *accentus* conſultum.

§. LXI.

Requiſita.

Diviſio requirit, ut textus in membra ſua potiora, ſive ſint materiarum diverſarum, ſive, unius materiæ, diverſarum circumſtantiarum, *reſolvatur*, *reſolutarum partium mutuus*, ad ſe invicem, *reſpectus perpendatur*, ſecundum illum *reſolutæ partes* vocibus, quæ rem in fronte gerant, *indicentur*; tum idem etiam textus *in* ſuas iterum *Sectiones minores*, vel in uſum auditorii, ſi textus paucioribus propoſitionibus conſtet, vel ſaltem in uſum paſtoris, & ut filum orationis ſervet, *ſubdividatur*.

§. LXII.

Conditio.

Accurata vero illa *diviſio* tum erit, ſi *certo* nitatur *fundamento*, ſi *adæquatæ* ſint *partes*, nihil in ea *abundet*, nihil *deficiat*, *nec nimis* etiam *partes multiplicentur*.

§. LXIII.

Leges.

Hinc bonæ *diviſionis leges* hæ ſunto: a) *Nihil dividatur, quod non intelligitur.* De ſenſu textus in genere, & vocum ſingularum, certus ſit paſtor, antequam ad illius diviſionem progredia-

grediatur; occurrunt enim ſæpiſſimè, in progreſſu, voces quæ, accuratiùs conſideratæ, aliam toti textui faciem præbent, aliam diviſionem requirunt. Ita quandoque (*) inter *vitia* refertur, quod loco *virtutis* fuit poſitum. Sic e. g. *Coloſſ.* II, 23. vox ἐθελοθρησκεία, à plerisque interpretibus, pro *ſuperſtitionis* deſcriptione habetur, quod, cum ſpeciem Σοφίας in his ponat Apoſtolus, ſingulares, in diviſione, difficultates excitat, cum *cultum* potiùs *voluntarium* dicat, qui ſenſui vocis Hebr. נדבה reſpondet, unde mox, prono alveo, verſûs diviſio fluit: Loqui *Paulum* de præceptis hominum, referre de illis præjudicium carnis, quaſi ineſſet illis ſapientia in officiis, DEO, proximo, ſibi præſtandis; ſed ſubjungere judicium Spiritus, & *quoad rem*, tum *poſitive*; *habere* ſaltem *ſpeciem ſapientiæ*, tum *negativè*; eſſe *nullius pretii*; & *quoad effectum* id probantem: *vergere ad expletionem carnis.* (**) Vel pro *nova* habetur *ſpecie*, ſive *vitii*, ſive *virtutis*, quod ad prioris *modum* pertinet. Ita, dum πλεονεξίαν interpretes ubique *avaritiam* notare ſupponunt, *Epheſ.* IV, 19. vulgò *duo* nominantur vitia gentilium, ſibi cæteroquin perquam contraria, *laſcivia* nempe & *avaritia*, cum potiùs, ex circumſtantiis, evidenter appareat, *unam* turpiſſimam gentium *laſciviam deſcribi*, & *ratione* ſuæ *originis*: ἀπηλγηκότες, & ratione *actûs*: *dedère ſe* τῇ ἀσελγείᾳ, & ratione *finis*: εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης, & ratione *modi*: ἐν πλεονεξίᾳ i. e. *cum* incredibili *ardore*. Confer *Epheſ.* V, 3. 5. & *notas Hammondi* ad *Rom.* I, 29. Sic & κρίματα vox *Rom.* XI, 33, ſi pro *judicii* voce ſumatur, elegantiſſimam analyſin diſſolvit, minusque commodè viis illis omnibus, de quibus poſtea agitur, opponitur; dum è contrario, ſi pro *conſiliis* ſumatur, firmiter conſtitutis, ut *Actor.* XXVI, 8, omnia commodè fluunt. b) *Non conjungantur, quæ ſeparanda ſunt*; ut in vitio omnino ponendum, ſi quis materias diverſas ad unum membrum referret, & nodum unius partis, in alteram ſectionem conjiceret. Ita etiam cavendum, ne *oppoſita* habeantur pro *appoſitis*, quomodo, cum pluribus interpretibus, ipſemet *Coccejus* verba: οὐκ ἐν τιμῇ τινι loco citato *Coloſſ.* II, 23., pro deſcriptione ἀφειδίας σώματος habuit, quæ tamen ad oppoſitum Spiritus S. judicium pertinere, *Suice-*

 rus,

rus, in *Commentario* ſuo *ad* h. l. probavit. c) *Nec ſeparentur, quæ conjungenda ſunt*; quomodo, ſi propoſitiones plures in textu occurrant, quæ unum tamen, ſaltem cum qualicunque ἐπεξηγήσει, vel ſubjectum, vel prædicatum exhibent, præſtat *ſubjecta conjungere*, & ab his *ſeparare prædicata*. Ita minùs congruè ageret, qui *Job*. XXVIII, 28, ex duabus illis propoſitionibus, *duas* inſtitueret *partes*, tum quod *receſſio à malo* ſpeciem *timoris* conficiat, tum quod *prudentia* ſub ſapientia contineatur. Unde præſtaret, in *prima parte*, ſiſtere id quod proprium, veræ ſapientiæ, characterem conſtituit, ſcilicet *timorem DEI*, & *receſſionem à malo*, & huic *deinde encomium ſapientiæ* attribuere. Ita 1. *Samuel*. XV, 22. *Obedientia* deſcribitur, & à *natura* ſua, antecedente opere intellectus, conſequente actu voluntatis, & à *præſtantia* ſua, tum abſolutè, quod *bona*, tum comparate: *præ ſacrificiis*. Et quò plures ejusmodi propoſitiones occurrunt, eo majori curâ, quæ, in illis omnibus, ad ſubjectum faciunt, & ad prædicatum, conjungenda ſunt. Sic *Pſal*. V, 2. 3. 4. minùs congruè *tres propoſitiones*, *totidem* conſtituerent *partes*; potius indicandum *Davidem* 1) explicare coram DEO ſuas preces, & 2) plenam illarum exauditionem petere. In *ſubdiviſione membri prioris* dici poſſet א) adire Davidem, in precibus ſuis, *Jehovam*, & hunc quidem tum ut *regem*, tum ut *Dominum ſuum*. ב) Proferre coram illo *verba*, & quidem ſub initium, *interiora* tantum *ſuſpiria*, in progreſſu, auctis periculis, *exteriora*; *clamorem*. In ſubdiviſione *partis ſecundæ* petere eum *primo* id quod *verbis* debetur: *Exauditionem*; *tum* quod interioribus *ſuſpiriis*, quæ ſcrutator cordium ſciat: *Intelligentiam*, & *tandem*, ut exteriori *clamori* ſeriam præbeat *attentionem*; petere eum id cumprimis *in congerie* attributorum, & *virtutum DEI*; obſervandum, ut etiam in his ordo quidam inveniatur, ne cogamur ad totidem partes deſcendere, quot illarum virtutum dantur ſpecies. Hoc obſervari meretur, in præſtantiſſimo *encomio*, quod *DEO ſalutis* dedit *Moſes Deut*. XXXII, 4. ubi, deſcripto *DEO*, ſub nomine *rupis*, & propter conſtantiam intrinſecam, & propter ſecuritatem eorum, qui ad ipſum refugiunt, *perfectiones* hujus *rupis* ſubjungit, tum *actuum* illas, ut ſe manifeſtant & in

Digitized by Google

in Conſilio, *molimine*, & in operibus, atque *viis*, ceu totidem mediis ad huncce ſcopum, tum *habituum*, inque his oſtendit, qualem ſe habeat & erga *pios*, tum in *verbis*; *fidelem*, tum in *factis*; *ſine ulla injuria*, tum erga *impios*; *juſtum* pariter & *rectum*. Ita Propheta *Nahum*. Cap. I. cum in *Ninivitas*, teſte *Joſepho*, μάλιςα ἐνδυσμονήσαντες, horrendam ſententiam pronuntiare vellet, pro fundamento ponit *virtutes Dei*, quas ✝. 2. proponit, & à *cauſa* judiciorum; *potentia* & *zelo*, & ab *adjunctis* illarum virtutum, *ſeveritatem* cummaxime, tum in *affectibus* ejus, qui ſit & *ultor*, ut velit punire, & *Dominus ardoris*, qui poteſt punire, dirigitque iram pro imperio, tum in *effectu*, & *ratione initii*, & ratione *durationis*. d) *Ex iis, quæ non ſunt in textu, ſed ad ſummum ſupponuntur, non ſpecialis conſtituatur pars.* Sic abundaret diviſio, partem illa faciunt tractationis, ſed non textus, in exſerta ſaltem membra reſolvendi. Ita qui Protevangelium *Geneſ.* III, 15. explicare vellet, *primam* textus *partem* incongruè tribueret illi *amicitiæ*, quæ homini cum Satana, poſt peccatum, interceſſit, ut *alteram* deinde *inimicitia* conſtituat, præſtaret bellum hoc, in origine, progreſſu, & glorioſo eventu conſiderare. e) *Nihil etiam omittatur ex potioribus textûs membris.* Sic juſto generalior eſſet diviſio *Job.* XVII, 3. ſi quis ſe acturum diceret I. De *cognitione Dei.* II. De *commodo illius* cognitionis, quia Chriſtus hîc, ſub diverſa quadam à Deo σχέσει, ut Mediator hominum venit. Eſtque, ad hanc legem, ſimul obſervandum; *ineſſe* quandoque *particulis*, quæ textum cum prioribus conjungunt, illam *vim* & *efficaciam*, *ut*, vel in diviſione prima, *illationis* illius ex prioribus, ſive *connexionis* cum illis, *mentio omitti nequeat.* Ita, ſi verba *Job.* XXVIII, 28 totius commatis explicentur: *Dixit homini* &c. proponenda eſſet א) vera veræ ſapientiæ qualitas. ב) Teſtimonium Dei de illa, poſt omnium rerum inquiſitionem, & inter ſe inſtitutam collationem. f) Tandem & illud obſervandum, *ut memoria Auditoris non nimiâ partium copiâ fatigetur.* Διχοτομία omnium eſt convenientiſſima, quod & ad *ſubjectum*, & ad *prædicatum* pleraque referri queant, etiamſi, in iteratis propoſitionibus, plura latere videantur. Interim cum, in ſpecie in *textibus hiſtoricis*, non omnia ſic commodè

diſpeſci

diſpeſci queant, etiam τριχοτομία adhiberi poterit, uti quidem, in his, plerumque omnia α) ad *antecedentia*, *cauſam*, vel *originem*. β) Ad *rem* & *actionem* ſive *modum rei*. γ) Ad *Conſequentia*, *fines*, & *effectus* referri poſſunt; neque facile ulteriùs eſt aſcendendum, cum, quæ novam quaſi requirere videantur partem, ad *ſubdiviſionem* redigi poſſint. Ita 1. *Timoth.* I, 5. א) veræ *doctrinæ Evangelicæ finis* proponitur *in communi*, ſcilicet: *Charitas*. ב) Illa in ſuis *proprietatibus* explicatur ut talis, 1) quæ *fundamentum* habeat ſolidum: *Puritatem cordis*; 2) *Teſtimonium* certum: *Conſcientiam bonam*; 3) *Ordinationem* legitimam: *Fidem ſine fuco*, quæ omnes actiones dirigit.

§. LXIV.

Ordo. Ut vero intra ſuos, eosque pauciores, terminos hæreat diviſio, & omnia tamen, ambitu ſuo, contineat, *mediis* quibusdam, & *compendiis* uti licebit. Ita 1) *ordo naturæ præſtat* ſæpiùs *ordine verborum*. *Hic* equidem non ſemper negligi poterit, cumprimis non in *explicatione integrorum librorum*, omnium minimè in *Epiſtolis Paulinis*, cum *Paulus* ordinis fuerit obſervantiſſimus, ita ut, & ad ſenſum, & ad rationes, ipſe etiam Verborum ſitus quandoque pertineat; quomodo &, in *Hebraicis libris*, *accentus* quandoque ſuadet, ut hæreamus in *ordine Verborum*. e. g. *Geneſ.* XLIX, 18. ubi, in Hebræo textu, ad vocem לישועתך accentus *Tiphcha* eſt, quaſi hic poneres ſemicolon, & tum velociſſimè ſequuntur duæ reliquæ voces קויתי יהוה, ut in tanta ſalutis meditatione primùm hæreamus, & tum illam demum, ubi ritè fuerit conſiderata, à Jehova, gravi de cauſa, poſtulatam fuiſſe pateat. Niſi tamen hæc, vel ſimilia, obſtent, ea utique, ut explicatio, ita diviſio optima eſt, quæ naturæ rerum convenit. 2) *Naturalis* autem *ordo* requirit, ut, ante omnia, *ſubjectum* propoſitionis eruatur, ſi vel, in ordine verborum, illud ultimo loco extet, quia utiquè priùs *de quo* agatur indicandum eſt, quam prædicata ejus recenſeantur, & hîc nulla Verborum habenda eſt ratio, ut e. g. *Luc.* II, 14. ubi ſubjectum in poſtremis latet: *in hominibus beneplacitum*, quod itaque præmittendum, & tum demum indicandum, qui fuerit, hujus φιλανθρωπίας

ϑεωρίας Dei, *effectus*, tum *in cœlo*, tum *in terra.* Hinc & 3) ita ſemper agendum, *ut ſimplicia compoſitis*, *antecedentia conſequentibus*, *cauſa effectui*, *ſimile aſſimilato*, &, *in communi*, *eſſentia exiſtentiæ rei præmittatur*, quarum duarum rerum confuſio non modo propoſitionibus, ſed ipſi doctrinæ Evangelicæ, in communi, plurimùm nocuit. Sic etiam *beneficia*, ex hoc ipſo fundamento, *tempori illorum præmittenda ſunt.* e. g. *Daniel.* IX, 24. Beneficia juſtificationis, & tum demum horum conſtitutum tempus conſiderari poſſunt. Et *Galat.* VI, 14. primò gloriatio Pauli in cruce Chriſti, & poſt ratio, ab effectu petita, perpendenda erit. Maximè 4) in prolixioribus textibus, *attendendum ad ea, quæ generaliùs*, & in compendio, alicubi, & *quæ* deinde *ſpecialiùs proponuntur*, *quæ generalibus*, quaſi nova quædam pars, *ſubjungi poſſunt.* Ita 1. *Corinth.* XIII, 4. 5. 6 7. extant *characteres charitatis* 1) duo *generales* ℣. 4. parte 1. 2) *ſpeciales* a) χρηστότητος ℣. 4. parte 2. ℣. 5. & 6. & b) μακροθυμίας ℣. 7. Sic *Rom.* XII, 6 7. parte 1. *duo munia Eccleſiaſtica generalia* referuntur, Prophetia & διακονία, eaque abhinc *in ſuis ſpeciebus*, & *officiis cuilibet ſpeciei* propriis exponuntur, ita ut α) *ad Prophetiam* διδασκαλία & παράκλησις, β) ad διακονίαν autem τὸ *diſtribuere*, præeſſe, & miſereri, ſcilicet ægrorum, referatur. Sic *Pſal.* XCI. *generale* extat ℣. 2. quod *Jehova* ſit a) *receptus*, b) *arx*, c) *Deus* ipſius. Et hoc deinde, per partes, *in ſpecie* exponitur, quomodo ſcilicet ſit α) *receptus* ℣. 3-9. parte 1. β) quomodo *arx* ℣. 9. parte 2 14. γ) quomodo *Deus* ejus ſit ℣ 14 fin. Sic & 5) *ad diverſos loquentium choros*, maximè *in Pſalmis* & *Canticis*, aut *ad diverſos colloquentium ſermones reſpiciendum*, utpote qui totidem diviſionibus occaſionem præbent. Hi vero, ubi non exprimuntur, tum *ex diverſitate affectuum*, tum *ex accentu*, ſimilibusque, diſcernendi ſunt. Ita *exempla* diviſionis illius occurrunt *Zachar.* I. ubi, ſecundum Judæos ſic ſatis ingenioſè, ℣. 5. *populus* loquitur; *Prophetas mortuos eſſe*, *ut populum*; verſu 6to autem *Propheta* populo reſpondens; *manere* tamen, & aſſequi illos *Prophetarum verba.* Sic *Rom.* X, ℣. 18. eſt *objectio* Judæorum, ſed ℣. 19. *Reſponſio* Pauli. Et 1. *Corinth.* VIII. occurrunt. a) *Verba Corinthiorum* ad Paulum ℣. 1. parte 1. b) *Verba Pauli*

ad Corinthios ℣. 1. parte 2. & ℣. 2. 3. c) rurſus *Corinthiorum* ℣. 4. 5. 6. & d) ad hæc *reſponſio Pauli* ℣. 7. Ita etiam, 6) cumprimis in ſubdiviſionibus, *reſpiciendum eſt ad diverſos actionum gradus.* In repetitionibus *Verborum* fere *ſimilium* ſæpe κλίμαξ eſt, ſaltem in ſubdiviſione, non omittendus. Exempla ſint *Pſal.* I, 1. 2. *Jeſai.* XLI, 10. XLIII, 7. (vid. *Vitringa* ad h. l.) 1. *Joh.* I, 1. 1. *Petr.* V, 10. Et quandoque *mutua partes*, in iſtiusmodi gradationibus, *ſibi reſpondent*, ſive *per collationem habituum* & *actuum*, ſive *per oppoſitionem.* Ita *Rom.* XI, 33. 34. 35. referuntur inde quidem *perfectiones Dei*, hinc *imperfectiones hominum* illis *oppoſitæ*, quibus os eorundem obturatur; In *priori parte* extat 1) *perfectio virtutum:* SUFFICIENTIÆ SAPIENTIÆ, COGNITIONIS, *exaggerata* per exclamatum βάθος! 2) Porro, his reſpondens, *perfectio actuum* divinorum *interiorum*: CONSILIORUM; *exteriorum:* VIARUM; cum deſcriptione ſua. His, *parte poſteriori*, *opponitur*, & quidem a) *cognitioni* divinæ *ignorantia humana*: QUIS NOVIT MENTEM DOMINI? b) *Sapientiæ:* QUIS CONSILIARIUS EJUS FUIT? c) *Sufficientiæ*: QUIS DEDIT ILLI: &c. 7) Extant quandoque etiam *verba*, *quæ & ad ſubjectum*, & *ad prædicatum referri poſſunt*; hic equidem attendendum, in quam partem magè vergant, ut illi ſubjungantur; ſed ita tamen, ut, ſaltem in explicatione, etiam ad membrum alterum referantur; quia, non ſine intentione divina, ſic fuêre poſita, ut utrique membro applicari queant. Sic *Habac.* II, 4. *Juſtus in fide ejus vivet*, verba ita equidem poſſent diſtingui, ut *ſubjectum* ſit: *Juſtus in fide ejus*, poſtea tamen etiam, in explicatione, ipſum *in fide* ejus *vivere* doceatur. Sic 2. *Timoth.* I, 13. verba: *in fide & charitate*, tum ad *ſermones ſanos*, tum ad τὸ *habe illos* ὑποτύπωσιν referri poſſunt. *Judæ* ℣. 20. verba: *in Spiritu S.*, ad preces pertinent, ad *fidem* vero ſimul etiam redigi poſſunt. 8) *In textibus Propheticis diviſio ad literam eſt inſtituenda*, &, quantum fieri poteſt, *myſterium literæ ad implementum* reſervandum eſt. Ita *Geneſ.* XLIX, 10. dici poſſet, agi de *duobus privilegiis Judæ*, & de *duratione illorum* privilegiorum. 9) In *textibus* autem *moralibus* obſervandum erit, *ne*, in congerie officiorum, *non reſpiciatur ad* notas *diviſiones officiorum moralium*, *in ea quæ*

erga

Digitized by Google

erga Deum, proximum, & erga nosmet ipſos ſunt præſtanda, ut *Galat.* V, 26. 2. *Petr.* I, 4. 5. ſeqq. vel *annon tacitus quidam reſpectus ſit ad præcepta decalogi*, ſive in virtutibus, ſive in vitiis, ut 1. *Timoth.* I, 9. 10. *Matth.* XV, 19. Quandoque notabilis quædam gradatio, in officiis, occurrit, ut *Coloſſ.* III, 12. 13. ubi vid. *Cocceji opera poſthuma.* 10) In *textibus hiſtoricis* plerumque a) *præparatio* ſive occaſio, b) *factum* & c) *conſequentia* ſunt obſervanda.

§. LXV.

Quæ *reſoluta* fuere in ſua *membra*, *accipiant* etiam *deſcriptiones* & *denominationes congruas*, ſive *ex materia* ipſa, ſive *ex modo tractandi* materiam, ita tamen, ut *termini ſcholaſtici* evitentur; quomodo rudioribus voces *ſubjecti* & *prædicati*, vel *objecti* (Unterwurff, Vorwurff) ſæpiùs ignotæ ſunt, ſed ut materiam ipſam ita deſcribat paſtor, ut rem, de qua ſit agendum, protinus agnoſcat auditor; idque clarè, graviter, cum qualicunque rei encomio, ſed citra nimium verborum apparatum, ne, ſub illo, partes ipſæ tantò faciliùs è memoria excidant. In tali autem propoſitione partium, etiam ſuperſtitioſa nimis induſtria illorum vitanda, qui æqualem ſemper numerum partium, & quidem verbis æqualibus, cum ſoni etiam qualicunque convenientia, urgent; atque ideo Latinis terminis propoſitionem plerumque formant; vix tales loquuntur ὡς λόγια Θεοῦ. Imo ſi non commodè excogitari poſſint termini quidam generaliores, quamvis hi aptiores forent, religioni non erit ducendum, ſi diviſio petatur ex ipſis verbis textus. Denominatio.

§. LXVI.

Quod *ſubdiviſiones* attinet, in *textibus majoribus* non ſemper ſunt explicitè proponendæ, nec indicandum ubique, quem ſervaturi ſimus ordinem, modo ordo in tractatione ſervetur, & objecta conſiderationis, convenienti ordine, ſibi invicem ſuccedant. Artis eſt, tegere artem, & non neceſſe, ut, quæ inventionis atque compoſitionis adminicula fuêre, poſt compoſitionem, conſpectui auditorum exhibeantur. Subdiviſio.

exhortatione quadam illa propoſitio ſit conjuncta, vocari poterit *monitum ſalutare*, *via index*, παράκλησις. Si *urgeat acriter:* Dari *Verbum ſicuti ſtimulum*, ex *Eccleſ.* XII, 11. Si *inſiſtat* Scriptor S. Dari Verbum *ſicuti clavum*, altiùs firmiùsque infigendum. Si quæ peccatorum ſit *reprehenſio* in textu, *gravis*, dici poſſet, *oratio DEI*, qua populum hujus vel illius criminis poſtulat, quod, pro varia propoſitionis ratione, jam *convictio*, jam *conteſtatio*, *obteſtatio*, *acris ad officium revocatio*, *gravis*, à judice vivorum & mortuorum, facta *redargutio* dici poſſet. Si *ſperanda* concernat, & *Prophetiam* exhibeat textus, ſed *lætioris eventus*, inſcribi poſſet: *Suavis*, & *Evangelica prædictio*, *magna*, & *pretioſiſſima promiſſio*. Si vero *triſtiora: Onus*, *gravis*, tremendi judicii, *comminatio*. Si *textus* ſit *hiſtoricus*, exhibere illum, dici poſſet, *partem* hanc vel illam *viarum DEI*, in ejus ſanctuario, referre *miram ſanationem*, *tremendum judicium* &c.

Differentia ſpecifica. ב) In *differentia* hujus *argumenti præ alio*, tum ad *objectum*, tum ad *ſcopum* reſpiciendum eſt. *Objectum* vel unum eſt, vel plura nobis, & diverſa ſiſtuntur. *Unum* ſi contineat, illud *vel nudè* proponitur, *vel* adeſt quædam illius objecti *amplificatio*. Si *nudè* ſaltem proferatur, ita ut tota propoſitio ex *ſubjecto*, *prædicato* & *copulâ*, vel expreſſâ, vel ſubintellectâ, conſiſtat, ſufficit ſi generalioribus verbis objectum, vel actio illa deſcribatur. Si vero quædam, illius propoſitionis, in textu cernatur *amplificatio*, atque *deductio*, quænam hæc relatio ſit, quam illa deductio, ad objectum, habeat, conſiderari, & proponi debet. Ita enim *objectum*, *res* & *actio* quædam, jam cum ſua *origine*, ſive *principio* & *fundamento*, unde ſit; jam in ſuo *modo*, & *actione*, qua res illa fit; jam cum *cauſa*, mox cum *effectu* proponitur; vel additur *conſequens* quoddam, aut *finis* rei, ſive ille rei *terminus*, ſive ejus *ſcopus* ſit, quæ quidem *omnia*, etiam *in argumento*, verbo *monenda* ſunt. Quodſi vero *non unius* tantum *objecti*, & *rei* mentio fiat, in diverſis illis rebus tamen, quantum fieri poterit, *nexus* & *relatio* quædam quæri, & indicari debet; vel enim, in textu, cernitur *diſtributio* totius cujusdam in ſuas partes, vel *congeries* plurium ſpecierum ejusdem generis, vel *gradatio* quædam ab uno ad alterum, vel erit *comparatio* unius cum altero,

eaque

Digitized by Google

eaque *completa*, ut adſit protaſis & apodoſis, aut *incompleta*, ut ſola referatur protaſis, vel erit *antitheſis* ſive *oppoſitio* quædam, eaque iterum aut *clara*, ut contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, vel *tacita* contrariorum permutatio, & inverſio, quæ, cum objecto, in argumento, etiam indicanda. His tandem etiam *ſcopus ſacri Scriptoris* in hoc textu, & quandoque etiam *concionatoris* ipſius ſubjici debet. Invenietur autem ille ſcopus vel *in textu* vel in *nexu*. 1) *In textu*; tum per *rem ipſam*, tum cumprimis per *particulas* præmiſſas, quæ quandoque ſunt *illativæ*, ut *igitur*, quandoque *cauſales*, ut antecedentia probentur, interdum *adverſativæ*, ferè plerumque *conjunctivæ*, ita ut addatur etiam aliquando *ecce!* ut in re ſingulari, ubi vel præſens, vel certiſſime futurum, aut magnum beneficium, aut grave periculum. 2) Vel etiam *ex nexu*, ſive antecedentibus & conſequentibus, ille eruetur, cujus vel *illatio*, vel *conjunctio*, vel *objectio*, aut *reſponſio*, in textu, comparet, cujus, in argumento, etiam paucis mentio facienda. Quibus tandem etiam *ſcopus paſtoris* additur, cumprimis ubi neceſſitas & dignitas argumenti id poſtulat. Ita ſi, loco ſimplicis propoſitionis, *Galat.* II, 16. verba ultima: *Per opera legis nulla caro juſtificatur*, tractanda eſſent, argumentum eſſe poſſet: Exhibetur *luculentum Pauli teſtimonium, de univerſali omnium hominum impotentia, ad obtinendam ſalutem ex propria juſtitia, eo fine Galatis inculcatum, ut, hac miſſâ, per fidem juſtitiam Chriſti quærant.* Ex eadem claſſe, *Galat.* III, 26. *Omnes filii eſtis* &c. proponitur, *univerſalis illa fidelium N. T. Prærogativa, conſiſtens in adoptione ad majorennitatem, orta ex fide Chriſti, adducta in confirmationem libertatis à lege cæremoniarum.* Sive: *Teſtimonium Pauli de univerſali, omnium fidelium N. T., adoptione, & hinc profluente libertate.*

SECTIO VII.

De Diviſione Textûs.

§. LX.

Partitionis textûs neceſſitas:

Propoſitionem accurata ſequatur *diviſio* neceſſe eſt. Ita enim, vel hac etiam ratione, Verbum DEI rectè ſecandum eſt. Claritas ſenſûs à diſtinctione conceptuum, hæc autem à partitione textus ipſius dependet. Per illam tum paſtoris, tum auditoris memoriæ conſulitur. Tota Scriptura S., libri maximè dogmatici, ſingulari ordine conſcripti fuerunt, atque ulterius ordo ille promoveatur, Judæi *legem* & *Prophetas* in *Sectiones* majores & minores diſtinxêre, fuitque etiam, partium ſingularium diviſionibus, egregiè per *accentus* conſultum.

§. LXI.

Requiſita.

Diviſio requirit, ut textus in membra ſua potiora, ſive ſint materiarum diverſarum, ſive, unius materiæ, diverſarum circumſtantiarum, *reſolvatur*, *reſolutarum partium mutuus*, ad ſe invicem, *reſpectus perpendatur*, ſecundum illum *reſolutæ partes* vocibus, quæ rem in fronte gerant, *indicentur*; tum idem etiam textus *in* ſuas iterum *Sectiones minores*, vel in uſum auditorii, ſi textus paucioribus propoſitionibus conſtet, vel ſaltem in uſum paſtoris, & ut filum orationis ſervet, *ſubdividatur*.

§. LXII.

Conditio.

Accurata vero illa *diviſio* tum erit, ſi *certo* nitatur *fundamento*, ſi *adæquatæ* ſint *partes*, nihil in ea *abundet*, nihil *deficiat*, *nec nimis* etiam *partes multiplicentur*.

§. LXIII.

Leges.

Hinc bonæ *diviſionis leges* hæ ſunto: a) *Nihil dividatur, quod non intelligitur*. De ſenſu textus in genere, & vocum ſingularum, certus ſit paſtor, antequam ad illius diviſionem progredia-

grediatur; occurrunt enim ſæpiſſimè, in progreſſu, voces quæ, accuratiùs conſideratæ, aliam toti textui faciem præbent, aliam diviſionem requirunt. Ita quandoque (*) inter *vitia* refertur, quod loco *virtutis* fuit poſitum. Sic e. g. *Coloſſ.* II, 23. vox ἐθελοθρησκεία, à pleriſque interpretibus, pro *ſuperſtitionis* deſcriptione habetur, quod, cum ſpeciem σοφίας in his ponat Apoſtolus, ſingulares, in diviſione, difficultates excitat, cum *cultum* potiùs *voluntarium* dicat, qui ſenſui vocis Hebr. נדבה reſpondet, unde mox, prono alveo, verſûs diviſio fluit: Loqui *Paulum* de præceptis hominum, referre de illis præjudicium carnis, quaſi ineſſet illis ſapientia in officiis, DEO, proximo, ſibi præſtandis; ſed ſubjungere judicium Spiritus, & *quoad rem*, tum *poſitive; habere* ſaltem *ſpeciem ſapientiæ*, tum *negativè; eſſe nullius pretii*; & *quoad effectum* id probantem: *vergere ad expletionem carnis.* (**) Vel pro *nova* habetur *ſpecie*, ſive *vitii*, ſive *virtutis*, quod ad prioris *modum* pertinet. Ita, dum πλεονεξίαν interpretes ubique *avaritiam* notare ſupponunt, *Epheſ.* IV, 19. vulgò *duo* nominantur vitia gentilium, ſibi cæteroquin perquam contraria, *laſcivia* nempe & *avaritia*, cum potiùs, ex circumſtantiis, evidenter appareat, *unam* turpiſſimam gentium *laſciviam deſcribi*, & *ratione* ſuæ *originis:* ἀπηλγηκότες, & ratione *actûs: dedère ſe* τῇ ἀσελγείᾳ, & ratione *finis:* εἰς ἐργασίαν ἀκαθαρσίας πάσης, & ratione *modi:* ἐν πλεονεξίᾳ i. e. *cum* incredibili *ardore.* Confer *Epheſ.* V, 3. 5. & *notas Hammondi* ad *Rom.* I, 29. Sic & κρίματα vox *Rom.* XI, 33, ſi pro *judicii* voce ſumatur, elegantiſſimam analyſin diſſolvit, minusque commodè viis illis omnibus, de quibus poſtea agitur, opponitur; dum è contrario, ſi pro *conſiliis* ſumatur, firmiter conſtitutis, ut *Actor.* XXVI, 8, omnia commodè fluunt. b) *Non conjungantur, quæ ſeparanda ſunt;* ut in vitio omnino ponendum, ſi quis materias diverſas ad unum membrum referret, & nodum unius partis, in alteram ſectionem conjiceret. Ita etiam cavendum, ne *oppoſita* habeantur pro *appoſitis*, quomodo, cum pluribus interpretibus, ipſemet *Coccejus* verba: οὐκ ἐν τιμῇ τινι loco citato *Coloſſ.* II, 23., pro deſcriptione ἀφειδίας σώματος habuit, quæ tamen ad oppoſitum Spiritus S. judicium pertinere, *Suice-*

 rus,

Digitized by Google

rus, in *Commentario* ſuo *ad* h. l. probavit. c) *Nec ſeparentur, quæ conjungenda ſunt*; quomodo, ſi propoſitiones plures in textu occurrant, quæ unum tamen, ſaltem cum qualicunque ἐπεξηγήσει, vel ſubjectum, vel prædicatum exhibent, præſtat *ſubjecta conjungere*, & ab his *ſeparare prædicata*. Ita minùs congruè ageret, qui *Job.* XXVIII, 28, ex duabus illis propoſitionibus, *duas* inſtitueret *partes*, tum quod *receſſio à malo* ſpeciem *timoris* conficiat, tum quod *prudentia* ſub ſapientia contineatur. Unde præſtaret, in *prima parte*, ſiſtere id quod proprium, veræ ſapientiæ, characterem conſtituit, ſcilicet *timorem DEI*, & *receſſionem à malo*, & huic *deinde encomium ſapientiæ* attribuere. Ita 1. *Samuel.* XV, 22. *Obedientia* deſcribitur, & à *natura* ſua, antecedente opere intellectus, conſequente actu voluntatis, & à *præſtantia* ſua, tum abſolutè, quod *bona*, tum comparate: *præ ſacrificiis*. Et quò plures ejusmodi propoſitiones occurrunt, eo majori curâ, quæ, in illis omnibus, ad ſubjectum faciunt, & ad prædicatum, conjungenda ſunt. Sic *Pſal.* V, 2. 3. 4. minùs congruè *tres propoſitiones*, *totidem* conſtituerent *partes*; potius indicandum *Davidem* 1) explicare coram DEO ſuas preces, & 2) plenam illarum exauditionem petere. In *ſubdiviſione membri prioris* dici poſſet א) adire Davidem, in precibus ſuis, *Jehovam*, & hunc quidem tum ut *regem*, tum ut *Dominum ſuum*. ב) Proferre coram illo *verba*, & quidem ſub initium, *interiora* tantum *ſuſpiria*, in progreſſu, auctis periculis, *exteriora*; *clamorem*. In ſubdiviſione *partis ſecundæ* petere eum *primo* id quod *verbis* debetur: *Exauditionem*; *tum* quod interioribus *ſuſpiriis*, quæ ſcrutator cordium ſciat: *Intelligentiam*, & *tandem*, ut exteriori *clamori* ſeriam præbeat *attentionem*; petere eum id cumprimis *in congerie* attributorum, & *virtutum DEI*; obſervandum, ut etiam in his ordo quidam inveniatur, ne cogamur ad totidem partes deſcendere, quot illarum virtutum dantur ſpecies. Hoc obſervari meretur, in præſtantiſſimo *encomio*, quod *DEO ſalutis* dedit *Moſes Deut.* XXXII, 4. ubi, deſcripto *DEO*, ſub nomine *rupis*, & propter conſtantiam intrinſecam, & propter ſecuritatem eorum, qui ad ipſum refugiunt, *perfectiones* hujus *rupis* ſubjungit, tum *actuum* illas, ut ſe manifeſtant & in

in Conſilio, *molimine*, & in operibus, atque *viis*, ceu totidem mediis ad huncce ſcopum, tum *habituum*, inque his oſtendit, qualem ſe habeat & erga *pios*, tum in *verbis*; *fidelem*, tum in *factis*; *ſine ulla injuria*, tum erga *impios*; *juſtum* pariter & *rectum*. Ita Prophæta *Nahum*. Cap. I. cum in *Ninivitas*, teſte *Joſepho*, μάλιςα ἐνδαιμονήσαντες, horrendam ſententiam pronuntiare vellet, pro fundamento ponit *virtutes Dei*, quas ℣. 2. proponit, & à *cauſa* judiciorum; *potentia* & *zelo*, & ab *adjunctis* illarum virtutum, *ſeveritatem* cummaxime, tum in *affectibus* ejus, qui ſit & *ultor*, ut velit punire, & *Dominus ardoris*, qui poteſt punire, dirigitque iram pro imperio, tum in *effectu*, & *ratione initii*, & ratione *durationis*. d) *Ex iis, quæ non ſunt in textu, ſed ad ſummum ſupponuntur, non ſpecialis conſtituatur pars.* Sic abundaret diviſio, partem illa faciunt tractationis, ſed non textus, in exſerta ſaltem membra reſolvendi. Ita qui Protevangelium *Geneſ.* III, 15. explicare vellet, *primam* textus *partem* incongruè tribueret illi *amicitiæ*, quæ homini cum Satana, poſt peccatum, interceſſit, ut *alteram* deinde *inimicitia* conſtituat, præſtaret bellum hoc, in origine, progreſſu, & glorioſo eventu conſiderare. e) *Nihil etiam omittatur ex potioribus textûs membris.* Sic juſto generalior eſſet diviſio *Joh.* XVII, 3. ſi quis ſe acturum diceret I. De *cognitione Dei.* II. De *commodo illius* cognitionis, quia Chriſtus hîc, ſub diverſa quadam à Deo σχέσει, ut Mediator hominum venit. Eſtque, ad hanc legem, ſimul obſervandum; *ineſſe* quandoque *particulis*, quæ textum cum prioribus conjungunt, illam *vim* & *efficaciam*, *ut*, vel in diviſione prima, *illationis* illius ex prioribus, ſive *connexionis* cum illis, *mentio omitti nequeat.* Ita, ſi verba *Job.* XXVIII, 28 totius commatis explicentur: *Dixit homini* &c. proponenda eſſet א) vera veræ ſapientiæ qualitas. ב) Teſtimonium Dei de illa, poſt omnium rerum inquiſitionem, & inter ſe inſtitutam collationem. f) Tandem & illud obſervandum, *ut memoria Auditoris non nimiâ partium copiâ fatigetur.* Διχοτομία omnium eſt convenientiſſima, quod & ad *ſubjectum*, & ad *prædicatum* pleraque referri queant, etiamſi, in iteratis propoſitionibus, plura latere videantur. Interim cum, in ſpecie in *textibus hiſtoricis*, non omnia ſic commodè

diſpeſci

diſpeſci queant, etiam τριχοτομία adhiberi poterit, uti quidem, in his, plerumque omnia α) ad *antecedentia*, *cauſam*, vel *originem*. β) Ad *rem* & *actionem* ſive *modum rei*. γ) Ad *Conſequentia*, *fines*, & *effectus* referri poſſunt; neque facile ulteriùs eſt aſcendendum, cum, quæ novam quaſi requirere videantur partem, ad *ſubdiviſionem* redigi poſſint. Ita 1. *Timoth.* I, 5. א) veræ *doctrinæ Evangelicæ finis* proponitur *in communi*, ſcilicet: *Charitas*. ב) Illa in ſuis *proprietatibus* explicatur ut talis, 1) quæ *fundamentum* habeat ſolidum: *Puritatem cordis*; 2) *Teſtimonium* certum: *Conſcientiam bonam*; 3) *Ordinationem* legitimam: *Fidem ſine fuco*, quæ omnes actiones dirigit.

§. LXIV.

Ordo. Ut vero intra ſuos, eosque pauciores, terminos hæreat diviſio, & omnia tamen, ambitu ſuo, contineat, *mediis* quibusdam, & *compendiis* uti licebit. Ita 1) *ordo naturæ præſtat* ſæpiùs *ordine verborum*. *Hic* equidem non ſemper negligi poterit, cumprimis non in *explicatione integrorum librorum*, omnium minimè in *Epiſtolis Paulinis*, cum *Paulus* ordinis fuerit obſervantiſſimus, ita ut, & ad ſenſum, & ad rationes, ipſe etiam Verborum ſitus quandoque pertineat; quomodo &, in *Hebraicis libris*, *accentus* quandoque ſuadet, ut hæreamus in *ordine Verborum*. e. g. *Geneſ.* XLIX, 18. ubi, in Hebræo textu, ad vocem לישועתך accentus *Tiphcha* eſt, quaſi hic poneres ſemicolon, & tum volociſſimè ſequuntur duæ reliquæ voces קויתי יהוה, ut in tanta ſalutis meditatione primùm hæreamus, & tum illam demum, ubi ritè fuerit conſiderata, à Jehova, gravi de cauſa, poſtulatam fuiſſe pateat. Niſi tamen hæc, vel ſimilia, obſtent, ea utique, ut explicatio, ita diviſio optima eſt, quæ naturæ rerum convenit. 2) *Naturalis* autem *ordo* requirit, ut, ante omnia, *ſubjectum* propoſitionis eruatur, ſi vel, in ordine verborum, illud ultimo loco extet, quia utiquè priùs *de quo* agatur indicandum eſt, quam prædicata ejus recenſeantur, & hîc nulla Verborum habenda eſt ratio, ut e. g. *Luc.* II, 14. ubi ſubjectum in poſtremis latet: *in hominibus beneplacitum*, quod itaque præmittendum, & tum demum indicandum, qui fuerit, hujus φιλανθρωπίας

ϑρωπίας Dei, *effectus*, tum *in cœlo*, tum *in terra*. Hinc & 3) ita ſemper agendum, *ut ſimplicia compoſitis*, *antecedentia conſequentibus*, *cauſa effectui*, *ſimile aſſimilato*, &, *in communi*, *eſſentia exiſtentiæ rei præmittatur*, quarum duarum rerum confuſio non modo propoſitionibus, ſed ipſi doctrinæ Evangelicæ, in communi, plurimùm nocuit. Sic etiam *beneficia*, ex hoc ipſo fundamento, *tempori illorum præmittenda ſunt*. e. g. *Daniel.* IX, 24. Beneficia juſtificationis, & tum demum horum conſtitutum tempus conſiderari poſſunt. Et *Galat.* VI, 14. primò gloriatio Pauli in cruce Chriſti, & poſt ratio, ab effectu petita, perpendenda erit. Maximè 4) in prolixioribus textibus, *attendendum ad ea*, *quæ generaliùs*, & in compendio, alicubi, & *quæ* deinde *ſpecialiùs proponuntur*, *quæ generalibus*, quaſi nova quædam pars, *ſubjungi poſſunt*. Ita 1. *Corinth.* XIII, 4. 5. 6 7. extant *characteres charitatis* 1) duo *generales* ℣. 4. parte 1. 2) *ſpeciales* a) χρηστότητος ℣. 4. parte 2. ℣. 5. & 6. & b) μακροθυμίας ℣. 7. Sic *Rom.* XII, 6 7. parte 1. *duo munia Eccleſiaſtica generalia* referuntur, Prophetia & διακονία, eaque abhinc *in ſuis ſpeciebus*, & *officiis cuilibet ſpeciei* propriis exponuntur, ita ut α) *ad Prophetiam* διδασκαλία & παράκλησις, β) ad διακονίαν autem τὸ *diſtribuere*, præeſſe, & miſereri, ſcilicet ægrorum, referatur. Sic *Pſal.* XCI. *generale* extat ℣. 2. quod *Jehova* ſit a) *receptus*, b) *arx*, c) *Deus* ipſius. Et hoc deinde, per partes, *in ſpecie* exponitur, quomodo ſcilicet ſit α) *receptus* ℣. 3-9. parte 1. β) quomodo *arx* ℣. 9. parte 2 14. γ) quomodo *Deus* ejus ſit ℣. 14 fin. Sic & 5) *ad diverſos loquentium choros*, maximè *in Pſalmis* & *Canticis*, aut *ad diverſos colloquentium ſermones reſpiciendum*, utpote qui totidem diviſionibus occaſionem præbent. Hi vero, ubi non exprimuntur, tum *ex diverſitate affectuum*, tum *ex accentu*, ſimilibusque, diſcernendi ſunt. Ita *exempla* diviſionis illius occurrunt *Zachar.* I. ubi, ſecundum Judæos ſic ſatis ingenioſè, ℣. 5. *populus* loquitur; *Prophetas mortuos eſſe*, *ut populum*; verſu 6to autem *Propheta* populo reſpondens; *manere* tamen, & aſſequi illos *Prophetarum verba*. Sic *Rom.* X, ℣. 18. eſt *objectio* Judæorum, ſed ℣. 19. *Reſponſio* Pauli. Et 1. *Corinth.* VIII. occurrunt a) *Verba Corinthiorum* ad Paulum ℣. 1. parte 1. b) *Verba Pauli*

ad Corinthios ℣. 1. parte 2. & ℣. 2. 3. c) rurſus *Corinthiorum* ℣. 4. 5. 6. & d) ad hæc *reſponſio Pauli* ℣. 7. Ita etiam, 6) cumprimis in ſubdiviſionibus, *reſpiciendum eſt ad diverſos actionum gradus.* In repetitionibus *Verborum* fere *ſimilium* ſæpe κλίμαξ eſt, ſaltem in ſubdiviſione, non omittendus. Exempla ſint *Pſal.* I, 1. 2. *Jeſai.* XLI, 10. XLIII, 7. (vid. *Vitringa* ad h. l.) 1. *Joh.* I, 1. 1. *Petr.* V, 10. Et quandoque *mutuæ partes*, in iſtiusmodi gradationibus, *ſibi reſpondent*, ſive *per collationem habituum* & *actuum*, ſive *per oppoſitionem.* Ita *Rom.* XI, 33. 34. 35. referuntur inde quidem *perfectiones Dei*, hinc *imperfectiones hominum* illis *oppoſitæ*, quibus os eorundem obturatur; In *priori parte* extat 1) *perfectio virtutum:* SUFFICIENTIÆ SAPIENTIÆ, COGNITIONIS, *exaggerata* per exclamatum βάθος! 2) Porro, his reſpondens, *perfectio actuum* divinorum *interiorum*: CONSILIORUM; *exteriorum:* VIARUM; cum deſcriptione ſua. His, *parte poſteriori*, *opponitur*, & quidem a) *cognitioni* divinæ *ignorantia humana*: QUIS NOVIT MENTEM DOMINI? b) *Sapientiæ:* QUIS CONSILIARIUS EJUS FUIT? c) *Sufficientiæ*: QUIS DEDIT ILLI &c. 7) Extant quandoque etiam *verba*, *quæ & ad ſubjectum*, & *ad prædicatum referri poſſunt*; hic equidem attendendum, in quam partem magè vergant, ut illi ſubjungantur; ſed ita tamen, ut, ſaltem in explicatione, etiam ad membrum alterum referantur; quia, non ſine intentione divina, ſic fuêre poſita, ut utrique membro applicari queant. Sic *Habac.* II, 4. *Juſtus in fide ejus vivet*, verba ita equidem poſſent diſtingui, ut *ſubjectum* ſit: *Juſtus in fide ejus*, poſtea tamen etiam, in explicatione, ipſum *in fide* ejus *vivere* doceatur. Sic 2. *Timoth.* I, 13. verba: *in fide & charitate*, tum ad *ſermones ſanos*, tum ad τὸ *habe illos* ὑποτύπωσιν referri poſſunt. *Judæ* ℣. 20. verba: *in Spiritu S.*, ad preces pertinent; ad *fidem* vero ſimul etiam redigi poſſunt. 8) *In textibus Propheticis diviſio ad literam eſt inſtituenda*, &, quantum fieri poteſt, *myſterium literæ ad implementum* reſervandum eſt. Ita *Geneſ.* XLIX, 10. dici poſſet, agi de *duobus privilegiis Judæ*, & de *duratione illorum* privilegiorum. 9) In *textibus* autem *moralibus* obſervandum erit, *ut*, in congerie officiorum, *non reſpiciatur ad* notas *diviſiones officiorum moralium*, *in ea quæ*

erga

Digitized by Google

erga Deum, proximum, & erga nosmet ipſos ſunt præſtanda, ut *Galat.* V, 26. 2. *Petr.* I, 4. 5. ſeqq. vel *annon tacitus quidam reſpectus ſit ad præcepta decalogi*, ſive in virtutibus, ſive in vitiis, ut 1. *Timoth.* I, 9. 10. *Matth.* XV, 19. Quandoque notabilis quædam gradatio, in officiis, occurrit, ut *Coloſſ.* III, 12. 13. ubi vid. *Cocceji opera poſthuma.* 10) In *textibus hiſtoricis* plerumque a) *præparatio* ſive occaſio, b) *factum* & c) *conſequentia* ſunt obſervanda.

§. LXV.

Denominatio.

Quæ *reſoluta* fuere in ſua *membra*, *accipiant* etiam *deſcriptiones* & *denominationes congruas*, ſive *ex materia* ipſa, ſive *ex modo tractandi* materiam, ita tamen, ut *termini ſcholaſtici* evitentur; quomodo rudioribus voces *ſubjecti* & *prædicati*, vel *objecti* (Unterwurff, Vorwurff) ſæpiùs ignotæ ſunt, ſed ut materiam ipſam ita deſcribat paſtor, ut rem, de qua ſit agendum, protinus agnoſcat auditor; idque clarè, graviter, cum qualicunque rei encomio, ſed citra nimium vèrborum apparatum, ne, ſub illo, partes ipſæ tantò faciliùs è memoria excidant. In tali autem propoſitione partium, etiam ſuperſtitioſa nimis induſtria illorum vitanda, qui æqualem ſemper numerum partium, & quidem verbis æqualibus, cum ſoni etiam qualicunque convenientia, urgent; atque ideo Latinis terminis propoſitionem plerumque formant; vix tales loquuntur ὡς λόγια Θεῦ. Imo ſi non commodè excogitari poſſint termini quidam generaliores, quamvis hi aptiores forent, religioni non erit ducendum, ſi diviſio petatur ex ipſis verbis textus.

§. LXVI.

Subdiviſio.

Quod *ſubdiviſiones* attinet, in *textibus majoribus* non ſemper ſunt explicitè proponendæ, nec indicandum ubique, quem ſervaturi ſimus ordinem, modo ordo in tractatione ſervetur, & objecta conſiderationis, convenienti ordine, ſibi invicem ſuccedant. Artis eſt, tegere artem, & non neceſſe, ùt, quæ inventionis atque compoſitionis adminicula fuêre, poſt compoſitionem, conſpectui auditorum exhibeantur.

Digitized by Google

SECTIO VIII.

De Explicatione, Verborum Textûs, Grammatica.

§. LXVII.

Explicatio hæc verſatur a) circa textus ſitum externum

Prima, circa *textum* nunc *ſpecialiùs exponendum*, cura ſit, ut *ſitus* ejus *externus*, juxta quem *præcedentibus*, & vicinis *verſibus cohæret*, examinetur, prout, in tabulis Chorographicis, ante omnia regiones limitaneas, quibus pars quæque cingitur, reſpicere ſolemus. Cumque textus. pars contextus ſit, &. per particulas ſuas, antecedentibus intimè innectatur, evidens eſt, quod, ſaltem in plerisque concionibus, præſtet ex antecedentibus partem explicationis, quam propoſitionis facere.

§. LXVIII.

α) per limites connexionis

Igitur, præter ea quæ ſupra dicta ſunt ad propoſitionem, ſive de argumento textûs, α) id cumprimis obſervandum, *connexioni*, cum judicio, *certos eſſe limites figendos*, ne prolixitate ejus fatigetur auditor Hos limites *intima textûs ratio* ſuppeditat. (*) Vel enim ille radices ſuas usque ad *initium libri* protendit, quod *particulæ illativæ*, cum tota propoſitione conjunctæ, aut *voces* etiam, *ex prioribus*, generaliores oſtendunt, & tum ſuccinctè priora omnia repetenda ſunt, veluti in *principio propoſitionum practicarum, in Epiſtolis.* Ita *Rom.* XII, 1 tum *particula illativa* οὖν, tum ſubjuncta *propoſitio miſerationum Dei*, ſcilicet in negotio juſtificationis demonſtratarum, ſuadet, ut ſuccinctè priora omnia repetantur: Magnam fuiſſe, gentilium &
„ Judæorum, miſeriam, quæ, nihil ipſis juſtitiæ coram Deo
„ eſſe. evincat; magnam Dei miſericordiam, qui gratis eos,
„ propter redemtionem Chriſti, juſtificaverit, hoc beneficium
„ ſine lege. quæ iram operatur, publicaverit, inde pacem cum
„ Deo, ſanctificationem, ſolamen dederit, in tentationibus,
„ tum internis, tum externis; hæc, citra omne meritum, gen-

tibus

tibus præſtitiſſe, Judæis olim promiſiſſe; nihil igitur juſtiùs "
eſſe, quam ut, propter has miſerationes, ſemet ipſos Deo "
iterum conſecrent &c. (**) Vel *ex prioribus* tantum *verbis* ratio
textûs petita eſt, unde nec dum altiùs erit aſcendendum. Ita,
ſi verba *Galat.* II. 20: *Vivo autem ego* &c. explicanda eſſent, ſufficit, ſi à colloquio *Pauli* cum *Petro* initium fiat, & ab illa *Pauli* demonſtratione, qua, pro libertate credentium ex gentibus, juſtificationem omnem, per fidem, allegavit, &, ne putetur illam ſanctificationi obſtare, hujus nexum cum juſtificatione oſtendit. β) *Ad ordinem* etiam *verborum*, non minùs quam ad rationes, in antecedentibus, propoſitas, *reſpiciendum* eſt. Etiam in *ordine argumentorum* quandoque *myſteria* latent, & ſingulari *convictioni* inſerviunt. Ita, haud rarò, completæ, per Chriſtum, ſaluti, immediatè fata Anti-Chriſti, tanquam contraria, opponuntur, conſideretur 1. *Timoth.* IV; 1. cum 1. *Tim.* III, 16.

β) per ordinem verborum

γ) *Vim particularum connectentium, non ex naturali tantum earum ſignificatione, ſed cumprimis ex* συναφεία ſive *connexione reali petendam eſſe* Solent enim illæ frequenter, ut cumprimis τὸ ו *Vau* Hebræorum, & καὶ Græcorum, ſequentia cum præcedentibus equidem in genere connectere, in ſpecie autem modum conjunctionis illius, an cauſalis, an illativus ſit, non deſignare, qui proin ex ſerie ſermonis, rerumque antecedentium & ſubſequentium naturis, atque relatione ad ſe invicem, diſci debet. Sit *exemplo* locus difficilis 1. *Joh* III, 19. ubi τὸ καὶ pro *rationali*, & cum *vi* quadam *illativa*, quæ rationem fortius animis inſerat, ſumendum eſt. Juſtum eſt ἀγαπᾶν τῇ ἀληθείᾳ, καὶ ἐν τούτῳ γινώσκομεν &c EÒ QUOD *exinde agnoſcamus nos eſſe ex veritate.* Sicuti, è contrario, τὸ ὅτι non ſemper cauſam vel efficientem, vel finalem, vel ſimile quid dicit, ſed redundat, quod niſi ℣. 20. ſequente ſupponeretur, vix textui ſenſus commodus dari poſſet, ubi verba: ὅτι ἐὰν &c. ita reddenda ſunt: *Si condemnet nos cor noſtrum*, ſcilicet illâ cogitatione, *quod major ſit Deus corde noſtro*, & plures actus hypocriticos in eo agnoſcat, quam nos equidem novimus, ſit tamen ſufficiens remedium tranquillandi cor coram illo, nempe *amore in veritate.*

γ) per connexionem realem

Exemplum 1. Joh. III, 19. 20.

§. LXIX.

b) circa verba & phraſes

Ubi per particulas, ceu totidem fibulas, textus fuerit ab antecedentibus ſolutus, tum *ſingula textûs verba, phraſesque, ſive dictiones ſimul ſtructæ, & ad ſe invicem relatæ, penſiculatiùs erunt examinandæ, ut, ex illis, veras verborum ſenſus conſtet.*

§. LXX.

non eſt prorſus omittenda

Non deſunt equidem, qui *grammaticam* vocum *explicationem*, maximè inter rudiores, refugiunt. Nec erunt etiam omnia adminicula, quibus in verum verborum ſenſum deducti fuimus, coram rudioribus prolixius repetenda. Interim ſunt *verba*, ſunt *phraſes* illæ, quibus Deus nos de ſe, de ſuis conſiliis, operibus, voluntate informavit. Sunt verba illud incorruptibile ſemen, ex quo fides noſtra, cum vita ſpirituali, prodit. Superfluis non abundat Deus; emphaſis ſæpiſſimè ſingularis in verbis eſt, & ne una quidem vox, quæ non ſeriùs, ociùs, occaſionem ad ſui & aliorum ædificationem, ſuppeditet. De judicioſiſſimo *Paulo Sarpio* relatum fuit, quod, cum, in lectione Scripturæ S., lineâ ſubductâ, pauciora quædam, ſub initium, ceu in quibus ſingulare momentum ſit, obſervaverit, poſtea tamen, in iteratis lectionibus, vix quicquam reliquerit, cui ſua lineola defuerit. Medicina mentis, in concionibus, proponitur, in illa res ſe habet, ut in medicina corporis; qui remedium quoddam præſcribit, ſingulorum ingredientium vim, & virtutem conſiderat ſeorſim, poſtea, quid, ex variorum ſimplicium permixtione, boni evenire queat, quæ qualesque vires compoſiti ſint dijudicat, atque hac demum ratione, ſolido ſe niti judicio credit, & certum præſcribere remedium; Ita, ut ſimili, à *Guſſetio* adhibito, uti liceat, vis verborum, mox & „ phraſium ſingularum, tum propoſitionis integræ, perpen- „ denda, quodnam, in textu, propriè ſiſtatur, vel agens, vel „ patiens, ſubjectum, quæ actio, in prædicato verbo, ſignifi- „ cata, quænam particularum, etiam affixi & ſuffixi, indoles ſit, „ unde, ex his omnibus commiſſis, clarum & diſtinctum, de „ ſenſu, conceptum habebis. „

§. LXXI.

Neque vero omnium & ſingularum *Vocum* danda eſt ſignificatio; ſed tantum, quando illam א) *ambiguitas*, ב) *obſcuritas*, & ג) *emphaſis* vocis requirit. Ut peccatur *in defectu* ab iis, qui protinus in concionibus ad praxin accedunt, & literam omittunt, cum ex fide virtus ſit; ita peccatur etiam *in exceſſu*, ſi vel in minimis & notiſſimis vocibus explicandis hæreamus. Sermonis noſtri par eſt ratio cum actionibus, in his ratio non inquirit, ſed velociſſimè judicat. Quodſi itaque vel *varia* vocum, atque phraſium ſit *ſignificatio*, aut *variæ*, cumprimis *heterodoxæ*, dentur *interpretationes*, aut ſi *quædam* verbis inſit *obſcuritas*, eaque vel *ex brevitate* nimia, ut, ſi pro textu eſſet verbum τιτίλλεσθαι, vel *ex minùs uſitato loquendi modo*, vel ex *alluſione* quadam ſive *ad ritum*, ſive ad *hiſtoriam priſtinam*, aut, quod in linguis originalibus frequenter uſu venit, *altiorem* textus contineat *intellectum*, quam quem verba dare videntur, cummaximè in verſione, tum demum *literalis explicatio* neceſſaria eſt. ſed quandoque admodum neceſſaria

§. LXXII.

א) Non *poteſt* autem illa feliciter *inſtitui*, niſi *ad fundamenta* & *regulas explicationis grammaticæ* ſedulò reſpiciatur, quas, in compendio nunc referre juvabit. idque juxta regulas grammaticas א) quoad ambiguitatem.

§. LXXIII.

Sit itaque *regula prima*: *Unus tantum Scripturæ* S. *ſenſus literalis* & *grammaticus*, ſive *propriis* ille, ſive *figuratis* contineatur *verbis*, quod in Theologia probatur. Regula I.

§. LXXIV.

Regula ſecunda: *Una etiam tantum*, *ſingulis Hebræorum vocibus*, *ſignificatio prima*, *formalis eſt*, & *generalis*, *ad quam reliquæ*, *ſi diverſimodè ſumatur eadem vox*, *tanquam ad totidem illius ſpecies*, *referri poſſunt*. Non alio argumento, Scripturæ S. auctoritas, magis oppugnata fuit, quam illius *ambiguitate*, non aliunde hæc magis aſſerta, quam *ex tot*, tamque *diverſis*, *unius ejusdemque vocis*, *ſignificationibus*. Hinc, bono omine, viri Regula II.

doctis

Digitized by Google

doctiſſimi, FORSTERUS, in *Lexico* ſuo, *Sam.* BOHLIUS in *Diſſert.* de *ratione formali vocum*, & GUSSETIUS in *Commentario Linguæ Hebr.*, monſtroſam illam æquivocationem eliminarunt, &, ſole meridiano clariùs, ſaltem in communi, evicerunt, *unam* ſingulis *vocibus eſſe ſignificationem*, à qua reliquæ dependeant, quod eò usque proceſſit, ut nunc etiam oſtenſum ſit, *nullus* etiam, *in Scriptura* S. dari *Anti-phraſes*, ſed omnia, ſub uno genere, ceu totidem ſpecies contineri. Vid. *Samuel Reyberus* de *Anti-phraſibus Scripturæ* S. In quo tamen ſtudiorum genere, magnum, ſcrutatoribus S Literarum, relictum eſt ſpicilegium. Erit tamen ſolicitè cavendum, ne prima illa, & formalis ſignificatio, tam latè ſumatur, ut, ſub illius umbra, etiam explicationes adverſariorum, velut anguis in herba, latere queat.

§. LXXV.

Regula III. *Regula tertia*: *A nativa vocis ſignificatione, ſine gravi cauſa, non eſt recedendum.* Per frequentiorem enim uſum Scripturæ S., formalis vocis ſenſus agnoſcitur, & voluit, per conſequens, ſapientiſſimus auctor, in illo cumprimis hærere, tantumque abeſt, ut id ſenſum imminuat, ut ſæpiſſimè, hac ſimplicitate, uberior anſa ſuppeditetur, explorandi divitias Scripturæ S. e. g.

Exemplum Matth. I, 19. quod *Matth.* I, 19. dicatur, noluiſſe *Joſephum*, Mariam παραδειγματίσαι, hinc interpretes eò fuêre prolapſi, ut nomen Δίκαιος ad *miſericordiam* ejus retulerint, ſed malè; maneat ſenſus vocis nativus, & diſtinguantur ſaltem, in *Joſepho*, virtutes duæ, altera *juſtitia*, ob quam *deſerere* voluit *Mariam*, altera *miſericordia*, *Joſephum* movens, ne publicæ illam pœnæ ſubjiciat, ob quam illam *clam deſerere* voluit. Hæc ſimplicitas, hærendi in ſenſu nativo, vel *in particulis* egregium uſum habet. Ita

Exemplum Matth. XXII, 37. *Matth.* XXII, 37. dicitur, *DEUM diligendum* eſſe ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ; unde, cum τὸ ἐν naturaliter locum denotet, in quo res aliqua ſubſiſtit, judicari poſſet, *Matthæum* ſedem internam, divini amoris, cor, principium omnis judicii, & affectuum, notare voluiſſe, dum *Luc.* X, 27., aliâ occaſione oblatâ, idem mandatum ſit redditum; eſſe *DEUM diligendum* ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, qua

phraſi

phraſi ulteriùs reſpici potuit, ad externa illa teſtimonia, & actus amoris, qui, ex ſano judicio & affectu interno cordis prodeunt, ut ſic hæc duo loca, ſimul ſumta, nobis plenam, præcepti Moſaici, interpretationem præbeant.

§. LXXVI.

Regula quarta: Quæ nativa cujusvis vocis ſit ſignificatio, in communi, inde potiſſimùm uſus, atque conſuetudo, hinc origo vocis, & radix indicat. Tertium ſtudio omittimus, nempe *notiones Hieroglyphicas*, ex *intrinſecis literarum ductibus* petitas, quas *Helmontius* invenit, *Caſpar Neumannus* pinxit, & exaſciavit, quaſi e. g. א) notet *actum*, & *motum* in genere, ב) *trinam dimenſionem*, ג) *flexum* & *obliquitatem* &c. Unde ארץ *terra* propriè rem dicat, in cujus ortu (א) *motus* (ר) *eruptio*, (ץ) cum *violentia* facta ſit; Hæc enim fundamento ſolido deſtitui, ipſa illa varietas explicationum, quæ, apud ſectatores *Neumanni*, occurrit, evidenter docet. Videatur contra ipſum, omnium inſtar, *Michaëlis de vocum ſeminibus*. Regula IV.

§. LXXVII.

Regula quinta: Uſus & conſuetudo vocum ſacrarum, ante omnia, ex Scriptura S., per ſedulam, & judicioſam locorum verè parallelorum collationem diſcernitur. Id *Guſſetius* paſſim oſtendit, Scripturam S. ipſam, ad pleniſſimam vocum, in illâ contentarum, notitiam ſufficere. Judicatur equidem, à quibusdam, odium linguarum exoticarum, apud illum, ex ignorantia illarum fuiſſe ortum; ſed exempla exemplis cumulata, ad minimum, hoc evincunt, quod pleræque voces, & illæ cumprimis, quæ veritates indicant ſalutares, ex ſola S. Scripturæ collatione explicari queant. Sicuti & ipſe *Nehemias* intelligentiam Scripturæ S. dedit במקרא per Scripturam. Regula V.

§. LXXVIII.

Regula ſexta: In hac autem, locorum parallelorum, collatione, vis & ſignificatio verborum cumprimis patebit, ex rebus, quibus tribuuntur, aut contrariis, quibus opponuntur, aut finitimis, qui- Regula VI.

bus adjunguntur, aut iis quibus explanantur. Hanc auream, *Antonii Schori*, regulam, de *phraſibus linguæ Latinæ*, ad Hebræas etiam voces explicandas, commendavit *Rhenferdius* in *Diſſert. de ratione obſervandi genuinam, vocabulorum Hebræorum, ſignificationem.* Et certè latiſſimè patet hujus regulæ uſus, cumprimis etiam in illis, quæ pro *ſynonymis* habentur, & quorum tamen differentiæ, miram textibus lucem inferunt. Sit *pro exemplo* a) *Joſuæ* Cap. I. ℣. 6. 7. 9. 18. ubi extat hæc formula: *Eſto fortis & robuſtus* (חזק ואמץ). Quid hæc formula ſibi velit, *ex rebus*, quibus alibi hæc verba tribuuntur, *& contrariis*, quæ opponuntur, evidens erit; ſi conferatur *Jeſai.* XXXV, 3: *Confortate manus remiſſas, & genua labantia fortificate*, conf. *Job.* IV, 3. 4. Sic itaque *manibus* illud, hoc *genubus* tribuitur, *illius* oppoſitum eſt רפה, *remiſſè agere*, *Brachia*, quæ fortiter rem apprehendunt, *remittere*; oppoſitum autem *hujus* eſt כשל, *extrema laſſitudine oneri ſuccumbere*, *lapſare*, *corruere*, *nicht auff dem Fus ſteben können.* Inde apparet, *phraſi primâ*, excitari homines, ad *fortiter agendum*, quæ decet; *ſecunda*; ad fortiter patiendum, & ſtandum inter aggreſſus hoſtium; utrumque poſthæc omne athletarum robur confecerat. conf. *Hebr.* XII, 12. *Matth.* IX, 36. b) Ex *finitimis*, quibus adjunguntur, lucem accipiunt, quæ dicuntur 1. *Corinth.* XV, 29; ubi, *ſuper mortuis baptizari*, quid ſibi velit, evidenter patet ex finitimis, ſcilicet ex ℣. 30. & ſeqq. quando dicitur: τί καὶ ἡμεῖς κινδυνεύομεν πᾶσαν ὥραν, ubi particula καὶ clarè indicat, hæc verba idem indicare quod priora ℣. 29., ut adeo, *baptizari ſuper mortuis*, ſit baptiſma ſuſcipere, vel quaſi mortis gratia, vel potius *inter mortuos*, ut particula ὑπὲρ idem notet quod Germanorum *über.* Et conferri meretur teſtimonium *Syneſii*, quod adduxit H. *Grotius* de *jure belli & pacis* Lib. I. c. 4. n 7. ubi *Judæi*: σαφῶς ὑπὲρ ψυχῆς θέομεν *currimus pro vita amittenda*, vel, *in certiſſimum vitæ periculum adducti.* Vid. *Hombergk parerga ſacra* ad h. l. Atque c) eodem prorſus ſenſu 1. *Corinth.* XV, 24. Ubi, quid ſit: *tradere regnum DEO*, patet ex ſequentibus, hoc ſcilicet, in communi, de regno intelligendum eſſe, dum conjungitur cum abolitione omnis magiſtratus, & poteſtatis in Eccleſia.

Exemplum Joſ. I, 6. 7. 9. 18.

Exemplum 1. Corinth. XV, 29.

Exemplum 1. Corinth. XV, 24.

§. LXXIX.

§. LXXIX.

Regula ſeptima: Si vero ſenſus verborum S. Scripturæ, ex uſu vocis ſacro hauriri nequeat, ad uſum ejusdem profanum, cumprimis ex Scriptoribus Græcis, progredi licet. Sic maximè in *Luca*, purioris græci idiomatis ſtudioſiſſimo, varia, ſine collatione Scriptorum græcorum, vix plene intelliguntur. Solus *Lucas Chriſtum* vocavit ἐπιστάτην *Luc.* V, 5. Jam equidem, ex collatione *Luc.* VIII, 24. & *Marc.* IV, 38., conjici poteſt, quod idem ſit atque Διδάσκαλος *Magiſter.* Sed ſi conferatur *Callicratides* Pythagoreus, jam quid ſibi velit illa vox, luce meridiana clarius eſt: *Imperiorum*, dicit ille, *circa agenda cum ratione, alia ſunt* δεσποτικά, *alia vero* ἐπιστατικά; *deſpotica imperia ſunt, quæ imperantis,* non ejus qui paret, *commodum reſpiciunt, ut Domini in ſervum, Tyranni in ſubditos:* ἐπιστατικὰ *vero, quæ commodum reſpiciunt ſubditorum, ut præceptoris in diſcipulum, medici in ægrotum* &c. Sic *Luc.* VIII, 15. fit mentio καρδίας καλῆς καὶ ἀγαθῆς. Plenam hujus phraſis emphaſin *Ariſtoteles* docet in *Ethicis majoribus*, ubi dicit, ἀγαθοὺς eſſe, *qui bona, utilia quærunt*, ſed καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς *qui virtuti ſtudent propter honeſta.* Ita & vocabula, quæ μέσα dicuntur, ut in utramque partem, bonam & malam, ſumi poſſunt, lucem ab Exoticis quandoque petunt. Sic *Galat.* III, 4. dicitur: τοσαῦτα ἐπάθετε εἰκῆ. Hæc interpretes communiter referunt ad *Paſſiones* & *Afflictiones Galatarum*, ſed prorſus contra contextum; nam *Paulus*, in hac pericopa, juſtitiam fidei, ex ſtatu præſenti Galatarum, demonſtraturus, ℣. 2. dixit, ipſos, per præconium fidei, Spiritum S. fuiſſe adeptos, & ℣. 4. 5. de efficacia hujus doni, & de operatione Spiritus agit, unde paſſionis mentio hìc incongruè interjicitur. Sed ex *græcis Scriptoribus* patet, quod τὸ πάσχειν *vox media* ſit, cujus formalis ſignificatio ſit *accidere* & *affici*. Ita *Ariſtophanes* in *nubibus*: τί χρῆμα πάσχεις *quid tibi accidit.* Dantur etiam loca, ubi de *beneficiis* ſumitur, quibus quidam fuêre affecti. Sic itaque verba *Pauli* multò convenientiùs redduntur: *An hæc itaque dona fruſtrà accepiſtis.* Videatur *Homhergk* in *Parergis ſacris* ad h. l., & ad hanc theſin, omnium inſtar, *Hugo Grotius* in *Commentariis* ſuis.

Regula VII.

Exemplum Luc. V, 5.

Exemplum Luc. VIII, 15.

Exemplum Galat. III, 4.

§. LXXX.

Regula VIII.

Regula octava: Si, ex collatione locorum, nondum, textui noſtro, conveniens dari queat ſignificatio, ſitque illa ex derivatis, ad radicem, & originem vocis excutiendam progrediendum eſt, & ſi nequidem illa, quæ propriam vocis conſtituit originem, ſcrupulis adimendis, ſufficiat, conferendæ ſunt voces finitimæ ejusdem organi, ut, ſaltem ex affinibus, lux quædam verbis concilietur. Extant nonnullæ voces, ad quarum ſolidam intelligentiam nos ſola radix ducit. Mittimus voces illas peregrinas veſtium, quæ *Jeſai.* cap. III. occurrunt, & in quarum explicationem aliunde deduci impoſſibile eſt, ut *Jeſai.* III, 23. גליונים, ubi ſola radix גלה, ad *pellucidas veſtes* ducit, de quibus videatur *Vitringa* ad h. l.

Exemplum Jeſai III, 23.

Exemplum Job. XXXIII, 18

Certum eſt quod *Job.* XXXIII, 18. ſenſum vocis שלח commodiſſimum radix præbeat. Agitur de commodis afflictionum in communi, morborum in ſpecie, quæ habeant tum in peccatis removendis, ſive tentetur homo ad malum, ſive, abſtinendo ab illo, ad ſuperbiam; tum ratione pœnæ, ita cohiberi *animam* ejus à *fovea* & *vitam* מעבור בשלח; Id equidem ad miſſile, gladium, pœnas temporales minus commodè refertur, cum, mediantibus hujusmodi caſtigationibus, removeri poſt hanc vitam ſupponat, unde, cum שלח *mittere* ſignificet, nihil probabilius, quam quod ad *dimiſſionem*, & perpetuum *animarum exilium* reſpiciat, prorſus ut *Job.* XXXVI, 12., ad inobedientiam hominum, dicitur, quod יעברו בשלח *in exilium ſint tranſituri*; idque ſi non vocum, ſaltem rerum parallelismus confirmat 1 *Sam.* XXV, 29. 2. *Theſſ.* I, 9. & fundamentum in typo *Geneſ.* III, 24. & IV, 14. Unde & in *Chaldaica verſione* loco *miſſionis* ſumitur *Joel.* II, 8. De *radicalium* autem *literarum*, tum transpoſitarum, tum commutatarum, *affinitate*, vid. *Læſcher* de *cauſis linguæ Hebr.* Lib. II. c. 6. & *Michaëlis* de *vocum ſeminibus.*

§. LXXXI.

Regula IX.

Regula nona: Imo *in vocibus rarioribus etiam, & ſemel ſaltem occurrentibus, non ſine fructu, ad radices deperditas, in linguis orientalibus etiamnum extantes, recurritur.* Negat hoc equidem

Guſſe-

Digitized by Google

Guſſetius. Sed nimis multis exemplis contrarium evincitur. Singulari difficultati obnoxia eſt collatio inter *Mich.* V, 2. & *Matth.* II, 6. Sed obſervat *Pocockius* ex Arabiſmo, in *Notis* ſuis *Miſcellaneis* ad *portam Moſis*, eſſe hanc vocem ex illis, quæ videantur pugnantes inter ſe ſignificationes habere, atque modo *parvum* quendam, modo *virum præcipuum & illuſtrem* notare, conf. *Jerem.* XLVIII, 4. *Zach.* XIII, 7. Sic *Job.* XXIV, 12 verba: מעיר מתים ינאקו vulgo redduntur: *Ex urbe homines gemunt:* Ita *Chaldæus*, LXX *interpretes*, plerique. Sed, cum עיר apud Arabes, notet *piaculum cædis*, à ſimili *radice*, quæ hominis *cædem piaculo expiare* ſignificat, quod hodie Arabes, camelis mactatis ad ſepulchrum occiſi, & mulcta aliquâ, parentibus ſolutâ, præſtare ſolent, verba hæc ita reddi poſſent: *Propter piaculum hominis ingemiſcunt* ad DEUM; Et ſic optime cum ſequentibus quadraret: *atque anima occiſorum clamat*, nempe vindictam. Sic etiam nomine מתים *occiſi* deſignari poſſent, ab המית *violenta morte perire* 1. *Sam.* XVII, 50. 51. quam obſervationem habet *Schultens* in doctiſſimis animadverſionibus *in Jobum*, ex quibus plures, hujus generis, loci illuſtrari poterunt.

Exemplum Mich. V, 2.

Job. XXIV, 12.

§. LXXXII.

Regula X.

Regula decima: Ubi, quo ſenſu vox ſumatur, in communi patuerit, *videndum eſt, ſi, ſub generali vocis ſignificatione, plures, non unius generis, ſpeciales lateant, quo ſenſu in textu ſumatur; & hic, ſine dubio, illa potiſſimum ſignificatio eſt ſeligenda, quam* a) *rei natura*, ſive *materia ſubſtrata*, b) *ſcopus antecedentium & conſequentium*, c) *genius atque ſtylus auctoris*, d) *loca evidenter parallela*, e) *temporis, ſtatusque præſentis ratio*, & *tandem* f) *Analogia fidei poſtulant.* Sic ſi, in *Sacra Cœna*, *Chriſtus* diſcipulis ſuis, ſub oblato pane, *corpus ſuum* edendum præbet, hæc omnia ſimul evidentiſſimè indicant, quo ſenſu *vox corporis* ſumi debeat; indicat enim *rei natura*, quod circumſcriptum Chriſti corpus, ut fractum fuit in cruce, ſub particula panis exhiberi nequeat: *Scopus*, quod hæc actio inſerviat ad commemorationem mortis Domini, &, per hanc demum, ad ſalutarem cum Chriſto communionem: docent *antecedentia* Chriſtum panem ſumſiſſe, de pane

hoc dixiſſe, nullis autem contradictionibus, in explicatione S. Scripturæ, locus eſt, unde, cum panis non ſit corpus Chriſti, illum hujus loco in pignus fuiſſe ſubſtitutum: docent *conſequentia* ſanguinem ſine corpore, illumque in confirmationem N. T. effuſum, adeoque non vivum corpus tradi; idque *genius* & *ſtylus S. Scripturæ* confirmat, σώματος enim nomine Scriptores S. ad corpus mortuum deſignandum utuntur *Matth.* XXIV, 28. coll. *Luc.* XVII, 37. *Rom.* VII, 4; & *participia*, τὸ διδόμενον, τὸ κλώμενον 1. *Corinth.* XI, 24 *præſentis temporis* indicant, hæc, tanquam in fractionis actu, animæ fideli, cui & futura, & præterita præſentia ſunt, ſiſti: Docet præſens *hiſtoria*, collata cum *Paſchate* tum celebrato, non aliter panem, pro memoriali corporis Chriſti, tribui, atque panis paſchalis tribuebatur Iſraëlitis, in memoriam panis afflictionis, quo veſcebantur ipſorum patres; idque *analogia* totius *fidei* confirmat. Sic de ſenſu, ubi hæc omnia apprimè conveniunt, certiſſimi ſumus. Sed & unum quandoque, ex illis ipſis, differentiam facit, & removet illa, in quibus cæteroquin plura, ex datis requiſitis, conveniunt. Sic licet *Deut.* VIII, 3., & *antecedentia* de obſervatione mandatorum ad vitam agant, & *genius*, atque *ſtylus Moſis* non admodum abhorreat, quo minus per illud *quod egreditur ex ore DEI*, *præcepta ejus* ſignificentur, *parallelismus* etiam, *temporisque ſtatus* & *analogia fidei* non obſtant, ac ſi ſenſus ſit; obſervatione præceptorum DEI hominem vivere, neque, ad proſperitatem ejus, uſum creaturarum tantum, quantum obſervationem mandatorum DEI, facere; ſolus tamen *ſcopus* evincit; verba illa, quibus peculiare documentum, quod, ex mannæ datione, deſumere Iſraëlitæ poterant, ſignificatur, illo ſenſu ſumi non poſſe, quia *datio Mannæ*, non ut effectus obedientiæ Iſraëlitarum, ſed potius ut donum gratuitum, in obedientibus & murmurantibus præſtitum, conſideratur, unde potius ex eodem judicari poteſt, ex tam miraculoſa cibatione, efficaci nutritione Iſraëlitarum, ipſos de *divinæ providentiæ* effectu informatos fuiſſe. hûcque verba tendere, quod, in defectu mediorum ordinariorum, divina voluntas, ejusque virtus ſufficiat, vel ad alia extraordinaria media, ut hîc *Manna* erat, ſubminiſtranda, vel ad ſuſtentationem

ſine

Digitized by Google

ſine mediis, quò Verba Chriſtus retulit *Matth.* IV, 4., perficiendam, hinc vero, in præſentia mediorum, uni divinæ providentiæ, non pani, efficaciam ſuſtentationis tribuendam eſſe.

§. LXXXIII.

Regula undecima: Si vero plures, ejusdem ſenſus formalis Regula XI.
ſignificationes ſpeciales, textui illuſtrando inſerviant, illæ ſibi invicem aut conjungi, aut ſubordinari poterunt, &, vel in ipſa explicatione, vel ſaltem in applicatione, una cum reliquis uſui eſſe. Manet, in explicatione literali etiam, regula *Cocceji:* quod *verba valeant, quantum valere poſſunt.* Imo, pro *diverſitate ſubjectorum*, poterunt etiam, pro ſingulari acumine, verba quandoque ad diverſa ſubjecta, ſub *diverſis ſenſibus* applicari, ut tamen, reſpectu ſingulorum, unus ſaltem ſit ſenſus literalis. Ita Proverbium *Matth* XXIV, 28. *Ubi cadaver eſt* &c. diverſo ſenſu, & ad Apoſtolos & fideles, & ad infidelem Judæorum populum, tum præſentem, referri poteſt.

§. LXXXIV.

Regula duodecima: Ubi ambiguitati vocis, vel phraſis fue- RegulaXII.
rit conſultum, *tollenda etiam eſt ambiguitas propoſitionis integræ; In hunc finem, propoſitiones ſimplices à compoſitis ſunt diſtinguendæ; in ſimplicibus, ſubjecti & prædicati ſitus, atque limites ſolicitè conſiderandi.* Sæpiùs enim, ex tranſpoſitione ſubjecti & prædicati, naſcuntur errores, iique haud leves; in quem finem obſervandum, *nec ordinem* ſufficere, cum quandoque ultimo loco ponatur ſubjectum, *nec articulum*, qui ſæpè prædicato potiùs, quam ſubjecto adſcribitur, idque emphaſis ergò, ut *Matth.* V, 13. 14. *Vos eſtis* τὸ ἅλας τῆς γῆς, quod cum diſcrimine dictum videtur, & in quadam contradiſtinctione ad uſum ſalis communis. Cum enim ad fructus ferendos reſpiciat *Chriſtus*, ſalis autem communis nullus ſit fructus, ſub *ſalis terræ* nomine *lixivii cinis* deſignari videtur, cujus ſummus, in fructificanda terra, uſus eſt. Præſtat prædicatum quærere in communiori & generaliori re, in propoſitione contentâ. Ita *Joh.* I, 1. parte ultima: Θεὸς ἦν ὁ λόγος, ultimum nomen *ſubjectum* eſt, quod ſecundo

cunda equidem perſona ſit Deus, ſed non omnes Deitatis perſonæ ſint ὁ λόγος. Et ubi, hac regulâ maximè, ſubjectum fuerit diſtinctum à prædicato, obſervandum, ſæpe *naturam ſubjecti reſtringere ſignificationem prædicati*, ut 1. *Corinth.* III, 1. *Vos*, fideles, electi, *eſtis* etiamnum *carnales*; non per omnia, uti irregeniti, ſed hactenus quaſi νήπιοι, ut in νηπίοις Spiritus tum lumen, tum vis nondum apparet; ſicuti, è contrario, etiam *prædicatum reſtringit ſubjectum*, veluti: 1. *Corinth.* X, 23. *Omnia mihi licent* ſcil. in adiaphoris. Ita & *materia ſubſtrata ſenſum ſubjecti* quandoque reſtringit, ut *Rom* XIV, 23. *Omne quod non ex fide, peccatum eſt*; ubi *fidei* nomine *perſuaſionem* ſignificari, antecedentia hujus & anterioris verſus evincunt. Eſt & ad utriusque *adjunctum epitheton*, cum cura reſpiciendum, quod non modo ſubjectum explicat, ſed cum emphaſi exponit, quorſum & *pronomina* pertinent. Sic *Matth.* V, 45. *Chriſtus* fideles, inimicos ſuos amantes, non ſine emphaſi, vocat *filios* τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς, quod ex cœlis exemplum dare voluerit notabile, qui τὸν ἥλιον αὐτοῦ *ſolem ſuum*, quem nemini debet, de cœlo ἀνατέλλει, ſive *ab Oriente producit*, ſuper malos & bonos.

§. LXXXV.

Regula XIII. ב) quoad obſcuritatem.

Regula XIII. ב) *Occurrendum etiam eſt vocum*, ab ambiguitate liberatarum, *obſcuritati: Naſcitur illa quandoque ex tropo.* Quamvis enim hic non tam obſcuret, quam illuſtret, unde *tropi lumina orationis* dicuntur, fit tamen illud tum demum, ubi tropus fuerit demonſtratus, elucidatus, & ſimilitudo, in qua tropus fundatur, ad vocem applicata. *Talis* autem *tropus* latet *vel in voce* atque *phraſi*, *ſenſu metaphorico*, *metonymico*, *ſynecdochico* ſumenda, *vel* in *integra propoſitione*, ut in *proverbiis*, *vel in toto contextu*, ut in *parabolis*.

§. LXXXVI.

Ob tropum. α) in voce aut phraſi.

Ad *illuſtrationem* hujus *Regulæ* obſervanda ſunt ſequentia, ſcilicet α) quoad *tropum* in *voce* aut *phraſi*: 1) à *ſenſu proprio ad figuratum, non ſine gravi ratione ſecedendum eſt.* Cum enim ſignificatio propria figuratâ ſit prior, & ſimplicior, ſemper erit

præſu-

Digitized by Google

præſumendum, quod, qui ſuos docere voluit, etiam proprie loqui voluerit. Interim 2) *ſæpiùs etiam à ſenſu proprio diſcedendum eſſe* ipſa *Orientis conſuetudo* docet, in quo frequentiſſimè res *per ſymbola* non minùs, quam voces expreſsêre. Ne tamen hic dubius hæreat S. Scripturæ Lector, quid eligendum ſit, dantur certæ *regulæ* atque *leges*, quæ figuratum ſenſum à proprio diſcernunt, & ad quas, tantò majori cura, reſpiciendum eſt, quantò ſæpiùs, & olim & nunc, in hac materia erratur. Non rudiores demum *Chriſti diſcipuli*, cum nondum, luce Spiritus S., illuminati erant, hic errarunt, de *pane* ſumentes, quæ *Chriſtus*, de *fermento Phariſæorum*, impropriè locutus erat *Matth.* XVI, 6. 7. ſed hunc errorem plures etiam *Eccleſiæ Doctores*, cumprimis *Origenes*, ante illum *Nicodemus Joh.* III. aliique commiſerunt; ſicuti, è contrario, *ad figuras* transfertur, quod propriè eſt intelligendum, quomodo *Henricus Morus*, in *Kabbala* ſua *Moſaica*, literam deſerens, S. Scripturam pervertit; Ita nec *Amyraldi*, nec *Vitringæ*, Senioris, Junioris, excluſio *ſerpentis* propriè ſic dicti, à *tentatione Evæ Geneſ.* III. laudari meretur. 3) *Neque* etiam *omnes* illæ *regulæ*, ad hoc diſcrimen allatæ ab aliis, *admitti poſſunt*. Ita *falſa* oppidò *regula* eſt, *quod verba Teſtamenti ſemper debeant eſſe propria. Contraria hæc ſunt* non modo, ut alibi evictum fuit, ipſi *Codici Juris*, ſed & *S. Scripturæ*. Ita, in *Teſtamento Jacobi Geneſ.* XLIX, 21. *Naphtali* dicitur *cerva dimiſſa*, ejus qui dat verba elegantia, ut innuatur *Galilæorum libertas*, quam *Chriſtus*, in *verbo gratiæ*, illis obtulit. Confer *Deut.* XXXIII, 12. ut mittamus, in ipſa *inſtitutione Euchariſtiæ*, *Calicem*, per metonymiam, pro *ſanguine* ſumi, nec ipſosmet illos, qui hanc regulam urgent, verba inſtitutionis propriè ſumere. Præſtat itaque 4) pro *prima*, à litera diſcedendi, *regula* habere, *ſi ſenſus proprius ſit impoſſibilis*, vel *phyſicè*, vel etiam *moraliter*. Ita 1. *Corinth.* X, 4. quando dicitur: *Petra erat Chriſtus*, hoc utique ſecundum literam impoſſibile erat. Sic, quando *Chriſtus* dixit: *Sine mortuos*, *ſuos mortuos ſepelire Matth.* VIII, 22. locus proprium ſenſum habere nequit. Quando *Judæi* vocantur γεννήματα ἐχιδνῶν *Matth* III, 7. id non aliter intelligi poteſt, quam quod, cum ſe *ſemen Abrahami* dicant, ſint

ſeducti à ſerpente; ſicuti, è contrario, *Abrahamo ex lapidibus* Deum *filios* poſſe *excitare Matth.* III, 9. non aliter poterit intelligi, quam quod ad illos reſpexerit, quos Judæi *lapides* dixerant, nempe *gentes*, an cum relatione ad *Labanem*, in oppoſitione ad *Jacobum*, ſit in medio. Vid. *Diſſert. Rhenferdii de Stylo Apocalyptico.* Huc *ſecundò* pertinebit; *ſi Spiritus S. ipſemet talia emblemata explicet*, quod multis modis ſit, dum vel *occaſio externa* extat, per quam, *Chriſtus* & Doctores, à terrenis emblemata petebant, ad ſignificanda cœleſtia. Sic cum *aquam hauriret Samaritana*, Chriſtus illam ad ſe, ſuamque gratiam & verbum ducit, quod *ille ſolus ſitim*, in æternum, *extinguat Joh.* IV, 14. Si, ad edendum, *Chriſtum* excitant *diſcipuli*, *cibum ſuum obſervantiam voluntatis Patris* dixit *ibid.* ℣. 32. 34. Dum cernit *venientes Samaritanos* ℣. 40. jam *meſſem albeſcere* dixit ℣. 40. & 35. quod ad converſionem illorum referendum eſſe evidens eſt. Ita & *una propoſitionis pars alteram* quandoque *explicat.* vid. 2. *Sam.* XXI, 17. Interdum *particula conjunctionis* ſufficit ad figurati ſenſus explicationem, ut *Pſal.* LXV, 8. *compeſcens ſtrepitum marium* ET *fremitum populorum*; vel *caſus genitivus verbo improprio adjunctus* figuram explicat. v. g. *Ira tela Jerem.* L, 11. 14. 15. Sic & *eventus, juxta propria, non reſpondens prædictioni*, viam pandit ad figurata *Jeſai.* I, 15. *Amovebo omne ſtannum tuum.* *Ubi* vero 5) *ſenſus figuratus jam patet*, *neceſſe eſt*, *ut per illa*, *in quibus ſimilitudo jacet*, *ad vocem in textu poſitam applicetur*, ita tamen, ut in iis cummaximè hæreat paſtor, quæ ad materiam ſubſtratam pertinent, nec facile ad omnia evagetur. Quid autem ſibi velint illa *ſymbola ex natura* petita, latiſſimè patentia, vel ex *lexicis emblematum*, *hieroglyphicis* HORI à *Phaſiano* translatis, *indice verborum typicorum* apud *Henr.* MORUM, in libro de *myſterio iniquitatis* extante, *Nicol.* GURTLERI *vocibus Typico-Propheticis* peti poſſunt; vel ex illis auctoribus, qui res, & emblemata naturæ ſpeciatim expoſuêre. Ita, ſi figura petita ſit *ab animalibus*, conferri poterunt *Sam.* BOCHARTI *Hierozoicon*, *Wolfg.* FRANZII, & MAJI, *Gieſenſis*, *Hiſtoria Animalium*, MULLERUS in Θηριωλογίᾳ *Biblica*, *Herm. Henr.* FREY in Θηριω-ὀρνιθω-Ἰχθυω-*Bibliis*: Si ab *arboribus*, *herbis* & *plantis* deſumta, videri

videri poterit *Joh. Henr.* URSINUS in *arboreto biblico*, cui jungitur *Phytologia ſacra*, *herbarius ſacer*, & *hortus aromaticus*, *Thomas* BROWN in *obſervationibus de plantis*, *in S. Scriptura memoratis*, *Adr.* COQUIUS *in hiſtoria ſacra plantarum*, *arborum & herbarum S. Scripturæ*. Si de *rebus metallicis*: *Joh.* MATHESIUS; de *morbis*: BARTHOLINUS & *Val. Henr.* VOGLERUS *de rebus naturalibus & medicis*, *quarum in S. Scriptura fit mentio*. Si ex *veſtitu* & *gemmis* ſint petita, hæc, & in ſigno, & in ſignato, omnium inſtar explicabunt *Joh.* BRAUNIUS de *veſtitu ſacerdotum Hebr.* & *Matth.* HILLERUS *de XII. gemmis in pectorali Pontificis M.* In communi, ad naturalia in ſacris relata, cum fructu conferentur *Franc.* VALESIUS in *philoſophia ſacra*, SCHEUCHZER in *phyſica Jobi*, *Bernh.* NIEUWENTYT in *contemplationibus mundi*.

§. LXXXVII.

β) in proverbiis

β) Sunt & *integra proverbia*, & *ſententiæ proverbiales*, quæ, & gravitate & acumine, rem ita illuſtrant, ut hinc משלים, Κυρίαι δόξαι, dictæ fuêre. Illæ *partim* ex *alluſionibus ad hiſtoriam*, ut *Amos.* VI, 6. quæ dicta ſunt de fractura Joſephi ex *Geneſ.* XXXVII, 24. *partim* ex ipſa *rei natura*, & analogia explicari debent, ut *Actor.* IX, 5. *contra ſtimulum calcitrare*, à bobus non ſtimulum, ſed ſe lædentibus petitum; partim ex *fontibus ſuis* derivari debent. Hujus generis eſt, quod *Chriſtus Luc* XI, 46. notanter νομικοῖς, *Karræis*, dixit: φορτίζετε φορτία δυσβάστακτα &c. perpetuò enim *intendebat Beth Schammai*, & *remittebat Beth Hillel*. vid. *Triglandius in diatriba* de *ſecta Karræorum* pag. 97. 98. Multa ex proverbiis hiſce petuntur *ex ſcriptis Judæorum*, plura ex *profanis*, ut dictum illud profanorum: *Edamus*, *bibamus*, *cras moriemur* 1. *Corinth.* XV, 32. quod ex cultu publico Ægyptiorum petitum. vid. *Plutarchus* de *Iſide* & *Oſiride*. hinc ſæpius occurrit in ſcriptis Græcorum. Interim de iſtiuſmodi paroemiis videri poſſunt, BUXTORFFIUS in *Lexico Talmudico*, DRUSIUS de *Proverbiis Hebræorum*, *B. Arias Montanus* de *Sermone arcano*, *Martin.* DELRIO in *Adagialibus Sacris*. *Joach.* ZEHNER in *Centuriis quinque Adagiorum Sacr.* *Joh.* VORSTIUS & *Andr.*

Digitized by Google

SCHOTTUS de *Adagiis* N. T. quibus, cum fructu, jungentur *Adagia* ERASMI Roterodam.

§. LXXXVIII.

γ) in parabolis

γ) Ad *integras* etiam *orationes* iſtiusmodi *ſimilitudines* pertinent, quæ *parabolarum* nomine veniunt, res, ut geſtas, appoſitè narrant, & ad ſpiritualia accomodant, quarum cumprimis in N T. frequens numerus eſt, quod placuerit *æternæ ſapientiæ*, *inde* quidem ſua *myſteria*, per iſtiusmodi parabolas *tegere*, *hinc* vero ſuis etiam *veritates* illas, hoc modo, *illuſtrare*. An omnes autem & ſingulæ parabolæ *fata* N. T. referant, & in illorum gratiam à *Chriſto* dicta ſint, hodienum diſputatur. Vid. *Henr.* SCHARBAU in *Parergis Philologico- Theologicis* Part. II. pag 29. *De exceſſu interpretationis Propheticæ*, in *explicandis parabolis Evangelicis.* Id ſaltem negari nequit, quod, ſicuti nævos Phariſæorum, doctorum Judaicorum, & populi ſub illis tetigit *Chriſtus*, id quod *tum* ex antecedentibus, ut *Luc.* X. *tum* ex ſubjecta apodoſi, ut *Matth.* XVIII, patet; ita non minus ad ſequentia etiam tempora, illa, & apprimè equidem, referri posſint, quod *Joh.* MELCHIORIS in *operibus ſuis*, *Henr.* GRONEWEGEN, *Joh.* D'OUTREIN, & *Campeg.* VITRINGA in *explicatione parabolarum* oſtenderunt. Interim certum eſt, haud paucas, ex illis, tantum non totidem verbis in *Talmude* extare. Sic in *Gemara Babyl.* BERACHOTH parabola de *epulone* & *paupere Luc* XVI, de *operariis in vinea Matth.* XX. ibid. De *quinque virginibus prudentibus* in *Gemara* SCHABBATH, & *ibidem* illa *de judice iniquo* extat. Videatur SCHERINGHAM in *Joma.* Quibus tamen reponi poſſet, hæc potiùs *Judæos* à *Chriſto*, quam *Chriſtum* à *Judæis* didiciſſe.

§. LXXXIX.

Regul. XIV **) ob alluſiones

Regula XIV. *Obſcuritati, ex alluſionibus ortæ, ut occurratur, opus eſt, ut mutua, tum verborum, tum rerum, convenientia, ex parallelis S. Scripturæ locis, dignoſcatur*, quæ tanto facilior eſt, quò certius eſt, perpetuum quendam S. Scripturæ conſenſum eſſe, & Deum, licet πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως tamen idem ſemper,

per, in verbo ſuo, docuiſſe; eſtque ad hoc tantò magis reſpiciendum, ut os obturetur illis, qui volunt dogmata noſtra, verbis, non ex idiomate S. Scripturæ explicatis, adſtrui. In hunc autem finem, conferenda ſunt loca, ubi, ſive eadem vox, aut phraſis, ſive phraſis ſynonimica, ſive idem verborum ordo & nexus, ſive idem argumentandi modus, ſive phraſis etiam contraria, & priori, è diametro, oppoſita deprehenditur; tum & in ipſam rerum convenientiam inquirendum eſt, ubi ad easdem hiſtorias, ad eadem dogmata & præcepta, prædictiones, ſive adæquatè, ſive inadæquatè, reſpicitur.

illuſtranda ex locis parallelis.

§. XC.

Exemplum Hebr. I, 3.

Ubi hæc omnia conveniunt, dubium nullum eſt, quin ſenſus, per ea, clariſſimè reddatur, qui tamen etiam admitti debet, ubi ſaltem quædam, ex illis, occurrunt. *Exemplo* ſit difficilis locus *Hebr* Cap. I, 3. *Quæritur quid per* ὑπόςασιν, *cujus character Chriſtus eſt, intelligatur?* Jam ſi conferamus vocem ipſam, ex collatis locis omnibus apparebit, illam ad *firmitatem* ducere, idque *quod*, vel *quo quis ſubſiſtit*, hoc ὑφίςημι dicit, FIRMITATEM, in certamine, *exercere*, *ſuſtinere proelium:* Ex collatione locorum N. T. patet, illam conſiderari jam IN PROMITTENTE 2. *Corinth.* IX, 4. XI, 17. *ne erubeſcere cogerentur* ἐν τῇ ὑποςάσει τῆς καυχήσεως *in gloriationis ſuæ*. de promiſſis, *firmitate*; jam *in* ACCEPTANTE *promiſſionem Hebr.* XI, 1. ubi ſermo eſt de fide, quæ, repræſentatione bonorum promiſſorum, ex rebus ſperatis, tam firma eſt, ut ſubſiſtat. Si progrediamur ad V. T. cernimus identidem & תקוה *Ruth.* I, 12. & תוחלתי *Pſal.* XXXIX, 8. *ſpem* itaque & *exſpectationem* ſub illo nomine venire. ejus autem contrarium eſſe ὑποςολὴν. τὸ ὑποςέλλεσθαι *Hebr.* X, 38. 39. convenire etiam illam phraſin cum ἐλέγχῳ ὀ βλεπομένων, ſicut etiam, in *ſcriptis profanis*, τὸ καθ' ὑπόςασιν, τοῖς καθ' ἔμφασιν, illa quæ *habent firmitatem*, iis quæ ſolam *apparentiam* habent opponuntur. Unde nihil proniùs eſt, quam conjicere, quod ſub ὑποςάσεως nomine *Pater*, ut *firmiſſimè promittens* bona Evangelica ſiſtatur, *cujus* expreſſus *character Chriſtus* eſt, in quo omnes Patris promiſſiones ſunt ναὶ καὶ ἀμὴν 2. *Corinth.* I, 20. Hoc itaque

Digitized by Google

que ſenſu vocem illam ſumendam eſſe, etiam contra *Socinianos*, ſolide oſtendit GUSSETIUS in *Diſſert. ad Hebr.* annexis operi ejus חזוק אמונה pag. 477.

§. XCI.

Parallelismi leges.

Cumprimis autem, in hoc *parallelismo*, ita procedendum eſt, *ut* 1) V. T. *in communi*, *circa iſtiusmodi voces*, *cum* N. T. *conferatur.* Quæ enim *in illo* involuta erant, *in hoc* aperta leguntur, quæ *in hoc* dicuntur, non modo quoad rem, ſed etiam quoad verba, *ex illo* frequentiſſimè petuntur. Videatur *Rhenferdius* de *Stylo Apocalyptico* & conferantur *Cantica Hannæ.* 1. *Samuel.* II. & *Mariæ Luc.* I. Obſervetur, in ſpecie *Paulum*, in demonſtrationibus ſuis contra Judæos, ſtrictiſſimè ipſi phraſi Scripturæ S. inhærere, cumprimis ubi provocat ad hiſtorias V. T. e. g. *Hebr.* XI, 7 dicitur, *Noachum*, ſecundum & per fidem, factum fuiſſe κληρονόμον τῆς δικαιοσύνης, alluſione facta ad phraſin *Geneſ.* VII, 1. occurrentem, ubi, cum oraculo de delenda omni carne, de extruenda arca, de ſalvando ſemet ipſum in arca, tanquam typo acceptationis fidelium in *Chriſto*, fidem habuiſſet, *Te unum*, dixit *Deus*, *juſtum vidi in hac gente*, ſub quo etiam *viſionis* nomine *demonſtratio*, *declaratio* ejus juſtitiæ continetur. Tali, & tam accuratâ diligentiâ etiam, in reliquis exemplis, dictis S. Scripturæ inſiſtit *Paulus.* 2) *Ut* porrò *in Propheticis ſcriptis*, *attendatur ad ſimiles phraſes in libris Moſaicis*; pleraque enim, vel *judicia*, vel *beneficia*, ut deſcribuntur in *Prophetis*, ex *Moſe* ſunt deſumta, patebitque, e. g. in *Hoſea*, tantum non per omnia ipſum pœnas Judæis infidelibus, verbis ex *Levit* XXVI. aut *Deut.* XXVIII. petitis, prædixiſſe. Ita & 3) auctoribus quibuslibet Scripturæ S. ſuum proprium idioma eſt, unde *parallelismus in ſpecie ad unius*, & *ejusdem ſcriptoris phraſes eſt referendus* Sic SPANHEMIUS, in *disquiſitione auctoris Epiſtolæ ad Hebræos* ex variis phraſibus ſoli *Paulo* propriis, evicit, *Paulum*, Epiſtolæ illius, *auctorem* eſſe. Non ſine fructu etiam 4) obſervabitur ex tali parallelismo, *myſterium crucis Chriſti* transferri ad ſuos fideles, de quibus, & ratione afflictionum, & ratione proemii, iisdem *Prophetæ*, & *Apoſtoli* utuntur phraſibus.

§. XCII.

§. XCII.

Regula XV. quoad vocum emphaſin.

Regula XV. ג) *Cum ſapientia autem ipſa, in Scriptura S., fuerit locuta, non modo fruſtrà nihil in ea dictum, adjectum, ſingulari forma propoſitum fuit; ſed latet, in his omnibus, emphaſis quædam ſingularis, quæ ſenſum loci mirè illuſtrat, eſtque etiam ſingulare ſtudium, in eruenda hac* EMPHASI, *ponendum.* Latet illa quandoque *in ipſa,* qua utitur Scriptor ſacer, VOCE, *quæ eandem rem, quam* & aliæ indicant, ſed *cum ſpeciali quadam differentia ſignificat.* Sic obſervatum fuit, in *Proverbiis Salomonis*, varia *ſtultorum nomina*, quibus impii nominantur, occurrere, quorum quodlibet ſuam ſingularem emphaſin habet, etiam cum propoſitione integra convenientem. Sic פתים dicuntur *ſimplices* ab aliis *decepti*, qui vero jam *pertinaces* ſunt אוילים vocantur; qui *vanâ fiduciâ*, & *temeraria præſumtione* laborant, כסלים qui ad *ſummum impietatis faſtigium* progreſſi ſunt, & *pro ſcommate pietatem* habent לצים audiunt; cum quibus conferantur verba *Pſal.* I, 1. Operæ pretium eſt, ad hæc, cum *Lexicis Hebraicis*, inprimis *Commentario* GUSSETII, conferre *Auſonii* POPMÆ librum *de differentiis verborum:* Sæpe etiam in *unica* LITERA, per *epentheſin* adjuncta, latet *emphaſis*, ad declarandum *vehementem* loquentis *affectum.* Ita *Hoſ.* IV, 6. in voce ואמאסאך, ad duo priora א, ultimæ literæ præmiſſum א, ſonum intendit, & fervorem DEI indicat. Imo vel *minima* PARTICULA non ſine emphaſi eſt. Sic exiſtimat *Lambertus* BOS, in *Obſerv. Miſcell. ad loca quædam* N. T., particulam τε 1. *Corinth.* I, 30. δικαιοσύνη τε eſſe exegeticam, ut poſteriora duo nomina per illam δικαιοσύνην explicentur, quo ſenſu evidenter venit *Rom.* I, 20. Sic &, *in* VERBIS, quandoque Scriptor ſacer utitur *inchoativis*, pro *complemento* operis, ut *Actor.* I, 1. quò, omnia fuiſſe in nexu, convenire anteriori intentioni, reſpondere progreſſum initio, doceat. *confer* omninò 1. *Samuel.* III, 12. Ita &, in *verbis activis*, ſub ipſo verbo, jam *qualitas verbi*, jam *conſuetudo* operis, jam debitum *officium*, mox ſub *antecedenti conſequens*, ſub *conſequenti antecedens* intelligitur. *Confer Jeſai.* XXVIII, 16. cum *Rom.* X, 11. & *Vitringam* ad locum citatum *Jeſaiæ.* Sic & emphaſis latet, in PARTICULIS & PROPOSITIONIBUS *ad verba additis*, ut

ut τὸ ἀποθνήσκω plus dicit, quam ſimplex θνήσκω. Addatur vox ἀπολύτρωσις, quæ *plenam redemtionem* notat. Porro emphaſis reperitur in *deſcriptione perſonarum*, *in* GENERE tum *neutro*, quod modo *gravitatem rei* deſignat *Matth.* I, 20. *Luc.* I, 35. modo *univerſalitatem*: *Venit filius hominis ad ſervandum* τὸ ἀπολωλὸς *Matth.* XVIII, 11; ſicuti, è contrario, in *genere fæminino* ad *mollitiem* quandoque, & id *quod effæminatum* eſt, reſpicitur, quomodo *vitularum*, *vaccarum Baſanis Amos.* IV, 1. mentio fit, in deſignandis principibus Iſraëlis; conf. *Jeſai.* XXXII, 9. 10; quandoque etiam quodnam ſit, in facinore, pudendum, illud hoc genere denotatur, ſic *Rom.* XI, 4. ſermo eſt de τῇ βάαλ. Videantur de hoc genere fœminino FULLERUS *in Miſcellaneis* Lib. II. c. 7. SELDENUS *de diis Syris*, *Syntagm.* II c. 2. Ita nec ARTICULUS ſemper emphaſi caret. Vitio enim licet vertatur *Eraſmo* atque *Bezæ*, quod ubique, in articulo, emphaſin quærant, certum tamen eſt, eum haud raro ſpeciale quid innuere, ita quando *Matth.* I, 25. *Luc.* II, 7. dicitur, quod Maria pepererit τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον, omnino probabile, quod, per articulum poſteriorem, ejus primogenitura in latiori ſenſu ſumatur, quam ut omnem ad Mariam reſpectum habeat; ſive ille, eâ phraſi, deſignetur, qui primogenitus DEI eſt ſimul, ſive ad ipſius regnum, & jus ad regnum, eo ſenſu, quo *Coloſſ.* I, 15. πρωτότοκος πάσης κτίσεως vocatur. Hac emphaſi articulus occurrit *Actor.* XVIII, 5. διαμαρτυρόμενος τοῖς Ἰουδαίοις τὸν χριστὸν Ἰησοῦν, id eſt, *Jeſum eſſe Chriſtum.* Sæpius etiam *in* NUMERO quærenda eſt emphaſis. Ita in *ſingulari* ponitur, quod *numero multitudinis* deinde deſcribitur, in teſtimonium nexûs, qui inter deſcripta eſt. Ita *Galat.* V, 22., quidquid de charitate, gaudio, pace, manſuetudine, lenitate & beneficentia erga proximum, de fide cum manſuetudine erga DEUM, de continentia mentis & corporis, erga ſemet ipſum, dicuntur, καρπὸς τοῦ πνεύματος vocantur unus *Spiritus* S. *fructus*. quia, in omnibus regenitis, hæc omnia ſimul producuntur à Spiritu, non uno caret, qui Spiritûs particeps eſt. Sicuti è contrario ℣. 19. de *peccatis*, *numero multitudinis*, agitur: *Manifeſta ſunt* τὰ ἔργα τῆς σαρκός; ſcilicet, quia diverſa ſunt, & non in omnibus ille nexus eſt, unum enim,

ſine,

Digitized by Google

ſine altero, in homine carnali eſſe poteſt. E contrario etiam *pluralis* ſuam quandoque emphaſin habet, ad indicandam vel *gravitatem rei*, vel *dignitatem*, aut veram, aut apparentem. Sic *vitulos*, *Amoſus Propheta*, ſumit pro illuſtri *vitulo* in *Bethel*; *Pſal.* XXII, 4. *Laudes* innuunt continuam, & ſingularem laudem, quæ DEO datur. Ita *Jeſai.* LIII, 9. ſermo eſt de *mortibus*. In NOMINE, quandoque cum emphaſi *concretum* ponitur pro *abſtracto*, ut *Daniel.* IX, 24: *ad obſignandum viſionem* ונביא *& Prophetam*, id eſt, *Prophetiam*, fortè, quod munus illud ceſſare debuerit: *Lex & Prophetæ usque ad Johannem*, non autem *actio* illa, cum & in N. T. etiamnum *Prophetia* locum habere debuerit. *Rom.* XII, 6. Et ſic, è contrario, *abſtractum* occurrit pro *concreto*, ut *Hoſ.* XIV, 5. *Sanabo* משובתם, non converſionem ſed, *averſionem eorum* (eſt enim elegans *Aben Eſræ* obſervatio, quod תשובה *converſionem*, משובה *averſionem* notet) ad indicandam *multitudinem averſorum*, in poſtremis temporibus, ſanandam, prorſus ut, ex eadem ratione, *Joel* III, 5. (II, 32.) ſub nomine פליטה *tota evadentium multitudo* ſignificatur. Sic non minor emphaticarum ſignificationum copia *in verbis*, CONJUGATIONIBUS *Pihel*, *Puhal*, *Hithpahel* reperitur, quorum *illud* actum & exercitium auget, *iſtud* recipit & patitur, *hoc* frequentiam deſignat. Videatur LOESCHERUS de *cauſis linguæ Hebr.*: In TEMPORUM *commutationibus*; ut ſive *præſens* pro *præterito*, quod illud etiamnum animo obverſetur, ſive *præteritum* pro *præſenti* ſumatur, veluti *Job.* I, 26. *Medius inter vos*, non *ſtat* ſed, *ſtetit* ſcilicet & olim *Job.* I, 5., & aliquamdiu; ſive *præteritum* ponatur loco *futuri*, ut *Jeſai.* IX, 6. *Puer natus eſt nobis*, nempe certitudinis ergo: ſive in SIGNIFICATIONE *verborum*, ubi ſub uno, quod ponitur, vel antecedens, vel conſequens ſimul conjungitur, ut *Amos.* IV, 1.: *conteritis pauperes*, id eſt, contritione & oppreſſione veſtra facitis pauperes. *Hos.* II, 3: *ne exuam eam nudam*, id eſt, & relinquam eam nudam confer. *Numer.* XXIII, 8. *Pſal.* XXXI, 17. & quæ, ejus generis, alia numero plurima exhibentur in *Salom.* GLASSII *Philologia Sacra*. Sic & *in* FIGURIS, *Aphæreſi*, *Pleonaſmo*, *Ellipſi*, ſimilibusque emphaſes quamplurimæ occurrunt, quas idem *Glaſſius* prolixiùs

Digitized by Google

ob oculos ponit. Addimus; vel in ipſa Literarum Figura, ם clauſo, ſimilibusque (ut nihil hîc de *methodo Neumanniana* dicamus). Porro emphaſes latent quandoque etiam *in* numero, per literas, designato, quod *Chriſtianus* Ravius in *Arcanis Biblicis*, Francofurthi ad Viadram editis, non ſine ingenio, oſtendit. Ita *Hagg.* II, 6. notat, in verbis illis עוד אחת *adhuc ſemel* latere annum 489*num*, qui annus fuerit nativitatis Chriſti, huic vaticinii tempori exactè reſpondens. Hujus fortè generis eſt illud *Hoſ.* I, 4. *Voca nomen ejus* יזרעאל, ubi inſerta litera ע, ad *annos* LXX. *Captivitatis Babylonicæ*, tantò probabiliùs ſpectare poſſet, quod prima œconomia, de qua, ſub illo nomine agitur, in hac captivitate terminum ſuum obtinuerit; ſit tamen hoc in medio. Certiùs, quod *in* ipſo etiam ordine *vocum* quandoque emphaſis ſit. Sic quod *Luc.* II, 14., in verbis: ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, membrum hoc, tanquam ſubjectum orationis, non modo prioribus duobus membris fuerit poſtpoſitum, ſed &, quod *hominum* ante *beneplacitum* mentio fiat, id emphaſi eſt tribuendum, ſcilicet mirantur Angeli, & DEUM laudant, quod etiam in hominibus miſeris & peccatoribus, in mundo, qui huc usque in malo jacuit, beneplacitum habere voluerit. Imo, ne Silentium quidem, ſine emphaſi eſt, quod *hiſtoria Melchiſedeci* evincit; vel ad Sonum usque, qui *affectum* teſtatur, illa extendenda eſt, nonnunquam etiam in *emollitis locutionibus* ſive *charientiſmo* quodam ſe manifeſtans, quorſum *Votum* illud *Pauli Rom.* IX, 3. referri poſſet, ut, per iſtiusmodi emollitam locutionem, & μετασχηματισμόν, in ſe transferat, quod, non ſine luctu, dicere volebat de Judæis. Hæc exemplo ſint ſaltem, qua ſolicitudine, vocum textûs, emphaſes erui debeant. Neque tamen nimis illæ urgendæ ſunt, non ubique quærendæ, minùs ad errores transferendæ. Sic fruſtrà, in voce κεχαριτωμένη *Luc.* I, 28., *Maria* quæritur *gratiâ*, etiam *ad alios diffundendâ*, *plena*, cum potiùs, ex *paſſivo*, quam DEUS, erga ipſam, gratiam exercuerit, nos doceat, conveniatque cum *encomio Danielis*, *Daniel.* IX, 23. Ita quando dicit, *Luc* I, 34: *Virum non cognoſco*, in locutione hac indeterminata non eò usque progrediendum, ut Votum quæras *perpetuæ virginitatis*; nihil aliud ea innu-

Digitized by Google

innuit, quam quod *hûc usque*, & *de præſenti intemerata vir-go* ſit.

SECTIO IX.

De Explicatione Reali.

§. XCIII.

Non ſufficit autem voces noſſe, non juvat diu literæ inhærere. Ambiguitas & obſcuritas paucis tolli debent; in emphaſi etiam indicanda, prima brevitati eſt gratia; *Rebus* mens, & *veritatibus* ipſis nutriri debet, eſtque omnino neceſſarius labor, cum vocibus notis certæ ſint ideæ alligatæ, ideæ autem rerum non omnibus eædem, craſſiſſimi multorum, de rebus, ſint conceptus, hinc *veritates ſacræ accuratè* ſunt *explicandæ*, ut pateat natura rei de qua agitur, *luculenter illuſtrandæ*, & *ſolidè confirmandæ*. Explicatio Realis inſtitui poteſt.

§. XCIV.

Poteſt autem iſtiusmodi *explicatio* inſtitui א) vel *thematis ſimplicis*, ad quod textus ſaltem occaſionem præbet, in qua *textus materiæ* accomodatur, de qua liberiùs diſſerit paſtor, ב) vel per modum *thematis complexi*, & ita ut ſtrictiùs textui inhæreat, & non textum materiæ, ſed *materiam textui* accomodet. Pro varietate thematum.

§. XCV.

א) *Themata ſimplicia* tractandi pro concione, citra ſpecialem, verborum textûs, explicationem, penes *Gallos* & *Anglos*, maximè recentiores, in uſu eſt; videantur *conciones* TILLOTSONII, SAURINI &c.; habentque etiam ſuum uſum, *tum* quod naturam virtutis, uno quaſi obtutu, menti ſiſtant, *tum* quod, hac ratione, memoriæ auditoris meliùs conſulatur, ſi thema quoddam generale, in aliquot ſpeciales conſiderationes diſtinguatur Habet autem illa methodus hoc incommodi, quod ſenſim homines à Scriptura S. avocet ad rationem, cum tamen א) Circa themata ſimplicia.

ex fide virtus ſit, & quod à verbis Scripturæ S. recedat, quorum tamen vis altiùs in mentem penetrat, quam ratiocinia hominum; Atque ita etiam ad Scripturam S. cogitationes fidelium, inde ab introductis concionibus, revocari ſolebant, ſicuti *Eſra* intellectum legi dedit per Scripturam. Interim & noſtris nec improbatum, nec inuſitatum eſt, tractare quandoque *themata ſimplicia*, maxime in *concionibus catecheticis*, quomodo *van* Til, in *homiliis catecheticis* ferè nusquam ad verba catecheſis reſpicit, ſed tantum argumentum in *quæſtione* & *reſponſione* contentum tractat.

§. XCVI.

Quomodo ea tractanda. Si *argumentum* itaque tale ſit proponendum *per modum thematis ſimplicis*, e. g. in materia *de S. S. Trinitate*, de *ſatisfactione Chriſti*, de *reſurrectione mortuorum* &c. inconveniens oppidò eſſet, uti velle *locis*, quos vocant *inventionis*, *grammaticis*, *logicis*, *metaphyſicis*, quæ nullum ſolidum ſpecialem, ſed tantum generalem conceptum præbent, &, ut eleganter *Quintilianus* loquitur, *quæſitorem oſtiatim, argumentorum impetrandorum gratia, pulſantem ſæpiùs vacuum dimittunt*. Præſtat tum *methodus hiſtorica*, qua *res*, vel thema, eo ordine, quo eſt & facta eſt, in *ortu*, *progreſſu*, *effectu* conſideratur; qua enim ratione res exiſtunt, eodem etiam ordine eas optimè cognoſci certum eſt; unde, in tali tractatione, à ſimplicioribus ad compoſita, à cauſis ad effecta, &, in hunc finem, ab eſſentia rei ad ejus exiſtentiam, ſive à natura illius abſoluta, relativa, ad veritatem probandam procedendum eſt.

§. XCVII.

ב) Circa themata complexa. ב) *Ubi tamen*, quod in plerisque concionibus noſtris fieri ſolet, ſtrictiùs *textui inhæremus*, prima cura erit, ut *propoſitiones*, ſi plures ſint, *à ſe invicem ſeparentur*, & *unaquaque ſeparatim conſideretur*, & poſtea, *quam illæ inter ſe relationem, & nexum habeant*, addatur. Cum autem, in qualibet propoſitione complexa, *ſubjectum*, *prædicatum* & *copula*, vel expreſsè extet, vel

vel ſubintellectè lateat, neceſſe eſt, ut de qualibet parte ſpecialius agatur.

§. XCVIII.

I. Prima circa Subjectum cura eſt, ut illud a) *eruatur*, b) *explicetur*, c) *illuſtretur*. In quibus, Subjectum eſt.

a) De *inveniendo ſubjecto*, ante omnia, ſollicitus ſit paſtor neceſſe eſt. Ut enim, qui *in foro* circa *genus actionis* errant, omnia periculo ſubjiciunt; ita qui, in *locis Scripturæ* S. circa *ſubjectum* ceſpitant, à ſcopo ejusdem, toto coelo, aberrant. Cumprimis autem in id juxta incumbendum in *textibus Propheticis*; in quem finem notandum, *ut non, niſi circumſtantiis omnibus ritè perpenſis, de ſubjecto pronuntietur*, quod enim una fortè, vel altera circumſtantia etiam, cum ſubjecto tertio conveniat, vel ſimilis quædam phraſis, de illo, alibi occurrat, nondum ſufficit ad figendum textûs noſtri ſubjectum. Hoc modo tam graviter *Judæi*, & *Hugo Grotius*, circa ſubjectum *Capitis* LIII. *Jeſaiæ*, errarunt, contra quos videri poſſunt *Samuel Andreæ* in *Diſſertatione de illo*, & *Alexander Morus* in *illius expoſitione*. Sed etiam, è contrario, in deſignando ſubjecto, *non* facile *diſcedendum* eſt *ab hiſtoria præſente*. ſi cum vaticinio conferri queat. Unde cavendum, ne pro *ſimplici Prophetia* habeatur id, in quo *typo* locus eſt. Fuiſſe *Davidem Prophetam*, ut *Petrus* loquitur, & eſſe *Pſalmos purè Propheticos*, à quibus & Spiritus S., & circumſtantiæ Pſalmorum, *Davidem* excludunt, quales ſunt *Pſal.* II. XVI. XXII. LXVIII. CX., in dubium vocari nequit. Quisquis vero *omnes*, & ſingulos *Pſalmos*, vel *ad Chriſtum*, vel ad *Eccleſiam* N. T., referre vellet, ut *van Til*, &, tantum non ubique, *Coccejus*, illi, dum fidem noſtram confirmant, praxi pietatis, & ſolamini afflictorum, ſubminiſtrata media eripiunt. Si enim *hiſtoria Davidis*, cum Pſalmis, in certis circumſtantiis ſcriptis, conferatur, panduntur in eis, exemplo ejus, *inde* interiora animi, *hinc* ſingulariſſimæ viæ Dei, ut erga *Davidem*, ita erga omnes, qui ipſum timent. Ita vero porro *non facile reſtringendum eſt ſubjectum ad unum ſpeciale*, quod in genere dictum eſt, ut, non minus, ſpecialius etiam ſit conſiderandum, quod uni videtur a) Inveniendum,

aptatum. Ita, ſicuti enormiter errant, qui, in *præcepto quinto*, ſub *patris* & *matris* nomine, aut unicè, aut primariò, *Abrahamum* & *Saram* deſignant, ſub hoc obtentu, quod lex Iſraëlitis propriè data ſit, cum tamen *Paulus* ipſe hoc præceptum latiùs exponat, & nequidem ad ſolos parentes, ſed, vi nexûs, etiam ad magiſtratum referat *Epheſ.* V; ſic, ex oppoſito, non minùs errare videntur, qui ad *Magiſtratum Judaicum* referunt verba *Pſal.* XXVII, 10. *Pater & Mater me deſerunt*, cum illud utique ad ſuos parentes retulerit *David*, &, ſi conferantur reliquæ circumſtantiæ, nos docuerit, quam juſtum ſit & neceſſarium, ſub defectu potentiæ, ſapientiæ & bonitatis parentum humanorum, ſe DEO committere, qui vel abdicatos filios, cum tenerrimo amore, recipiat; unde tamen, à parentibus ſcilicet *Davidis*, velut ex typo, ad fideles N. T. & ad Magiſtratus Judaicos tranſitus fieri poteſt.

§. XCIX.

b) Explicandum.

Ubi ſemel *inventum* fuerit *ſubjectum*, & indicatum, *illius* etiam b) *natura explicanda eſt*; ad hæc ſequentes *regulas* referre juvat. 1) *Quæ per ſe innoteſcunt, explicatione non indigent.* In iſtiusmodi ſubjecti, quod omnibus notum eſt, definitione ſemper hærere, & faſtidioſum eſt, & perquam jejunum, dicique poteſt, quod jejuna hæc agendi ratio in explicatione, cum incondita locorum parallelorum accumulatione, anſam dederit transeundi ad liberiores, thematis ſimplicis, tractationes; ſaltem id, ad ſubjectum, tum monendum eſt, quod hîc facit ad rem, & prædicati explicatio neceſſario requirit. 2) *Si ſubjecto alicui univerſaliter falſi adſtringantur conceptus, aut ſi, in textu, vox à communi ſignificatione recedit, qua fieri poteſt brevitate pariter, & ſoliditate, tum falſi illi conceptus removendi, tum communis hæc ejusdem ſignificatio indicanda eſt.* Non defuêre equidem quondam, qui, ferè in omnibus concionibus, per *viam remotionis* progrediebantur, & ſub tali nomine *non hoc*, *non illud* intelligendum eſſe dixerunt, & probaverunt. Sed hoc revera nihil aliud eſt, quam tempus fallere & homines. Intentio noſtra eſt ſanos, claroſque menti, de rebus, inſtillare conceptus, adeoque in ipſius

Digitized by Google

ipſius rei natura hærendum eſt. Interim, ſi periculum quandoque ſit, quod, ſub falſo virtutis ſchemate, peccator ſemet ipſum decipiat, illud utique etiam aliquando removendum eſt. Ita ſi de *pœnitentia* eſſet agendum, & τὸ μετανοεῖτε *Chriſti Marc.* I, 15. explicandum, falſi, quos de reſipiſcentia Evangelica ſibi formant, conceptus, ſemel fortè iterumque tanto juſtius removeri poſſunt, quod ipſum μετανοεῖν ſupponat, aliam ipſis, ut de actionibus, ita de officiis, antea νοῦν, aliud φρόνημα fuiſſe. Sic, reſpectu poſterioris membri, hujus regulæ ſecundæ, ſi explicanda eſſent verba *Rom.* XIV, 23. *Quicquid non ex fide, peccatum eſt*; hîc, quia fidei nomen communiter, pro fiduciali apprehenſione meriti Chriſti, ſumitur, neceſſe eſt, ut oſtendatur, non eo ſenſu hoc vocabulum hîc ſumi, utpote quod ſcrupulis judicii humani, de eo quod licitum, vel illicitum eſt, opponitur, unde potius ex ℣. 2. 14. 22. 23. exponendum eſt.

§. C.

Non ſufficit autem, avertiſſe mentem auditorum à falſa, rerum, virtutum, vitiorum, notione, & ſimul ab illis præjudiciis atque erroribus, per quos vetus homo, in ſuis concupiſcentiis, corrumpitur, in id juxta elaborandum etiam, c) ut *mens* illius, etiamnum dum in ſubjecti conſideratione hæret, *in veram pariter & ſufficientem notitiam rei*, unaque in mentem, habitum & affectum dicentis *penetret*, *ita ut nihil viſui* extrinſecùs, quo rei ſubſtantia veletur, *nulla confuſio*, aut ambiguitas *intellectui*, *nulla perplexitas judicio*, *nulla aſperitas fidei* aut *meditationi obſiſtat*. Hinc itaque, 1) ſi *ſubjectum totum aliquod contineat*, referendæ ſunt *omnes* ejus *partes*, illæ cummaximè quæ *potiores* ſunt, & ad rem faciunt. Hoc δύναμις φωνῆς poſtulat, ita poſtea etiam, in prædicato, pari latitudine agi poterit. Ita qui docet, quomodo *fides* in cognitione, & aſſenſu veritatis, in deſiderio ſalutis & ſalvatoris, poſt etiam in fiducia ſecuritatis conſiſtit, facile pariter & plenè, quid ſit *in fide mori*, indicare poterit. Qui novit, ad explicationem *Pſal.* CXIX, 75. quot & qualia ſint *judicia Dei*, quæ *oris*, quæ *operis* in his, quæ *publica*, quæ *privata*, quæ *pœnæ* malorum, quæ *caſtigationes* piorum, quis

c) Illuſtrandum.

1) Regula.

Digitized by Google

quis *harum finis*, ille latiſſimè poſtea *horum* etiam, & maximè poſtremorum, in quibus ei cumprimis hærendum eſt, *rectitudo* quid ſit docere poterit. Ita porro, qui ſi *peccatum*, ut *Job.* XXVIII, 28. ſub *mali* nomine generali veniat, quæ mala turpia, triſtia illud contineat, & quomodo *illa* perfectioni, *hæc* naturæ hominis ſint noxia, quantum Deo diſpliceant, proximo ſcandalo ſint, à propria conſcientia improbentur, accuſentur, condemnentur, in promtu habet, ille quàm neceſſe ſit, ut ab iſtiusmodi hoſte *recedatur*, ſaltem in applicatione, tantò melius indicabit.

§. CI.

2) Regula.

2) Si *non unum* ſit propoſitionis *ſubjectum*, ſed, in *duabus propoſitionibus*, ferè *idem*, ſeu *connexum*, *verbis* tantùm paulò *diverſis referatur* (ut ſolet etiam hac ratione Scriptura S., maximè in Poëticis & Propheticis libris, ſui interpres eſſe) conſiderandæ ſunt *ſingulæ*, hujus ſubjecti, *voces*, tum in ſemet ipſis, tum ut ſe habent erga ſe invicem, qua ratione diſtinctæ, qua nexæ, qua, hoc maximè ſitu, ordinatæ ſint. Ita *Job.* XXVIII, 28. *Timor Dei*, *&* *receſſio à malo*, idem prorſus ſubjectum ſunt, ſed ita connexum, ut veram pietatem, in compendio, ſimul ſiſtant. *Illud* reverentiam erga Dei Majeſtatem, ſolicitudinem internam conciliandi gratiam Dei, & conſervandi conciliatam, cum metu judicii, tanquam fontem indicat, ex quo *hoc* mali odium, & ſtudioſa vitatio fluit talis, ut vel propriis membris ea neget homo, quæ ſunt adiaphora, ſi ad malum occaſio ſint. *Illud* in mente, *hoc* in actionibus hæret; ita ergo *diſtinguuntur*. *Actio* non bona eſt ſine illo *affectu*, ſinceritas affectus, hanc receſſionem poſt ſe trahit; ita *conjunguntur*. Ex animi illo *affectu* hæc *cura*, ſcilicet receſſio à malo, fluit; hinc illo ordine ponuntur.

§. CII.

3) Regula.

3) Si *ſubjectum* propoſitionis *figuratum* ſit, debemus φράζειν τὴν παραβολὴν *Matth.* XIII, 36. מליץ *interpretem* ænigmatis planum, facilem agere *Geneſ.* XLII, 23. Hinc propriis verbis, & ſer-

& ſermone ſimplici, impropria ſunt reddenda. Figura autem. veritate ipſa, eſt illuſtranda, & quidem tam latè, quantum verba valent, & ad illuſtrationem rei pertinent, ita enim, in iſtiusmodi figuris, jam ad naturalia, jam ad inſtituta, aut ad utrumque ſimul reſpicitur. Sic quando *Joh.* I. ℣. 36. *Chriſtus*, *Agnus*, isque *Dei*, & quidem *ille* Dei Agnus dicitur, fit illud *appellatione* partim *metaphorica*, qua ſimile pro re ſimili, partim *metonymica*, qua ſignum pro re ſignificata ſumitur. Et hoc emblema Chriſto tribuitur, tum *ex cauſa communiore*, & cum reſpectu ad naturam agnorum, & quidem *inde* ad illorum errores, quibus ſtatum noſtrum in ſe ſuſceptum repreſentat *Jeſai.* LIII, *6. hinc* vero ad ipſius maximè innocentiam, per omnem vitam 1. *Petr.* I. 19. manſuetudinem atque patientiam, cum omni illius utilitate; tum ex *cauſa ſpeciali*, & cum reſpectu ad ſacrificium juge, hircum emiſſarium, Agnum Paſchalem, ejus ſeparationem, mactationem, comeſtionem; eſtque, in iſtiusmodi figuris, nihil prorſus intermittendum. Attendendum etiam eſt ad emphaſin illarum vocum, quæ, præter communisſimum uſum, quaſi pro propriis verbis habentur. Ita certè non ſine cauſa eſt, quod, cum Paulus de vitiis *carnis*, tanquam *operibus* locutus fuerit, virtutes nominet *fructum Spiritus Galat.* V, 22. ducens nos *inde* ad *originem* boni, quod à DEO eſt, ut fructus ab arbore, per alienam demum manum plantata, prodit. Quæ voluntas, in malis, producit, per potentiam, ſive potius impotentiam aut defectum proprium agit, ut ipſius ſint opera, quæ vero, in bonis, mens noſtra agit, præſtat virtute aliena, confer 1. *Corinth.* XV, 10. *hinc* & ad *effectum.* In peccatis nihil niſi moleſtia & labor eſt, ipſumque opus id omne quod exſpectari poteſt, ita ut hîc opera ludatur, ſed è labore virtutum fructus eſt, jucunditas, decus, conſcientiæ pax, & ipſa vita. *Pſal.* XIX, 11. 12. *Prov.* XI, 18.

§. CIII.

4) Si *ſubjectum* per *epitheton* quoddam ornetur, *hoc adjunctum* & *in ſe*, & *quomodo* maximè huic *ſubjecto*, præ alio, appropríetur, remque proin diſcernat aliis, conſiderandum eſt. 4) Regula

Ita quando *Chriſtus*, *Joh.* I, 36. *Agnus DEI* dicitur, opponitur illud hominibus, qui, cum ſingulari cura, Agnum Paſchalem ſibi comparabant, hunc tantò majorem eſſe innuens, quod ejus ſeparatio à DEO inſtituta fuerit, cui etiam tantò gratior futurus erat, in quo ſolo complacuit; & quando additur: Ille *Agnus Dei*, non tantum ovibus reliquis omnibus opponitur, ſed vaticinia de hoc Agno, cumprimis *Jeſai.* LIII. in mentem vocantur Judæis. Sic quando *gratia Chriſti Tit.* II, 11. Salutaris vocatur, talis & *in ſe*, tanquam idonea ad arcendum omne malum peccati, ad conferendum omne bonum, & *in oppoſitione ad legem*, & elementa legis, dicitur, utpote quæ, ad *illa* auferenda, nimis *infirma*, ad *hæc* conferenda nimis *egena* ſunt. *Galat.* IV, 9.

§. CIV.

5) Regula. 5) In *ſubjectis doctrinarum* exponendis inde *ad fontem*, unde vera notio petenda eſt, hinc ad *analogiam fidei*, ut ſani ſint noſtri, de rebus, conceptus, reſpiciendum eſt Sunt res, in doctrina Chriſtiana, quarum notionem ratio equidem non ſuppeditat, ubi tamen revelata fuit, planè plenéque explicat. Sunt etiam, quas ratio, ob entitatis exceſſum, aut remotionem nimiam, à ſenſibus noſtris, modumque cognoſcendi, cui finita mens par non eſt, ſimpliciter non aſſequitur, nec comprehendere poteſt. Si igitur ratio modum ſuppeditat, Miniſterio etiam rationis, in explicatione illius ſubjecti, uti poſſumus. Danda talis rei definitio, ut intellectus, ad ſuas ideas reflectens, aut conſcientia talia ſentiens, illam admittat. Si vero ad myſteria res pertinet, cui nihil ſimile eſt in hoc mundo, tum tota rei deſcriptio, ex collatis invicem S. Scripturæ locis, depromi debet. Sit exemplo *Pſal.* II, 7 ubi *ſubjectum* eſt vox בני, quæ non in ſenſu communi ſumitur, & *prædicatum* eſt אתה *Tu*, ſcilicet cum virtute alios, ab hujus tituli participatione, excludendi. Ibi, quid ſub *Filii* nomine intelligendum ſit, non docet ratio, docet Scriptura eſſe genitum ibidem *unigenitum*, eumque *à Patre*, *Joh.* I, 14. & ita quidem verum Deum à vero Deo, Deum benedictum ſuper omnia, idque vi generationis *Rom.* IX, 5.

IX, 5. & quidem Filium Dei per naturam divinam tantùm, ut filius Davidis erat ſecundum carnem tantùm *Rom.* I, 3. cui tota eſſentia divina & communis eſt cum Patre *Joh.* X, 38. & communicata à Patre *Joh.* V, 26.

§. CV.

6) In *ſubjecto morali* curandum, ut clarè pateant *proprii virtutum & vitiorum characteres*, qui non petendi ſunt ex definitionibus virtutum, à *Philoſophis Ethnicis* datis. Falſiſſimum enim eſt, quod quidam volunt, *Paulum*, ut *Phil.* IV, 8. ideas ſuas de juſto, decoro, honeſto &c. à Philoſophis petiiſſe. Quam vitioſa ſit *illorum Ethica* Heideggerus *Diſſert. Tom.* I. & *Stephanus* Gaussenius in *Diſſert. Theolog.* oſtenderunt. Ne quidem ea ſufficiunt, quæ hodie, ad intelligendum morum diſciplinam, ex natura hominis petuntur, & ex propenſionibus illius, ut ex diverſa corporum conſtitutione ortis, derivantur, quæ ratiocinia ſcholis magè, quam Eccleſiæ conveniunt; ſed *ex Sacris Literis*, quæ Ethicam præſtantiſſimam ſuppeditant, *ſive* in *radicibus* ſuis, ubi *de virtutibus* agitur; quomodo *τὸ* ירא *timere* elegantiſſimè opponitur *τῷ* ראה *videre*, *homo* securus *oculos attollit*, metuens *claudit*, &, ſub emblemate demiſſarum, ex reverentia, palpebrarum, ſubmiſſionem animi ſui repreſentat; *ſive* ex *collatis characteribus* S. Scripturæ. Ita *timoris Dei* propria ſunt, ex ſenſu peccati trepidanter accurrere ad verbum Evangelii *Jeſai.* LXVI, 2. *Hoſ.* III, 5. odiſſe malum *Prov.* VIII, 13. etiam ex pudore *Geneſ.* III, 10. hincque vel in occulto ſibi cavere à peccato *Levit.* XIX, 14. & propter Deum etiam proximo benefacere, nam qui miſericordiam proximo negat, deſerit Timorem Dei, *Job.* VI, 12. idque ut propter Majeſtatem revereatur vel ſanctuarium ejus, gratiamque illius ſibi conſervatam velit. *Jeſai.* VIII, 12. 13.

6) Regula.

§. CVI.

II. Si autem ſubjectum requirit aliquando *deſcriptionem*, magè illud *poſtulat* prædicatum, cum ſcopus Spiritus S, in pro-

Deinde II. Prædicatum obſervandum eſt

Digitized by Google

propoſitionibus, hûc potiſſimùm tendat, ut de tali ſubjecto hoc illudve doceamur.

§. CVII.

quod verſatur

Verſatur autem *prædicatum* propoſitionis, vel *circa id quod præteriit*, vel circa *ſtatum* rei *præſentem*, vel circa *futurum*, vel circa aliquid, quod eſt continuum, *ſtatumque* refert *omnium temporum*.

§. CVIII.

vel circa præterita ſubjecti

De *præteritis* prædicantur *ſubjecti* alicujus vel *paſſiones*, vel *actiones*.

§. CIX.

veluti ejus paſſiones

Subjecti *paſſiones* occurrunt, ubi *quid* vel *grati*, vel potiùs *ingrati* ſubjecto evenit, quod in ſua *cauſa*. *fato*, *modo fati*, & *fine* vel deſcribitur, vel explicari poterit. Sit *exemplo* altera pars *Pſal*. CXIX, 75. *Humiliaſti me fideliter;* ubi fatum ejus *afflictionem* indicat, una cum ipſius *ſcopo*, quam & ut *homo*, & ut *Dei Filius*, & ut *objectum invidiæ* hominum, in ſua vocatione, ſubiit variam atque multiplicem, vide *Pſal*. CXXXII, 1. Addit *cauſam*, id non hoſtibus tantum, ſed Deo tribuendum 2. *Sam*. XVI, 10. Interim, reſpectu *finis* atque *ſcopi*, id factum *fideliter*, in quantum fides *inde* relationem habet ad promiſſionem & verbum *Hebr*. X, 23. ſicuti caſtigatio fidelium pertinet ad promisſiones *Marc*. X, 30. *hinc* vero ad naturam Dei, tanquam Patris erga ipſum: *Fideliter*, ratione *ſcopi*, ad tollendum malum in genere, arrogantiam *Pſal* IX, 20. ſecuritatem *Pſal*. XXX, 6. animum terrenum *Eccleſ*. II, 10. immiſericordiam *Hebr*. XIII, 3. *Fideliter*, ratione *proportionis*, minus quam promeruit, ut, pro magna culpa, parum ſupplicii ſatis eſt Patri *Pſal*. CIII, 10. ſervatâ proportione inter afflictiones hoſtium, & vires ſuas 1. *Corinth*. X, 13. auctis, pro magnitudine paſſionum, viribus & ſolamine, ut ſolet id fieri, & intùs 2. *Corinth*. I, 5. & extùs 2. *Corinth*. VII, 6. *Fideliter*, ratione *exitûs*, tum per egregias liberationes *Pſal*. L, 15. tum per majus decus & honorem, *Pſal*. CXIII, 7. 8.

Digitized by Google

§. CX.

Vel verſatur prædicatum circa *actionem*, remque geſtam, ſive *viribus naturalibus*, ſive per *miraculum*, ſive *benè*, ſive *malè*, & hinc etiam ſive cum *encomio*, ſive cum *vituperio*, in quibus non modo enarrandis & amplificandis, per ſuas circumſtantias, ſed etiam accuratè conſiderandis, quomodo in exemplum trahi queant, paſtor erit occupatus. Sit *exemplo* iſtiusmodi actionis cum ſuo fructu *Pſal* XXXIV, 5. *Subjectum* eſt: Qui quæsivit Dominum, converſione ſuæ mentis, curæ, ſtudii ad Deum, cum enixo deſiderio, & voto obtinendi liberationem, è præſentiſſimo periculo. Hîc *prædicatum* eſt *generalius*: Respondit mihi, auxilio non modo præſtito, ſed & promto, ut τὸ ענה, ſicuti, in alia conjugatione, humiliationem dicit, ita & hunc videtur habere ſenſum, ut *comem*, *affabilem*, *facilem ſe præſtare* alteri, ad faciendum quod vult, & non obnitendum ejus voluntati, ſignificet; deinde *ſpecialius*: Et liberabit me, ex omnibus pavoribus, non modo ex periculo, ſed è ſingulari etiam metu, quo illum tum laboraſſe ex 1. *Samuel.* XXI. patet, unde etiam modus illius liberationis referri poteſt. aut actiones

§. CXI.

Vel verſatur *prædicatum* circa *ſtatum* ſubjecti *præſentem*, ita ut vel ejus *natura*, *attributa*, *virtutes*, *characteres*, *effectus*, *cauſæ*, *conſequentia* antecedentium, *adjuncta* referantur, ſive *per modum aſſertionis* & teſtimonii, ſive per modum *judicii*, approbationis, improbationis, in quibus ea omnia, quæ faciunt ad iſtiusmodi characterem, ſeu effectum, pleniùs & per partes, explicari debent. Sit *exemplo Joh.* I, 43. ubi *ſubjecti* rationem habet *nomen Petri* prius: *Tu Simon es filius Jonæ*, non ſine quadam alluſione ad originem vocum, quod equidem *auditurus* ſit *Chriſtum*, ſed non ſine quadam *infirmitate*; *prædicatum* autem, quod *vocandus* ſit, nomine pariter & re, *Kephas*, quæ vox græcè ſonet πέτρον, quomodo *lapidem* veteres dixêre, ſed *parvum*, quales ſunt χέρμαδες, qui manum implent, ſed *ex rupe exciſum*, ita *Euſtathius* ad *Homer. Iliad.* V. adnotat, πέτραν eſſe montem, πέτρον vero, vel λίθον, τὸ τῆς πέτρας ἀποτμηθὲν, *par-* vel circa ſtatum ſubjecti præſentem

Digitized by Google

ticulam è monte reſectam. Ita vero *prædicit Chriſtus Petro communionem ſuam cum rupe ſalutis*, ex qua quaſi exciſus eſt, à qua ſuas vires accipit; ita *aſſecutionem veritatis cæleſtis*, quæ Eccleſiæ eſt pro fundamento *Matth.* XVI, 18. ita *firmitatem in* illius *fide*, medias inter tentationes, divinâ gratiâ, ei concedendam *Luc.* XXII, 32. ut, velut pelagi rupes, illis immota reſiſtat; ita *gratiam fundandi Eccleſiam*, per præconium illius Verbi, quod firma fide aſſumſit, idque, inter Apoſtolos, primo loco, & *apud Judæos*, & apud *gentes*.

§. CXII.

vel circa futura

Vel reſpiciunt *prædicata* in *futurum*, ſive ad *officia*, in agendis & vitandis, ſive ad *beneficia* aut *pænas*, ſive *cum reſpectu* quodam *ad Eccleſiam in communi*, ut in prædictionibus Propheticis, ſive *ad ſingulos*, in quibus, cum promiſſiones ſtricti juris ſint, nec ad omnes, ſine diſcrimine, pertinent, in id incumbendum, ut, & *quod promiſſum* in ſpecie, *intra quos limites*, *quo tempore*, & cummaxime *quibus*, demonſtretur, ne dicatur, à Satana, iſtiusmodi promiſſiones temerè ſibi applicantibus: *JEſum novi, Paulum ſcio, quinam vos eſtis? Actor.* XIX, 15.

§. CXIII.

vel circa ſtatum ſubjecti per plures aut omnium temporum periodos

Vel *habent* etiam *reſpectum* quendam illa *prædicata*, aut *ad plures*, aut ad *omnium temporum periodos*. Ita, quæ de *virtutibus Dei* dicuntur, e. g. *Neminem Deus tentat ad malum*, & ſimilia, tum ex natura Dei, tum ex omnium temporum praxi explicari, &, adjuncto deinde nexu, demonſtrari poſſunt.

§. CXIV.

quodque variat pro diverſitate ſubjecti

Variant autem illa *prædicata*, *in ſua extenſione*, *pro diverſitate ſubjecti.* Vel enim de *DEO*, vel de *Chriſto*, vel de *Angelis*, vel de *Homine*, ut ſe habet in ſtatu inſtituto, deſtituto, reſtituto, in regno naturæ, gratiæ, gloriæ, agitur, &, pro hac diverſitate, eædem quandoque phraſes, in prædicato, latiorem vel ſtrictiorem explicationem poſtulant.

§. CXV.

§. CXV.

Quæ *de DEO* prædicantur, cum res nobis ſit cum *ente ſummo, perfectiſſimo*, & *infinito*, non modo ſingulari cum reverentia, & circumſpectione tractanda ſunt, ut, hac ratione, non modo *ad eum Eccleſ.* V, 2., ſed etiam *de eo*, *pauca* & *probè* discuſſa ſint *verba noſtra*, *quod ille ſit in cælo*, nos in terra, ut, ita loquentes, loquamur ὡς λόγια τοῦ Θεοῦ 1. *Petr.* IV, 11., & habeant, etiam noſtra verba, oraculorum rationem; ſed etiam alio longè ſenſu ejus attributa ſumenda ſunt, quam apud homines. Sit quædam, inter DEUM & creaturas, analogia, umbra ſaltem illarum perfectionum in nobis eſt. Aliter utique *DEUS lux* eſt. 1. *Job* I, 5, aliter *Doctores Matth.* V, 14. Ipſa Scriptura S. verbis, ab hominibus petitis, de DEO cum ſingulari prærogativa utitur. Sit *exemplo Prov.* XIX, 21. Hîc *homini* tribuitur *cogitatio*, cummaximè ſeria *meditatio*, exquiſitiſſima *deliberatio*, *circumſtantiarum* omnium *diſcuſſio*. Nihil in homine eſt quam cogitatio, merum phantaſma, ſomnium *Jeſai* XXIX, 7. *Pſal.* LXXIII, 20., & quidem, propter imperfectionem illius, homini *non una* eſt cogitatio, *ſed* harum numero ſunt *plures*, nunc hoc animo volvit, nunc illud, & tamen, quicquid etiam ſatagat, ſibi relictus nihil efficit, nihil ſiſtit extra ſe, ſunt manentque *cogitationes in corde*; ſed in *Jehova* eſt *conſilium*, nequidem hoc propriè, ſed voluntas ejus, ſub hoc nomine, refertur; eſtque hæc voluntas *unum* conſilium, idque tantæ perfectionis, *ut* non modo ſequatur effectus, ſed, qui ſemel eſt poſitus, *ſemper extet*: Conſilium DEI *manet*. Elegans etiam exemplum, quomodo *DEUS*, in ſuis prædicatis, à nobis conſiderandus ſit, *Salomo* exhibet *Prov.* XXIV, 12. Hîc *ſubjecti* loco eſt propoſitio illa conditionata: *Si dicas, en! ignoramus hoc*, ſcilicet, quod proximus injuſtè patiatur, aut quomodo illi, in ipſius afflictionibus ſuccurrendum: *Prædicatum* autem abſolvitur *tribus quæſtionibus*, quæ reſpondent *tribus*, in *judicio*, *actibus*, & ſimul *tribus DEI perfectionibus* ſive virtutibus. Ita, dum in memoriam illis vocari vult *ſapientiam DEI*, in *actu inquiſitionis* dicit: Annon qui ponderat corda, quaſi in oppoſitione ad levitatem excuſati-

ut ſunt prædicata de DEO

Exemplum Prov. XIX, 21.

Exemplum Prov. XXIV, 12.

cuſatiuncularum, CONSIDERAT ID? & animum ad te, tuasque cogitationes advertit. Hinc ad *omniſcientiam* ducit, in *actu deprebenſionis*, dicendo: ANNON QUI OBSERVAT, ceu cuſtos animarum, ANIMAM TUAM ID NOVIT? quam falsò his excuſationibus utaris, & tertiò ad *juſtitiam*, in *actu retributionis;* ANNON, *qui* UNICUIQUE REPENDIT SECUNDUM OPERA IPSIUS, *id judicaret?*

§. CXVI.

quando ei affectus aut actiones humanæ adſcribuntur

Cumprimis autem cavendum eſt, ne, quando *ſapientia æterna* vinum ſuum miſcet, & *de DEO, per modum affectuum, aut actuum humanorum loquitur,* aliter ea deſcribantur, quam quò & cum *perfectionibus DEI,* & cum *analogia fidei* conveniat; uti quidem *fons* omnis *erroris* in eo potiſſimum poni debet, quod *vel perfectiones divinæ in homines,* ut in *Pelagianiſmo,* vel *imperfectiones humanæ in DEUM,* per *Anthropomorphiſmum* quendam, transferantur; ſed *eminenter in DEO* quærenda ſunt, quæ *formaliter* extant *in hominibus.* Unde nec ἀνθρωποπάθεια vel prorſus eſt excludenda, quod factum à *Samuele* BOHLIO, quem GUSSETIUS in *fine Commentarii Ling. Hebr.* refutat. Minùs etiam judicetur. perpetuam, linguæ Hebrææ, ἀνθρωποπάθειαν, ethnicam prodere originem, quem CLERICI errorem *Joh. Nicol.* QUISTORPIUS refutavit, in *Diſſertatione: An ἀνθρωποπάθειαι ſint veſtigia Gentiliſmi?* Ludit ſapientia æterna ittiusmodi phraſibus, &, per naturæ emblemata, ad perfectiora nos ducit. Sed etiam, è contrario, non omnia referenda ſunt, in actionibus de DEO prædicatis, ad ἀνθρωποπάθειαν. Sic, ex adverſo, errant, qui, quæ *Exod.* VII, 3., de *induratione cordis Pharaonis à DEO* facienda, dicuntur, ex ἀνθρωποπάθεια explicare volunt, & ab exemplo patris, qui, puerum pertinacem virgis caſtigans, ſe nihil proficere ſciat, & hactenus ſe illum tantum induraturum dicat, cum non tam quid futurum ſit, quam quid DEUS ipſe facturus ſit, & ita quidem, ut in eo potentiam ſuam demonſtret, indicatur.

§. CXVII.

Digitized by Google

§. CXVII.

In iis, *quæ de* CHRISTO *prædicantur*, σχέσις plerumque, & *relatio*, in verbis de illo, *eſt ad actus ejuſdem mediatorios*, tanquam θεανθρώπυ, unde aliter iterum, quam de aliis hominibus, ſunt explicanda. Sic quando *Joh.* III, 34, dicitur: *Quem miſit DEUS, loquitur verba DEI*, non utique id eo ſenſu ſumendum, quo loquuntur Prophetæ, acti à Spiritu S.; ſed ea emphaſi, qua, *os DEI locuturum*, viſura ſit omnis caro, *Jeſai.* XL, 5.; qua, quæ ſibi DEUS reſervaverat de ſemet ipſo, inde cum auctoritate, hinc cum efficacia ſumma, dicenda, nunc *Chriſto* appropriantur. Sic quando *redemtionis*, *ſacrificii* opera ei tribuuntur, hæc ab illo, *illud* ut à *Goële Levit.* XXV, 25. *Pſal.* XLIX, 16. *hoc* ut à *ſacerdote*, & *victima* totius mundi petitum, explicari debent. Ita, quando dicitur *tollere peccatum mundi*, *Joh.* I, 29., ut *mundi* nomine Filii DEI per mundum diſperſi, in triſti ſua conditione, intelliguntur, & per *peccatum*, in ſingulari, ex *Jeſai.* LIII, 7. 12. omne genus peccati, totumque peccati corpus, atque univerſalis, pro peccatis, pœna intelligitur; ita τὸ αἴρειν non tantum, ut apud alios, ablationem quandam notat, non ſaltem reſpicit ad beneficium ipſum, id eſt, ablationem peccati, & quoad reatum, per juſtificationem, & quoad maculam, inchoativè per ſanctificationem, & conſummatè per glorificationem *Rom.* VII, 24. 25; ſed etiam ipſe ille modus, quo hujus beneficii nos participes erat facturus, innuitur, ut *inde* ſimul reſpiciatur ad ſpontaneam pœnæ ſuſceptionem, ſicut agnus, per manuum impoſitionem, portabat peccata *Levit.* XVI, 21. & pro illis plectebatur *Levit.* XIX. 8; *hinc* &, per tolerantiam crucis, &, in patientia atque manſuetudine ſumma, declaratam obedientiam perfectiſſimam. de Chriſto

§. CXVIII.

Etiam in illis, *quæ de* ANGELIS *prædicantur*, ſingularem Scriptura S. curam exerit, ut diſtinguantur illa ab iis, quæ dicuntur de hominibus, ſive conferantur cum DEO, ſive cum hominibus. Ita quando *Job.* XXV, 2. dicitur: *Facit pacem in altiſſimis ſuis*, non id eò eſſet referendum, quo verba tenderent de Angelis

Digitized by Google

inter homines, quaſi lites inter Angelos fuiſſent, ſed eò, quod non habeant in ſe, unde contendant cum DEO, confer *Job.* IV, 18. & XV, 15. Sic, quando *Hebr.* I, 14. vocantur *Spiritus miniſtratorii*, ne putetur hac phraſi eſſe Angelos hominum ſervos, ſed ut agnoſcatur illorum prærogativa præ hominibus, etiam in ipſa ſubjectione illorum, ſub imperium Chriſti. notanter, in hoc loco, *non* vocantur *ſervi*, ſed *miniſtri* operantes, non privati ſed *publici*, (quorſum vox λάιτκ nos ducit) quales, in *republica*, *Magiſtratus Rom.* XIII, 6., in *Eccleſia*, *Paſtores* aliò miſſi, ut *Epaphroditus Phil.* II, 25. Nec tales *miniſtratorii Spiritus* hominum dicuntur, ſed *Chriſti*, de quo ẏ. 13, hinc πνεύματα ἀποςελλόμενα ſcilicet à Chriſto, & non *ad miniſterium futurorum ſalutis hæredum*, ſed *ad miniſterium* διὰ τὸς μέλλοντας &c. ut pateat homines ſeſe habere erga illos, ſicuti pauperes erga Diaconos, qui adeo DEO, in hoc opere perfectiſſimo, eo ſenſu inſerviunt, quo præfecti principum ad ſubditos mittuntur, non ut inſerviant ſubditis, ſed magiſtratui in ſalutem ſubditorum.

§. CXIX.

De hominibus. Ita etiam aliter omnino *prædicata de* HOMINIBUS in *ſtatu integritatis* & *lapſus* ſumenda ſunt. Sic, ſi *juſtitiæ* vox, in priori ſtatu, & in deſcriptione officiorum hominis, conſtantem dicit voluntatem, unicuique, DEO, proximo, ſibi, ſuum tribuendi, ſub Evangelio potius collationem juris notat ad vitam, quæ eſt per fidem *Jeſu Chriſti*.

§. CXX.

Porro III. notanda eſt copula. III. Ubi ſubjecti & prædicati voces explicatæ fuerint, *ad* COPULAM *progrediendum*, *cujus* ea *vis* eſt, *ut veritatem rei prædicatæ indicet*. Cumque hûc omnia tendant in extremis, & plerumque non tam de rei eſſentia, quam exiſtentia quæſtio ſit, tumprimis etiam in *copulæ* & *explicatione*, atque *illuſtratione*, & cummaximè *demonſtratione*, atque adeo *dictorum confirmatione* hærendum eſt. Hæc *copula* vel *exprimitur*, vel *ſubintelligitur*, aut *in voce conjugata*, aut *in antecedentibus expreſſa*, ad noſtram propoſitionem eſt referenda.

§. CXXI.

Digitized by Google

§. CXXI.

Nihil frequentius eſt *ellipſi copulæ*, inprimis *in* V. T., dum *Hebræi* carent verbo, quod copulam per ſe indicet, tum etiam inde *in Græcis*, ut *Job.* IV, 24. πνεῦμα ὁ θεὸς *Luc.* II, 14. Inprimis in ellipſi ejus.

§. CXXII.

Ut autem *ſuppleatur quod* hîc *deeſt*, inquirendum ante omnia, *cujus verbi ellipſis* ſit. nec enim in eo omnes conveniunt. Sic *Job.* IV, 24. πνεῦμα ὁ θεὸς dici putat *Epiſcopius*, ex verbis immediatè antecedentibus, non quod Spiritus *ſit*, ſed quod Spiritum *quærat*. Uti vero nec quæreret Spiritum, niſi Spiritus eſſet, cum cultus DEI, ante omnia, ejus naturâ nitatur, ita evidens eſt, quod hæc propoſitio rationem contineat, cur in Spiritu adorari velit. Aliquando ellipſis particulæ *non ad unum verbum* referri poteſt, ut *Galat.* III, 10. ἐπικατάρατος πᾶς ὃς κ. λ. *Maledictus omnis* &c id eſt, tum *eſt* maledictus, tum, judicio & voto noſtro, *ſit*. Quo vero ſenſu ſumi debeat, id cumprimis ex nexu; & circumſtantiis deducitur; quamvis negari nequeat, circumſpectione & cura ſingulari, in hoc negotio, opus eſſe, ſæpiùs enim in dubio manet, an propoſitio ſit affirmativa, an, per interrogationem, negativa, ut *Job* II, 4. οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου, ubi quidam verba hæc interrogativè reddunt: *An hora mea nondum venit?* q. d. Tua fuit hactenus hora, tibi huc usque ſubjectus fui, jam vero mea adeſt. Præſtat autem, in iſtiusmodi ſcrupulis, ſine gravi cauſa, à ſenſu ordinario non recedere. Exempla.

§. CXXIII.

Illuſtrant copulam ſæpe *aliæ particulæ*, quæ *rei* nunc *veritatem*, nunc *affirmationis* aut *negationis vehementiam*, & *pondus* indicant, aut rei *tempus* etiam deſcribunt, vel ad *qualitatem* rei nos ducunt. In his, ſimilibusque circumſtantiis ita verſandum nobis eſt, ut cummaximè hæreamus, circa potiorem *copulæ uſum*, qui *rei* eſt *confirmatio*. Confirmabitur autem veritas, *mediante copulâ* propoſitâ 1) per *indicationem nexus*. qui eſt *inter prædicatum* & *ſubjectum*, & huic inſervit exacta, tum ſubjecti, tum præ- Uſus ejus eſt rei confirmatio. Regula 1.

dicati, definitio, unde tantò facilius apparet, in quo tertio utrumque conveniat. Ita, ſi verba, *Job.* IV, 24: *DEUS* eſt *Spiritus*, explicanda eſſent, in hujus copulæ tractatione, inde ad *naturam DEI*, hinc ad *perfectionem Spiritus*, oppoſitè ad rem extenſam, reſpiciendum eſt, & patebit inde evidenter, quod, cum corpus ratione careat, brutum quid ſit, patiatur, non agat, dividi, mutarique queat, alia omnia in Spiritu ſint, hæc potius quam illa enti perfectiſſimo, ſecundum omnes ejus perfectiones, tribuendum eſſe. 2) Sic, quando etiam non prima fronte, ex nexu, res patebit, accuratior tamen *diſcuſſio* & *collatio unius cum altero*, certitudinem rei ſuppeditabit. Ita, ſi 1. *Samuel.* XV, 23, dicitur, *inobedientia eſt divinatio*, & *violentia*, quam quis legi divinæ ſtudiò infert, *eſt idololatria*, collatio docebit veritatem ſimilitudinis; neglecto enim DEI Verbo, judicium proprium ſequi, ut bonum quoddam obtineatur, noſtro labori, in verbo non promiſſum, hoc demum verè *magia* eſt; violatis juſſis Dei, voluntatem ſuam in Thronum collocare, ſe Dominum facere ſuarum actionum, ſuo reti ſacrificare, hoc *idololatria* eſt. 3) Si objectum, in verbis repreſentatum, neque in ſubjecto, neque in prædicato, (quod in myſteriis uſu venit) non ſufficientem, ad ſui confirmationem, ſuppeditet materiam, *ad antecedentia*, *conſequentia*, & *ſcopum* Scriptoris eſt *reſpiciendum*, eaque *nexui*, ad demonſtrandam veritatem, inde *ſubjungenda* ſunt, quæ priora ulterius probent. Pro demonſtratione enim, merito jureque, cenſeri poteſt, quod, ſecundum omnem verborum emphaſin, nexumque & ſcopum, attentè conſideratum, ex verbis fluere oſtenditur. Habet etiam *Scriptura* S. *in nexu* quandoque *rationes*, ex mediis terminis prioribus deductas, ut ita concluſio, & à fronte, & à tergo, ponderoſis argumentis ſtipata, in aciem prodeat. Quis negaret *DEUM Spiritum eſſe?* Vult enim *in Spiritu adorari*, ita *ex ſequentibus*: *quærit adoratores in Spiritu* ℣. 23., ita *ex antecedentibus* veritas confirmatur; ſcilicet ſimile ſimili gaudet, ut adeo ex adoratione in Spiritu, excludente omnem conceptum corporeum, etiam natura DEI ſpiritualis, excludens omnem materiam, oſtendi queat.

Regula 2. (margin, at "2) Sic")

Regula 3. (margin, at "3) Si")

§. CXXIV.

§. CXXIV.

His, in confirmationem veritatis propoſitæ, 4) addi poterit, *argumentum ab analogia fidei* petitum. Eſt enim veritatum Evangelicarum talis nexus, ut una alteram illuſtret, probetque, nec verum ex falſo ſequatur. Ita enim, per hanc analogiam fidei, non tam *convenientia* cum Scriptura S. in communi, quam *cum fundamento fidei, ejusque diverſis articulis*, intelligitur, facietque *ad* analogiam *illam inveniendam*, ſi pro *principio* ponamus, a) *nomina DEI reſpondere* ejus *virtutibus*; b) *opera* ejusdem & *nomini*, & *virtutibus* convenire, ita ut nihil faciat, quod ſe indignum eſt; c) *verbum* cum *operibus*, & *virtutibus* DEI *convenire*, exactum, inter promiſſiones & implementa, nexum eſſe; d) *operum DEI*, inter ſe, *eſſe* quendam *nexum*, prioribus reſpondere poſteriora; e) *verbum DEI*, *inter ſe*, non modo ita *convenire*, ut nulla ſint, in eo, contradictoria, ſed omnia etiam circa unum centrum verſentur. Ita, ſi verba: *Hoc eſt corpus meum*, juxta ſenſum Eccleſiæ noſtræ, fuerint expoſita, ad *copulam*, *nexumque*, per *analogiam fidei*, veritas explicationis noſtræ ita probari poſſet; 1) *nullam eſſe expoſitionis adverſariorum neceſſitatem*; nullam a) *in re*, non requiri transſubſtantiationem, aut conſubſtantiationem, *ratione finis*, ob quem Sacramentum inſtitutum; eſſe enim memoriale, in memoriam vocare mortem Domini, nos unire cum Chriſto, facere ad incrementum fidei &c. quæ omnia, ut oraliter corpus Chriſti manducetur, non requirunt; nullam b) *in verbis*, cum impropriæ locutiones, etiam plures, in hac ipſa inſtitutione occurrant; imo 2) *nullam poſſibilitatem*: Pugnare ſententiam illam cum *ſapientia DEI*, quæ bona mortis Chriſti nobiscum communicat ſine miraculis; cum *veritate DEI*, quæ ſenſibus, ceu characteri veritatis, in iſtiusmodi objectis non contradicit; cum *gloria DEI*, cujus proprium eſt, ubi eſſe & adorari vult, ibi etiam glorioſè apparere. Regula 4.

§. CXXV.

Cummaximè autem veritas demonſtrari debet 5) *ex locis parallelis*, illis cumprimis, ubi de eadem re, quam textus ſup- Regula 5.

peditat, ex inſtituto, & veluti in nativa ſua ſede agitur. Habet enim hanc virtutem *Scriptura S.*, ut *ſe ipſam explicet*, vel *actu*, per alia loca rem eandem pleniùs explicantia, vel *potentiâ*, ſuppeditando in aliis locis iſtiusmodi ſigna & argumenta, quæ rem confirmant. In quem finem è re eſt, ſedes quorumlibet dogmatum, & officiorum, ex Sacra Scriptura, habere in promtu. Ita, ſi de *libertate Chriſtiana* agendum eſt, conferri merentur *Galat.* Cap. III. *Coloſſ.* Cap. II. de *juſtificatione Rom.* Cap. III. *Galat.* Cap. II. de *reſurrectione carnis.* 1. *Corinth.* XV. &c. Inter *Lutheranos*, in ſedibus hiſce aſſignandis, ſingulare ſtudium poſuit *Joach. Juſtus* BREITHAUPT *Theologus Halenſis.*

§. CXXVI.

Regula 6. *Quandoque* etiam, ſed rariùs, nec niſi in controverſiis celeberrimis, huic verborum nexui, & confirmationi, vel *addi*, vel *ſubjungi poterit* 6) *hiſtoria dogmatis*, *fides Eccleſiæ*, aut *conſenſus* univerſalis moratiorum *gentium*, hiſtoricè tamen magis, quam per teſtimonia exotica, proponendus.

§. CXXVII.

Obſervationes ſpeciales. Circa hoc *confirmationis argumentum* teneantur *regulæ* ſequentes: 1) *Non numerandas, ſed ponderandas eſſe rationes*, quibus uti velimus. Præſtat unum dictum appoſitè citatum farragine multorum dictorum imprudenter congeſtorum 2) In quo *fides* eſt *orationis*, ſeu id, quod mentem convincere poterit, cumprimis, præ aliis, in plenam lucem eſt ponendum. 3) *Neque* tamen vel *hoc multo verborum apparatu*, (in quo *Germani* à *Gallis* diſcedunt) ſed vim ſingularem habet *ſuccincta argumentorum congeries*, idque, quod in eis ſtringit, unico vel altero vocabulo altiùs memoriæ infixo, ubi tot argumenta ſpecialia, quot ſunt propoſitiones, ibi mens veritati faciliùs cedit, quam ſi unum ſaltem, multo verborum apparatu, fuerit propoſitum. 4) Sique ſint *propoſitiones, quæ veritatis*, vel *momenti notam* præmiſſam *habeant*, aut adjunctam, haud inutile eſt, *illam notam ad quodlibet argumentum ſpeciale repetere.* Ita, ſi de *ſatisfactione Chriſti* ex *Jeſai.* LIII, 4. agendum eſſet, ad argumenta,

Digitized by Google

menta, quibus ſatisfactio probatur, quæ, inde à Capite LII, 13. ad ℣. 4. Cap. LIV, abundè ſuppeditantur, ad finem cujuslibet addi poſſet, quod ſic *verè tulerit morbos noſtros.* 5) Si quæ ſint, *quæ* textui noſtro *videantur* eſſe *contraria*, ſique illa in vulgus nota ſint. *tolli debent*, ne quid hæreat in mente auditoris, quod plenum aſſenſum impediat. Non equidem multo cum labore erui debent, quæ ſpeciem habent contradictionis. Ita veritatis demonſtratio impediretur magis; ubi tamen quilibet ferè, in populo, ſcit, talia ſpeciem contradictionis habere, neceſſe eſt ut mentio fiat ejusdem, & removeatur illa ſpecies, quod facile fieri poterit, ubi ſemel id firmiter erit impreſſum menti, contradictionem non eſſe, niſi in eis, quæ ſunt, ſecundum idem, ad idem, eodem modo & tempore. Ita, ſi ad *Galat.* II, 16. oſtendendum eſſet, *non juſtificari hominem ex operibus legis*, vix omitti poterit mentio loci apparenter contrarii *Jacob.* II, 24. Sed reſpondendum ſimul, & de *aliis operibus*, & de *alia juſtificatione per opera* agere *Jacobum*; Nec enim *per opera*, apud illum, intelliguntur omnia & ſingula opera legis, quæ fides operatur, per alias virtutes; ſed *quæ*, *modo* quodam *immediato*, *ex* proprio *fidei ſinu fluunt* Unde, cum fides *Jacobo* ſit fiducialis, & Chriſti, & gloriæ Chriſti apprehenſio, hanc autem immediatè comitetur conſtans, & perpetua, ex principio hujus fiducialis apprehenſionis, etiam in rebus arduis. cogitandi & agendi voluntas. hinc opus, ad quod reſpicit eſt ὑπομονὴ Cap. I, 3. aliud illud quo excluditur προσωποληψία Cap. II, 1. quo fides non aliam gloriam, in animo & oculis, fovet, quam Chriſti. *Hæc opera*, notanter, in ſequentibus, à charitate, & opere charitatis proprio, beneficentiâ erga pauperes, diſtincta. & naturaliter ſaltem inde fluentia, *ſiquis non habeat*, *fides mortua eſt* καθ' ἑαυτὴν *per ſe ipſam*, ſicque non patet hominibus; hinc etiam *alia juſtificatio*, ILLA *coram Deo Rom.* Cap. III, 20. IV, 2. HÆC *coram hominibus*, ILLA, qua *juſtificatur perſona*, HÆC, qua *fides abſolvenda* ab hypocriſi, prorſus ut *Chriſtus*, per reſurrectionem ex mortuis, *juſtificatus* dicitur *in Spiritu* 1. *Timoth.* III, 16. 6) Siqui etiam ſint adverſariorum *errores*, aut, contra propoſitionem noſtri textus, *objectiones* in vulgus notæ, ut, in mate-

ria

ria de S. Cœna, τὸ ῥητὸν: *Hoc eſt corpus meum*, etiam illæ indicari, & refutari debent, ſed ita, ut non obſoleta, non nova, cœtibus noſtris incognita producat paſtor. Cum enim hæreſes, & objectiones hæreticorum, ſint blandimenta cordis humani, ſimplicibus facile imponeret, magisque auditorium turbaretur, quam ædificaretur. Hoc genere potius *Julius Cæſar* VANINUS, in *amphitheatro æternæ providentiæ*, peccavit, quod *objectiones* adverſariorum propoſuerit, & *infirmas* addiderit *reſponſiones*, quam quod, ex profeſſo, *Atheismum* defenderit. Et ſicuti, hac ratione, *prudentiâ* opus eſt, in eligendis erroribus & objectionibus, ita dein, cum *candore*, error proponendus eſt, nec affigenda adverſariis, quæ negant; *judicio* pariter, ad illos ſolidè refutandos. Et ſi vivamus inter errantes ejusmodi, lenitudine & manſuetudine, molliùs tum res tractanda, tractanda tamen, ſed ita, ut non anſam ſuppeditemus ipſis, ad tantò graviùs vexandam Eccleſiam. Auriga, ſi magnum, in via, lapidem videat, eum declinat, non ut lapidi parcat, ſed eis qui curru ſedent. 7) Non inconveniens etiam erit, occaſione talis veritatis, *declinandi calumnias*, quæ noſtris imponuntur. Imo operæ pretium, ut, ſi inter adverſarios vivamus, ex profeſſo quandoque *Religionis noſtræ Apologia* edatur publicè. Ita, e. g. ad *Matth.* VII, 1. Querela inſtitui poſſet de temerariis judiciis adverſariorum de nobis, &, in compendio, elidi, quæ noſtris objiciuntur, periculum etiam injuſti judicii ſubjungi. 8) Cumprimis autem, in confirmatione veritatis, eò ſpectandum, ut, quæ *officiis moralibus* objiciuntur, *præjudicia*, ſingulari cura tollantur, quæ enim corruptioni carnis inſerviunt, ſingulari ſtudio, removeri debent.

§. CXXVIII.

Explicatio propoſitionum plurium conjunctarum.

Ratio, qua in *unius propoſitionis* explicatione procedendum, *obſervanda* etiam eſt *in* PLURIUM PROPOSITIONUM CONJUNCTIONE, ſi non vel ſynonymæ, vel quaſi tales ſunt, ubi ſubjecta & prædicata conjungi poterunt. Si vero *diverſas res* contineant, *eadem methodo* erit utendum, ſaltem *ſuccinctiùs* & *preſſiùs*, ita ut, loco explicationis tum verborum, tum rerum, nuda

Digitized by Google

nuda quandoque *paraphraſis*, cum *ſubjunctâ*, ad ejus explicationem faciente, *reflexione*, ſufficiat.

§. CXXIX.

Cumprimis autem in id erit incumbendum, ut, quæ *unius propoſitionis relatio* atque habitudo *ergo alteram* ſit, oſtendatur. Hic vero ducis inſtar *van* Til eſſe poterit, in *methodo concionandi* Cap. VI. ubi, ſecundum ſeptem diverſas cohærentiæ particulas, conjunctivas, disjunctivas, illativas & cauſales, ſimilares, hypotheticas & temporales, oſtendit, qua ratione unum cum altero connecti queat, qui videri poterit. pro diverſis cohærentiæ particulis.

§. CXXX.

Addimus vero ſequentia: א) Quandoque *propoſitiones eædem ſibi conjunguntur*, tum *negativè*, tum *poſitivè*, ubi oppoſitionis ratio pleniùs indicanda, & proin ad ſingulas voces, ſibi ſpecialiùs oppoſitas, erit reſpiciendum, num per omnia, num ſaltem in quibusdam opponantur. Sit *exemplo Galat.* II, 16. ubi a) *negativa*, b) *poſitiva propoſitio* extat, & fundamentum actionum fidelium exhibet. *Negative: Nos*, credentes ex Judæis æque atque ex gentibus, Petrus non minus atque Paulus, qui, licet ex Judæis fuerit, Apoſtolum gentium egit, *ſcientes*, ex legis notitia, cum viribus noſtris collata, proin propriâ conſcientiâ, & Verbo Dei, *hominem*, ſimpliciter & indefinitè (ne diſcrimen inter Judæos naturâ, & peccatores ex gentibus fiat) *non juſtificari*, conſtitui talem qui vel impleverit, vel cenſeatur, habeatur, reputetur impleviſſe, quæ, ad obtinendum jus vitæ, implenda erant, *ex operibus legis*, indefinitè, nullo articulo adjecto, ut doceat, hominem non, vel ex aliquibus, vel quibuscunque operibus, vel alicujus, vel cujuscunque legis, juſtificari, cui notanter, in oppoſitione, adjungitur, *ſed tantum*, cum excluſione, ut particula ἐὰν μὴ ſæpius ſumitur, *per fidem JESU Chriſti*, ubi diverſitas propoſitionis indicat, fidem, in juſtitia fidei, non ſpectari eo modo, quo conſiderantur opera, in propria juſtitia, nec enim, prout opera, in hac, ſunt ipſa juſtitia, ita etiam fidei actus noſtra eſt juſtitia. Sic enim τὸ ἐκ vel ἐξ, in

Regula I. Exemplum Galat. II, 16.

in priori membro, primam originem, τὸ διὰ *per*, in membro poſteriori, medium ex primo fluens, ad primum pertinens innuit, docetque fidei juſtitiam tribui, quia juſtitia Chriſti per fidem, tanquam inſtrumentum, noſtra eſt; fides autem ipſa ita operibus opponitur, ut notet non tam aſſenſum Verbo Evangelii datum, quam Chriſto, ad illud Verbum, mediante quo nos Servatori, in verbo oblato, committimus, ad illum tendimus, in illo nos fundamus, quo Hebræum האמין, & Græca vox tendit, quando perſonæ jungitur, idque tantò juſtiùs, quod, qua *JESUS*, ſui populi Salvator à peccatis ſit, qua *Chriſtus* autem, ad hoc ſalutis opus conficiendum, deſtinatus, promiſſus, donis omnibus inſtructus, ad ſalutem, Verbo Evangelii, annuntiandam, obedientia & ſanguine impetrandam, interceſſione & Spiritu ſuo, actualem poſſeſſionem nobis applicandam; propter quam emphaſin *fides JESU Chriſti* alibi fides *in nomine JESU Chriſti* dicitur.

§. CXXXI.

Regula II. כ) Quandoque *una propoſitio alteram ſequitur per illationem*, ut, *in priori*, ſit *cauſa*, in *poſteriori effectus*, in priori *fundamentum*, in poſteriori *actio*, ubi, in nexu cumprimis, oſtendendum, qua neceſſitate, veritate & plenitudine, poſterius ſequatur ex priori. Sit *exemplo* propoſitio ſequens loci citati *Galat.* II, 16. *Et*, ſcilicet idcircò quod ſub copula ſæpiùs intelligitur, confer *Geneſ.* I, 28. utique non ſoli gentiles, ſive peccatores ex gentibus, ſed etiam *nos* naturâ Judæi, *credimus in Chriſtum JEſum*; qua phraſi fidem notat, quam quis de aliquo concepit, præſtiturum eum nobis ea, quæ præſtare poteſt, &, virtute ſui officii, debet, atque ea propter teſtantur, quod in *JEſum Chriſtum* recumbant, eique ſalvandos ſe totos illi tradant, quippe qui, ratione ſalutis actu nunc præſtitæ, & per ejus impetrationem, & per initium applicationis, *JESUS* ſit, &, ratione officii mediatorii, per omnes ejus partes, tam perfectum *Chriſtum*, & Meſſiam agat, ut, ab illo, juſtitiam & vitam non tantum expectent, ſed obtineant, atque ideo Chriſto, cum omni fructu, applicuerint. conf. *Habac.* II, 4. *Jeſai.* XXVIII, 16. *Hebr.* X, 38.

Exemplum Galat. II, 16.

§. CXXXII.

3) *Propoſitiones* quandoque *ita differunt*, *ut una actionem*, *altera actionis finem notet*, ubi & *natura finis*, & *efficacia actionis*, ad obtinendum illum finem, *indicanda*. Id verba ſequentia, loco laudato *Galat*. II, 16 docent: *Ut juſtificemur ex fide Chriſti*, *& non ex operibus legis*. Hîc, ubi expoſitum fuerit, quid ſub *juſtificatione* intelligatur, ex prioribus cumprimis, oſtendendum, quid ſit *juſtificari ex fide Chriſti*, cum tamen antea illos *tantum per fidem* juſtificari dixerit. Innuitur illâ phraſi, quod juſtitiam, & quidem omnem, quærant & habeant ex juſtitia Chriſti fide apprehenſa Unde emphaſis, & ſonus potiſſimum ponendus in voce *Chriſti*, utpote in quo id omne obtinent, quod ipſos juſtos reddit. Dumque denuò additur: *& non ex operibus legis*, ipſemet *Paulus* illud ἐὰν μὴ explicat, & oſtendit, illud non per *niſi* reddendum, quaſi, ſolummodo fide præſente, homo per opera juſtificetur; ſed prorſus excluſive per *ſed tantum* ſumendum eſſe. Sequitur autem hic finis ex priori actione, quia, per fidem, juſtitia Chriſti noſtra ſit; ſit autem noſtra, quia eſt abnegatio proprii meriti, & apprehenſio obedientiæ perfectiſſimæ Chriſti. Regula III. Exemplum Galat. II, 16.

§. CXXXIII.

4) Sunt quandoque *propoſitiones ſibi geminæ*, *& repetitæ*, quod veritas illarum non ſatis inculcari queat, quod fixa ſit ſententia auctoris, nihilque ſibi nec opinanter exciderit in illis, ſicque eſt *differentia in terminis* obſervanda, & *ratio repetitionis* indicanda. Hûc pertinet pars ultima loci *Galat*. II, 16. *Quia non juſtificabitur*, *ex operibus legis*, *ulla caro*. Quæ indefinitè dixerat de *homine*, jam univerſaliùs exprimit, ut oſtendat, quam latè pateat natura carnea hominis, tam latè patere impotentiam juſtitiæ ex operibus, cum quadam tamen emphaſi ſingulari. 1) Per carnem, etiam ut illa à prima creatione eſt, homo diſtinguitur non modo ab Angelis, ſed etiam ab hominibus beatis. 2) Caro, nunc cummaximè, notat corruptionem carni, à natura, adhærentem, pravasque hujus, quibus mentem abripit, cupiditates. Hæc vero iterum repetiit, licet in Regula IV. Exemplum Galat. II, 16.

Digitized by Google

fundamento dicta fuerint, a) quod præviderit juſtitiarios Eccleſiam, omni tempore, turbaturos. b) Ut glorìantes, de fœdere originario, naturâ Judæos tantò fortiùs ad agnitionem ſuæ impotentiæ duceret, qui, reſpectu corruptionis naturalis, peccatoribus ex gentibus prorſus pares ſint; tum c) ut doceat nullum hominem, in hac rerum terreſtrium conditione, juſtum eſſe per propria opera, quia, ab initio usque ad finem, per omnem ſuam vitam caro ſit, & corruptionibus obnoxius.

§. CXXXIV.

Regula V. ה) Aliquando *propoſitionum una actum, altera cauſam actus indicat*, & tum in id juxta incumbendum, ut *æquitas* & *convenientia cauſæ* omnibus pateat, idque tum cummaximè, quando nexus inter cauſam & eventum non clarè cernitur, nec protinus ad alias particularum explicationes procedendum, ſi ſpeciem quandam contrarii particula cauſalis habeat, quia à ſenſu formali, & famoſiori, non ſine gravi cauſâ, recedendum eſt. Ita, quando 1. *Samuel.* II, 25. triſtis effectus reprehenſionis filiorum *Eli*, cum ipſius cauſâ, refertur; *noluerunt auſcultare voci Patris, quia Deus illos voluit occidere*, huic equidem rationi hæc ſpecies abſurdi ineſſe videtur, quod & excuſentur filii *Eli*, tanquam ex divina voluntate inobedientes, & accuſetur Deus, tanquam auctor peccati, quod voluntas ejus, perdendi filios *Eli*, antecedat horum inobedientiam, illaque ſpecies injuſtitiæ tanto majores ſcrupulos exhibet, quod tamen alibi diſertè Deus dicat, *ſe nolle mortem peccatoris Ezech.* XVIII, 23. Sed ut, *reſpectu poſterioris membri*, obſervandum, in peccatorum pœnis duplicem eſſe reſpectum; delectari Deum in pœna, quatenus eſt opus juſtitiæ, & demonſtratio ſuæ ſanctitatis, ita non delectari eum, quatenus eſt deſtructio operis ſui, qua de cauſa *illud* activè deſcribitur: *Voluit occidere*, *hoc* vero *paſſivè: non vult mortem* impiorum; ita, *ratione prioris circumſtantiæ*, notandum, aliud omnino eſſe verſari in peccatis, aliud, poſt peccatum, non auſcultare, ubi eſt negatio gratiæ indebitæ, quam, quo pertinaciores erant, eò juſtiùs ipſis negare poterat.

Exemplum 1. Sam. II, 25.

Digitized by Google

Sectio X.

De Applicatione Textûs.

§. CXXXV.

Ubi propoſitiones omnes textûs fuerint expoſitæ, &, quomodo ſibi mutuò cohæreant, indicatum, atque totius loci genuinus ſenſus, vel in paraphraſi, vel aliâ ratione, in compendio repetitus, curandum eſt, ut eadem illa *veritas auditorio*, *pro ratione* loci, *temporis* & *perſonarum accomodetur*, inque hunc finem *æquitas* & *efficacia propoſitionis demonſtranda*, atque, *ad ædificationem* cœtus, in *fide*, *charitate* & *ſpe*, *applicanda*. Id Deus præcipit, pertinet hoc ad illam ovium curam, de qua *Ezech.* XXXIV, 16. agitur. Ita, ædificationem in fide ſanctiſſima, *Judas* fidelibus præcipit ſic eſſe applicandam, ut *aliorum*, ſed habito prudenti delectu, *miſereantur* paſtores, *alios* autem, vel intercedente terrore, *ſervent*, *ex igne eos eripientes Jud.* ℣. 22. 23. hûcque, inde ab initio, omnes conciones dirigebantur. Quoad applicationem textus

§. CXXXVI.

Quia vero *applicatio* anima concionis eſt, operæ pretium erit, ut *primò* de illius *inventione*, & deinde de *diſpoſitione* congrua agatur. Obſervanda ſunt duo, ſcilicet.

§. CXXXVII.

Inveniuntur autem, quæ ſeriæ applicationi inſerviunt a) *ſi veritates* & *officia*, quæ textus ipſe ſuppeditat, cum cura, *colligantur*. b) *Si collecta*, per *argumenta*, *informationi intellectus*, *correctioni voluntatis*, & *conſolationi*, *conſcientiæ* maximè *afflictæ*, *inſervientia*, impleantur. א) Inventio ejus

§. CXXXVIII.

Ad *veritates* & *officia* illa *colligenda* neceſſe eſt, ut, quas textus in ſuo ſinu gerit, *obſervationes*, per legitimam conſequentiam, inde *eliciamus*. Vocantur illæ πορίσματα, quod, qui a) per poriſmatum collectionem

Scripturam S. ἐρευνᾶ, ut metalli fodinam, perſcrutatur, inde τι-ρον quendam, lucrum quoddam auferat, quod in ſui, ſuorumque uſum convertat. *Nititur hæc, veritates eruendi, ratio, latitudine ſapientiæ* loquentis *DEI, plenitudine Scripturæ* S., cujus præceptum latum valde eſt, *emphaſi* & *vi vocum*, quæ in S. Literis valet, quantum, per circumſtantias, valere poteſt, *praxi* etiam *Chriſti* & *Apoſtolorum*, qui, per iſtiusmodi collectiones, & conſequentias, verba legis & Prophetarum, ad ſuos caſus & tempora, atque ad ſuorum officia retulerunt, jam, veritates Evangelicas, docendo ex illis modo *per comparationem* à minori ad majus, ut *Joh.* X, 34. 35. 36. modo *ab adjuncto Hebr.* VIII. ℣. 8. & 13. Ita per ſimiles collectiones, ex actionibus priorum, nos docuêre officia noſtra 1. *Corinth.* X. & deducebant beneficia *Rom.* IV, 18-24.

§. CXXXIX.

Requiſita ad eam ſunt

Ut autem illa, quæ ſub Scripturæ S. cortice latent, legitimè eruantur, non judicio modo & ingenio, ad penetrandum in arcana, nec indefeſſa etiam diligentia ſaltem, & attentione, ad minutiſſima quæque, opus eſt; ſed requiritur omnino, ut, per ſerias preces, oculorum apertio à DEO petatur, quò cerni queant arcana legis. Requiritur etiam affectus quadantenus ſimilis ei, à quo vel dicta, vel ſcripta ſunt verba noſtri textus, ſic enim altiùs omnino in ipſius mentem penetratur; ſolida porro ſuimet ipſius, & ſui cœtus cognitio, utpote quæ millenas occaſiones ſuppeditat, ad cogitandum & obſervandum, in textibus, ea, de quibus, ſine tali relatione ad ſe, ſuosque, non cogitaſſet.

§. CXL.

1) cognitio genuini verborum ſenſus ex fontibus ipſis

Supponitur autem, in eruendis poriſmatibus, *genuinus verborum ſenſus*, ne extra orbitam verſemur, isque *ex fontibus* ipſis petitus. Falluntur ſæpè egregiè, qui, nuda verſione contenti, inde ſuas petunt obſervationes, à quibus textus originalis toto quandoque cœlo diſcrepat. Ex tali errore *Arianiſmus* ſi non ortus, ſaltem promotus fuit, quod verba *Prov.* VIII, 22: *Jehova* *poſſe-*

Digitized by Google

poſſedit me, juxta verſionem græcam, *Arius* legerit: *ἔκτισέ με condidit me.*

§. CXLI.

Ex *fontibus* autem *amplam poriſmatum materiam* ſuppeditant a) *perſona* loquens, b) *ſcopus libri totius*, c) *ſcopus pericopæ particularis*, ex qua textus petitus, d) immediatè *antecedentia* & *conſequentia*, e) *ſingulæ voces propoſitionum*, earumque *emphaſis* & *pondus*, f) *nexus* inter *terminos* unius *propoſitionis*, & *inter unam propoſitionem cum altera*, g) *ordo*, *ſitusque verborum*, h) *circumſtantiæ* loci, temporis &c. i) *Adjuncta* & *oppoſita*, k) *collatio locorum* exactè *parallelorum*. qui amplam ſuppeditant poriſmatum materiam.

§. CXLII.

Ex hiſce ita *eliciendæ* ſunt *obſervationes*, ut 1) *non hæreas in nuda verborum repetitione*, aut doctrinas totidem verbis exprimas, quot, quibusve Scriptor ſacer uſus eſt, tales enim doctrinæ, in nexu propoſitionum, vel fuerunt aſſertæ, vel poterant proferri. 2) Ut *non nimis remotas obſervationes*, quaſi per fidiculas, *extorqueas*, ut ſint quaſi conſequentiæ ex conſequentiis deductæ; ſed 3) potiùs *levi quadam preſſura* utaris. Præſtantiſſimum, & quod DEO, in ſacris, offerebatur vinum, prodromus erat, id quod non nimis expreſſum fuit. Ut 4) *non hæreas in minutiis*, & inutilibus. Non elicienda eſt, ex veritatibus fundamentalibus, ſtipula; ſed aurum, argentum, æs, poriſmata quæ dignitate, uſu, præſtantia ſe commendant. Sed & 5) *nec omnia*, quæ eliciuntur, *in una* deinde *ſerie indiſtinctè* ſunt *proferenda*, quod, in textibus particularibus, faſtidioſum eſt. Pro theſauro haberi debent, cum judicio, & data occaſione, erogando. 2) Judicium diſcretionis.

§. CXLIII.

Exemplo res illuſtranda eſt, ex *Job.* XXVIII, 28. Ibi *obſervationes* erui poterunt. א) *à* PERSONA: Qui pius eſt, optimum de vera ſapientia judicium fert, ipſum experientia idoneum reddit. Timebat Dominum *Jobus*, & recedebat à malo. *Job* I. Quis meliùs, ſub DEI revelatione, nobis fructum hujus timoris referre potuiſſet. ב) Ex SCOPO LIBRI: Ignis graviſſimarum tentationum veræ pietati, nequidem in judicio ipſius, Exemplum ex Job. XXVIII, 28

„ ipſius, nocet. Fuerit pientiſſimus *Jobus* graviter vexatus, etiam poſt omnes afflictiones dicit tamen: *Timor DEI eſt ſapien-* „ *tia* &c. ג) Ex toto capite: Natura homines, in operibus „ naturæ, occupatos tenet, gratia & revelatio ad DEUM du- „ cit. A naturalibus hominibus effodiuntur opes, irritamenta „ malorum, in illis acquirendis, & cum maximo labore eruen- „ dis, ipſorum beatitudo, & hinc etiam ſapientia conſiſtit; ſed „ alia omnia, ſub divina revelatione, regenitus judicat. Non opum acquiſitio, ſed *timor DEI ſapientia eſt* &c. ד) Ex an- „ tecedentibus: Defectus ſapientiæ divinæ, & ejus quam „ DEUS habet, non impedit ſapientiam hominis, ſed confir- „ mat; quia ſoli DEO omnis eſt ſapientia, ideo hunc DEUM „ colere, eique ſe, cum reverentià adjungere, ſapientia eſt. ה) Ex verbis textus ipſis: 1) In mente fidelium nemo homini magis obvius eſt, quam DEUS: *Dixit homini.* Non, quis dixerit, additur. *Dixit ille. Ille* quem cogitat unus DEUS eſt, ut *Judæi* dicere ſolent: אני והוא ego & ille *ſalva nos!* 2) Non inteſtatum ſe homini, ab initio, reliquit DEUS: *Dixit.* Quod conſcientiæ inſcriptum eſt, hoc etiam revelatum eſt: *Dixit*, ſcilicet in mente hominis. Doctrina de officiis & beneficiis hominum univerſalis eſt: *Dixit homini.* 3) Extra DEI revelationem nullum, de ſapientia & prudentia, ſapiens prudensque judicium fertur ab hominibus. Dum ſibi relinquebantur, quæritur: *Ubi eſt ſapientia, ubi locus eſt intelligentiæ* ℣. 12 Sed *dixit* DEUS *homini*: *Timor DEI eſt ſapientia* &c. 4) Etiam veritates generales probè ſunt conſiderandæ, non ut notæ ſupponendæ, & hinc negligendæ: *Dixit homini* ecce! 5) Officiorum interiorum compendium *timor DEI* eſt. De pietate loqui voluit *Jobus*, & illam omnem ſub *timore* continet, ſcilicet quia reverentia Majeſtatis illius, cura ſibi conciliandi ejus gratiam, metus conciliatam gratiam perdendi, & iræ DEI, principium eſt omnium cogitationum, ſermonum & operum bonorum. 6) Malè prudentia hominum in metu eorundem ponitur. Non ſub alio prætextu illicitus hominum metus magè ſe inſinuat, & latius ſerpit, quam quod prudentiæ non conſulatur, ſi offendantur homines. Sed *timor DEI eſt ſapientia* &c. confer *Matth.* X, 28.

Digitized by Google

X, 28. 7) Illa vero reverentia cumprimis utilis eſt ad ſapientiam, quæ gubernationem Domini pro objecto habet, *timor* אדוני *Adonai*, *Domini* ſapientia eſt; ſi ad ipſius leges, illarumque æquitatem, beneficia, judicia reſpiciatur, in quorum exercitio ſe *Dominum* oſtendit, inde demum *timor* eſt, qui *ſapientia* eſt. 8) Mente colendus eſt, qui mens eſt; ſed & corpore glorificandus, ut ex omni ſuo opere fructum capiat. Timori Dei *receſſio à malo* adjungenda eſt, quæ ad externas actiones reſpicit. 9) Ab interioribus ad exteriora progrediendum eſt. Ex puro fonte, externæ hominis actiones fluant neceſſe eſt. Præcedit *timor*, ſequitur *receſſio à malo*. 10) Omnis miſeria hominum, quæ quidem eſt, & eſſe poteſt, in peccato eſt; nam *peccatum* eſt *ipſum malum* indefinitè, id eſt, *omne malum*. Nequidem triſte malum, ſine peccato, tale eſt. 11) Hoc malum, in hominibus, univerſale & originarium quid eſt, hinc & optimorum pietas per τὸ *recedere à malo* deſcribitur. 12) Veræ pietati proprium eſt, non intermittere tantum vel conſuetudinem peccandi, vel actum; ſed neceſſe eſt ad id, ut deponatur *affectus* & *amor mali*. Odium eſt *appetitus recedendi*, *timor DEI eſt odiſſe malum*. *Prov.* VIII, 13. nec ſaltem affectum, ſed & omnem *occaſionem*, qui *hanc vitat*, *recedit à malo*, quique hoc facit, timet etiam Dominum. 13) Datur cognitio veri, bonique; eſt enim *ſapientia*. 14) Hæc cognitio veri, boni, perfectio hominis eſt. Qui fidem in ignorantiam vertunt, homini auferunt ſuam perfectionem, tendere debet ad *ſapientiam*. 15) Non ſufficit verum, bonumque noſſe in communi, cognitio illa ad particularia quoque eſt applicanda. Ut ad perfectionem tendat homo, *ſapientiæ jungenda* eſt *prudentia*. 16) Sunt bona malis, vera falſis, & vero ſimili mixta, eſt enim hominis *prudentia* בינה, *facultas internoſcendi*, *diſtinguendi*, in ſingulis, agenda, omittenda, τὸ δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα. 17) Univerſalia particularibus præcedunt. In notitia practica pervenit homo primò ad *ſapientiam*, poſtea autem ad *prudentiam*. 18) Verum ſapientiæ ſignum pietas eſt. *Timor DEI eſt ſapientia* Hic character fallere nequit, nexu tam indivulſo cohærent, ut quaſi ipſa eſſet ſapientia deſcribatur. 19) Optimus character prudentiæ eſt odium & fuga

mali. 20) Summa itaque perfectio hominis in pietate conſiſtit. Ex *timore DEI recedens ab omni malo*, non poteſt non ſummi boni particeps reddi. Tandem, fruſtra quæritur in opibus, & ſtudiis per ſe conſideratis, ſapientia cum prudentia conjuncta, in *timore* enim *DEI*, & *receſſione à malo*, teſte ipſo DEO, continetur.

§. CXLIV.

b) per collectorum, ad mentem auditorum, legitimam ordinationem.

Non ſufficit autem, doctrinæ & morum, *poriſmata elicere* ex verbis textus, minùs etiam conſultum erit, unum poſt alterum, pro concione referre, *deeſſet* enim labori, quod in applicatione præcipuum eſt, *id quod movet*. Unde operæ pretium eſt *comparandi* ſibi maturè *ea*, *quæ*, etiam juxta verba textus noſtri, cum ſingulari effectu, *ad malos corripiendos*, *pios excitandos*, & *ſolamen afflictis* præbendum *facere queant*, juxta ordinem, & fundamenta, quæ ſupra Cap. VII. VIII. & X. ſuppeditavimus.

§. CXLV.

ב) Ejusdem diſpoſitio α) quoad illius baſin

Inventionem *applicationis* excipit ejusdem DISPOSITIO. In applicatione igitur, antea omnia, *baſis* totius accomodationis ita erit *præmittenda*, ut, ſicuti §. 134. dictum, clarâ, emphaticâ, & ſuccinctâ, ſive ſcopi textûs, ſive ſummæ dictorum, repetitione oſtendatur, quomodo, textus ad *fidem confirmandam*, *vitam dirigendam*, & *ſolamen præbendum* faciat.

§. CXLVI.

β) uſum inſtitutorium

Ex ea, per modum concluſionis, *primùm* formanda erit *exhortatio ad doctrinam ſanam. Tit.* I, 9. ſcilicet & *viva fide* recipiendam, & *conſtanti amore* proſequendam, & *apertâ confeſſione declarandam*, & ita quidem primò & cummaximè *eandem*, *quæ* huc usque & *expoſita*, & ad nexum confirmata fuit. Ubi, confirmatione præmiſſa, id unum reſtat, ut *neceſſitas*, *præſtantia* & *uſus* indicatæ *veritatis*, vel *officii* demonſtretur, atque ſic bonitas, veritas, ſapientia DEI, ex illa, quaſi guſtanda præbeatur. Ita, ſi *Job.* XXVIII, 28 pro textu eſſet explicandus, indicari in hoc *uſu inſtitutorio* poſſet, quod ſit toti mundo incognita ſapientia DEI, DEUS tamen illam, pro ſua bonitate, pios

latere

Digitized by Google

latere nolit; hi demum ad ſapientiam, & quidem ſoli, invi- “
tantur; & quanta quæſo DEI bonitas, in hac inſtitutione, eſt! “
Non aliud vult, ut ſapientiam noſtram conſtituat, quam quod “
ad perfectionem noſtram facit, ponit eam in reverentia nu- “
minis, & evitatione mali &c. Sed poſthæc etiam aliarum ve- “
ritatum, quæ, per modum conſequentiæ, ex textu fluunt, mentio fieri poteſt, ubi nec ingratum, nec inutile erit, ſi theſis ſuccinctè repetatur, &, ad ſingulas repetitiones, nova quædam, veritatum neceſſariarum, inde fluentium, propoſitio fiat. Sic ſi argumentum de *aſcenſione Chriſti* tractandum eſſet, ſub initium applicationis dici poſſet: *Susceptus eſt Jeſus in gloriam,* “
ergò Filius DEI eſt. Si id ex morte collegerat centurio, ſi ex reſurrectione, digito quaſi monſtratus fuit Filius DEI ἐν δυνάμει, id multo magis ex ejus aſcenſione in cœlum, atque manſione in illo patet; Sic enim ad Patrem abiit, in domum Patris introductus cum gloria *Joh.* XIV, 2. *Susceptus fuit* in illam, *ergò con* “
fectum jam eſt ſalutis noſtræ negotium, cujus cauſa deſcenderat. Nunc Spiritus mundum convincit de juſtitia Chriſti, quia abiit ad Patrem, & usque adhuc non conſpicitur in terra *Joh.* XVI, 10. Eò *ſuſceptus unicè etiam pro interceſſore noſtro habendus* eſt; nam “
vel ideo ſedet ad dextram DEI, ut intercedat pro nobis. & tam glorioſè ſuſceptus eſt, ne ad aliorum mediatorum doctrinam ſeducamur 1. *Tim.* III, 16. IV, 1. *Cave putemus novo nos, in* “
terra, DEO conciliandos eſſe ſacrificio; abiit in ſanctuarium, ut, merito unius ſacrificii, conſummet ſalutem omnium, ſi etiamnum in terra eſſet, & denuò ſacrificaretur, non eſſet ille ſacerdos noſter *Hebr.* VIII, 4. *In cœlo manet, cœlum tanquam domicilium tenet, ergò corpus ejus nec oraliter, in terris, manducari,* “
nec corporaliter præſens eſſe poteſt. Ita ſolidè, modeſtè, ſuccinctè errores, de præſenti inter adverſarios, prævalentes, per iſtiusmodi concluſiones, & hi tamen ſolùm, & nec per conglomerationem omnium argumentorum contra illos, niſi ſumma nos urgeat neceſſitas, nec per refutationem ſingularum objectionum, perſtringi poterunt.

§. CXLVII.

2) Correptionem vitiorum.

De hinc vero, in CORREPTIONE *vitiorum*, & EXHORTATIONE *ad officia contraria* totus erit paſtor, quæ, ex tractato textu, *officia* fluant, haud minùs quam veritates *indicabit*, quæ, *illorum* officiorum, ſive *ratione præcepti*, ſive *medii*, ſit *neceſſitas*; quæ *ſigna*, quique *characteres* eorundem ſunt, quidque, tum *quoad rem*, tum quoad *modum rei*, & *in principio*, & in *incremento pietatis*, requiratur, oſtendet. Tum, ex illis ipſis, *de ſtatu ſui cætûs judicium feret*, ſolicitè id agens, ut, *quæ* auditorio *deſint*, indicet, *quæ peccata* his oppoſita, in publico, *prævaleant*, oſtendat, *quæ*, hypocriſi quadam, *virtutis nomine obvelentur*, revelet, quæ *juſtò minoris habentur*, in ſuo periculo, repræſentet, *larvamque* adeo *hypocritis detrahat*. NÆVOS ita *indicatos* CORRIPIET, inque illa correptione *ſanctâ* primùm *libertate* atque *zelo Jeſai.* LVIII, 1. utetur, ita tamen, ut hic illius zelus nec per privatum affectum, nec per naturalem impetum abripiatur, ſed unicè à Spiritu DEI, per illius amorem, ad ſtudium ſalutis proximi accendatur, in id, tum conatu, tum labore ſuo incumbens, ut omnia potiùs patiatur, quam ut vel perdat, vel omittat animas, quæ curæ ipſius ſunt concreditæ *Actor.* XVIII, 25. Cavebit tamen etiam, ne correptioni ſuæ fores aperiat per incertas ſuſpiciones, ſive credulitatem delationum; de qua relegi meretur *Georgii* NITSCHII, Superintendentis Gothani, *myſta fervidus*, ſive *diſquiſitio de zelo miniſtri Eccleſiæ*. Zelo, in correptione, junget *manſuetudinem*, quæ zelum temperet, & moderamen eſt illorum affectuum, qui, vitiis & pertinacia hominum, facile concitari poſſunt, & eò laborabit, ut, inter fervorem contra vitia, lenitate utatur erga perſonas, pungat conſcientias, non traducat homines, oſtendatque, ſe eorum, quos redarguit, amore duci, non infamiâ, vel opprobrio delectari 2. *Tim* II, 24. *Prov.* XIX, 11. idque tantò magis, quia meminiſſe debet, etiam ſe hominem eſſe, qui ὁμοιοπαθὴς aliis. His addet *prudentiam*, & curabit, ut redargutio ætati, vitæ & moribus redarguentis conveniat; muneris etiam illorum, qui reprehenduntur, ratio habeatur, neque, indifferenti fulmine, pec-

cata

[illegible] infirmitatis, cum peccatis malitiæ percutiet. Ut vero reprehenſio ejus effectum habeat; pericula interiora, exteriora, hujus & futuræ vitæ, ad nævos ſingulares metuenda indicabit, & argumentis aget, quibus evincat, quantum peccator contra honeſtatem, dignitatem, ſpecialem obligationem erga DEUM, proximum, ſemet ipſum agat, atque, ex comparatione cum aliis, ex inconvenientia illorum nævorum cum doctrina, ex textu, ad conſcientiam commendata, quæ ſit hujus vel illius peccati gravitas evincet. His ſubjunget ADHORTATIONEM, ubi id ſibi negotii datum eſſe credet. ut *apta* ſit exhortatio *convincendis auditoribus*, quam honeſtum, utile & jucundum ſit, quod ſuadet; ut non modo voluntas aut affectus cœco impetu, & magis per vehementiam loquentis, quam evidentiam dictorum moveatur, ſed ut ipſe quoque intellectus ritè informetur; ut non inter perpetuas hortationes generales, ad fidem, pietatem & ſpem, ſeſe contineat, quomodo facilem ille quidem, ſed cœcum plerumque, aſſenſum impetrabit; ſed tranſibit potius ad officia ſpecialia, horumque uſum & neceſſitatem, nec ſolum ex argumentis generalibus, ſed quæ ex intima, cujuslibet officii, natura deſumuntur, oſtendet. Fruſtra etiam urgebit officium quodcunque, quantum ad actum externum, ſive faciendum, ſive vitandum, ſpectat, niſi ſimul in principio virtutis interioris conſtituendo, aut vitii principio interiore removendo laboraverit. In hunc finem auditoris intellectum ſanis, & congruis notionibus de virtutibus imbuet, quo facto, facile actus etiam exteriores ſuadebuntur. Porro inter neceſſaria omnibus, vel quibusdam, & inter adiaphora, inter ea quæ ad eſſentiam divini cultus ut partes, & inter inſtrumenta vel media illius, probè diſtinguet, neque hæc pari, cum illis, vehementiâ, vel importunius, vel etiam unicè, inculcabit. Sic &, pro perſonarum diſcrimine, diſtinctè aget, aliter pertinaces, infirmos aliter, aliter malos, aliter pios monebit, neque hos, in excitatione ad progreſſum in pietate omittet, ut ſic unicuique ſuum σιτομέτριον tribuat.

*) Exhortationem ad officia.

§. CXLVIII.

*) Confirmationem, & conſolationem piorum.

Tandem etiam in ſpecie CONFIRMANDI ſunt *fideles*. Et *hunc* equidem *uſum*, *afflictis neceſſarium*, tum demum, cum fructu, ſubjunget paſtor, ſi *caſuum externorum*, *internorum*, & *variorum generum*, quibus tentantur *afflicti*, naturam, etiam quandoque per experientiam propriam, exploratam habeat; ſi *fundamenta* omnigenæ *conſolationis*, tum *generalia*, tum *ſpecialia*, ex Scriptura S., maturè congerere, ſibique familiaria reddere ſtuduerit; ſi, non minus in *conſolatione*, quam in *confirmatione*, *terminos Scripturæ* S., in quibus vis ad conſolandum latet, cummaximè in textu, iterum iterumque urgeat, &, veluti clavum, repetitis vicibus inculcet; ſi, exemplorum copiâ inſtructus, maximè ex ſacris literis, ſimiles afflictiones ſimilibus accidiſſe, oſtendat, & quæ, cumprimis in textu, ad ſpem faciant, & conſolationem, ad conſcientiam commendet. Conferantur quæ ſupra *Cap.* VIII. & X. monuimus.

SECTIO XI.

De Concionis Pronunciatione.

§. CXLIX.

Quæ proponenda, etiam memoriæ ſunt mandanda.

Quæ cœtui *proponenda* meditatus eſt paſtor, *memoriæ* etiam ſunt *mandanda*. *Lectio concionum* (ut apud *Anglos* in uſu eſt) vel *nullam*, vel *perexiguam*, ad perſuadendum, *vim* habet. *Ut* autem *memoriæ* feliciter, & fortiùs *infigantur dicenda*, opus erit 1) ut, *meditata in* naturalem *ordinem redigantur*, per illum enim ratio memoriæ ſuccurrit. 2) Ut in ordinem redacta *ſcripto conſignentur*, id quod iis cumprimis opus eſt, qui nondum didicere cogitata, ordine naturæ, & facili fluxu, in ſermonem derivare. 3) Ut etiam *primaria rerum capita*, pro diverſis textus partibus, vel *ad marginem* notentur, vel *per lineolas*, diverſis partibus, *ſubductas*, à reliquis diſtinguantur, quoad, methodo ſua aſſuetus, formam ipſemet, ordini rerum, adjungere poterit, tum enim, ut à ſcribendo deſiſtat, utilius erit. Cumprimis

Digitized by Google

mis autem 4) memoriæ conſulet orator ſacer, ſi maturè *primaria*, ſingulorum argumentorum, *dicta ſacra memoriæ impreſſerit*, quæ medium quoddam ſunt eidem conſulendi, ſi copia verborum adhibendorum ei deſit.

§. CL.

Pronunciationi vero dicendorum inſerviet a) *accurata rei*, quam explicamus, *intelligentia*. Quod ipſi dicenti non ſatis perſpectum eſt, clarè nunquam & diſtinctè proponetur auditori. b) *Seria*, rei dicendæ, *approbatio*, ut ipſimet id vel credamus, vel velimus nobis, quod auditori commendamus. Efficacia ſermonis iis omnino motionibus obtinetur, quibus afficit dicentis animum. Perſuadet, qui ſeriò agit. c) Sit ſermo *ſancta* quadam *gravitate* inſtitutus, ut, quantum fieri poteſt, conveniat naturæ rerum, viribus dicentis, ſtatui auditorii. Verbo uno: *Si quis loquitur, loquatur* ὡς λόγια Θεῦ, tam gnaviter, tam graviter, ut dignitati argumenti nihil decedat, per ſermonem loquentis. Sit etiam, d) *pro varietate propoſitionum, varia ſermonis diſpoſitio*. In *principio* orator ſit *ſedatus*, in *explicatione perſpicuus*, in *applicatione* ad *correptionem vehementior*, ſed ita, ut tamen non habeat contentionis imaginem, in *admonitione* ſerius quidem, ſed placidus, tanquam qui ex amore magis ſuadeat, quam ex auctoritate præcipiat, in *conſolationibus* cummaximè *ſuavis*, ut commiſerationis teſtimonia vel ipſe ſermo proferat. In omnibus e) *naturam ſequatur oratio*. Nihil gratiam & efficaciam magis eripit, quam vana alteriùs affectatio, vel ad ſermonem usque. In omnibus autem nulli erimus, niſi humana ratio, ut verbo, ita Spiritu DEI ducatur; nihil, etiam in ſermonibus, poſſumus absque DEO. Pronunciationis leges.

§. CLI.

Quantacunque autem cum ſancta gravitate, ſimplicitate, claritate, prudentia moderatione ſimul atque zelo, paſtor verba faciat, *non illo* tamen id ferè plerumque *ſucceſſu fit*, *quem optare* & *exſpectare poſſet*. Si vel optimè omnia peragantur, inerſus applauſum quendam, plerumque hodie, omnis concionum In defectu optati ſucceſſus.

fructus

fructus ſubſiſtere videtur. Hinc tot *querelæ paſtorum*, dum quo meliores illi ſunt, eò faciliùs defectum agnoſcunt. Sed & tot hinc *calumniæ Schismaticorum*, quibus conciones publicas aſpergunt: *Tot annis publicas conciones fuiſſe habitas, & in eodem ſemper tamen corrupto ſtatu omnia manere.* Jam his equidem os facile obturari poterit; ſcilicet, ita ſe rem habuiſſe in *concionibus Chriſti* & *Apoſtolorum*, ut, ſi primas excipias, ad pauciſſimos vis verbi pertigerit; ita ſe rem habituram *tempore Meſſiæ Jeſai.* XLIX, 4. *Apoſtolorum Jeſai* LIII, 1. etiam, quoad ſequentia tempora, verbum cum ſemine confertur, ſed cujus *quarta tantum* pars fructum ferat, tum ſpiritum flare quò vult, non eſſe ſpiritum, etiam ſanctum, in arbitrio hominum. Interim notari meretur, *eſſe verbum* ad inſtar odoris, cujus ea eſt natura, ut ſpiritum unius reſtauret, alterius debilitet, eſſe illud in illis *odorem vitæ ad vitam*, in his vero *mortis ad mortem*; ſaltem hoc certum eſſe, quod, quando placet Deo hominem vivificare, id ferè ſemper & ordinariè per Verbum fieri, nec fuiſſe etiam illud tam ineſficax, ut traditur ab inimicis publici cultus, nam ſicuti quondam *per Prophetam*, non regem, adeoque verbo excitationis, *Iſraëlem ex Ægypto adduxit Jehova*, & in deſerto conſervavit *Hoſ.* XII, 14. ſicuti poſtea, per præconium verbi, everſæ fuere aræ & delubra gentilium, atque hinc, in Eccleſia, per verbum, promota pietas, mutua charitas, inexpugnabilis fides Chriſtianorum; ita ſimiliter, mediante præconio verbi, & Spiritu oris Chriſti, Eccleſiam Chriſtianam ducet, & conſervabit. Confer *Jeſai.* Cap. XLIII.

§. CLII.

Paſtor reſpicere debet a) ad ſemetipſum.

Reſpiciet tamen, inter hæc omnia, *paſtor* primò *ad ſemetipſum*, cogitabitque, *obſtare forte* efficaciæ verbi, vel *vitam ejus*, dum ſingulari prudentiâ, evidenti reſipiſcentia, & mira moderatione optimè ſcandalis neglecti verbi occurrere potuit; aut forte *labor* ejus *ipſe* non ita comparatus eſt, ut fructus uberes inde expectare poſſit. Jejuni ſermones, ut ſterilis avena, jejunos dimittunt auditores; forte *ſcopus*, quem intendit, minùs purus eſt, vult eloquium, & eruditionem ſuam oſtendere, & in

in iis oſtentare, atque ſic, huic vanitati, influxum in corda hominum negat Deus, ut pateat, quod efficacia verbi à Deo ſit, & non ex nobis. Negatur etiam optatus verbi fructus illis, qui *ſine divina miſſione* currunt, aut *inexpertis*, quorum vocatio equidem externa legitima eſt, nec intentio mala, ſed qui proprias vires nondum ſatis excuſsêre, aut proprio ſenſu deſtituuntur Qui enim, de viis Dei in homine, nihil ſciunt ex experientia propria, non vividè ſatis de illis loqui poſſunt, in generalibus hærentes feriant aures, non penetrant in animum, quando verbum paſtorem ipſum mortuum relinquit, quomodo ſperare poterit, ſe verbo alios vivificaturum? Aut tandem *ſuo* fortè *labori* nimis confidit, non ſatis humiliatus, ut intimè doceatur, quod, dum *Paulus* plantat, & *Apollo* rigat, ſolus *Deus* ſit, qui incrementum dat. Nemini magis abnegatio ſui, & refugium ad miſericordiam Dei neceſſarium eſt, quam paſtori, unde, ex omnibus *Epiſtolis Paulinis*, illæ ad *Timotheum* ſunt, in quibus *Paulus*, cum gratia & pace *miſericordiam* à Deo apprecatur.

§. CLIII.

Abſit tamen, ut omnem, *negati ſucceſſûs*, *cauſam* in paſtoribus quæramus. Latet *illa* ſæpè *in auditoribus*, nam & hic ut quondam tempore *Jeſaiæ*, ubi *paſtorum labia* ſunt purificata per *prunam de altari* petitam, *populus* tamen *aures habet*, *& non audit*. *Jeſai.* VI. *Obſtant* ſucceſſui verbi *præconceptæ opiniones*, aut contra verbum ipſum, aut contra ejus præconem, quibus aures auditorum ſimiles redduntur vaſi impuro, in quo, quicquid illi infunditur, aceſcit. Obſtant *ſtudia rerum ſenſibilium*, *curæ de futuris*, *amor ſeculi Luc.* VIII, 14. *obduratio ex ſeductione peccati Hebr.* III, 12. & accedit ad hæc *malitia Satanæ*, qui *ante verbum* cor indurat. 2. *Corinth.* IV, 4. ut calloſum ſit inſtar viæ, in qua ſemen radices agere nequit. *Matth.* XIII, 19 ſeqq. *ſub* verbi *auditum* cor diſtrahit, ne attendant illi, & *poſt* illud, ſemen aufert. Unde, ut, ex parte auditorum impedimenta removeantur, ſuadenda, à paſtore, auditoribus eſt ſancta *reverentia Jehovæ*, à cujus conſpectu tota terra formidat, *præparatio*

b) Ad ſtatum auditorum.

 iridem

Digitized by Google

itidem *cordis*, tum *precatione Pſal.* CXIX, 18. tum *meditatione*, inde *ſuæ conditionis Apocal.* III, 17. hinc *gratiæ Dei*, in verbo propoſitæ & tam neceſſariæ, ut homo, *absque illa*, creaturarum miſerrima, *cum illâ* vero feliciſſima ſit. Poſt hæc commendabit illis convenientem *modeſtiam*, ne, in ſublimitate ſe extollant adverſus ſimplicitatem ſermonis, ſed, depoſitâ omni ſorde, & abundantia malitiæ, verbum, cum manſuetudine, recipiant. *Jacob.* I, 21. Porro *amorem*, & *acquieſcentiam in verbo Pſal.* CXIX. 31. ut illud iterum iterumque recoquant *Luc.* II, 19. & tandem *applicationem mentis ad obſervantiam Pſal.* CXIX, 10. ut illi qui Deum iterum, iterumque quærunt.

§. CLIV.

c) Ad vias Dei.

Interim etiam hoc quandoque urgendum, *non omni ſucceſſu deſtitui* laborem ejus. Non omni: a) *in malis hominibus*. Notabile omnino, quod, in *parabola de ſemine Matth.* XIII. *Luc.* VIII. ea *portio*, quæ omnium maximè periiſſe videtur, ſcilicet *quæ in viam cecidit*, in applicatione tamen, à Servatore, non auribus tantum, ſed cordi comiſſa dicatur: *De corde illud aufert malus*, *Luc.* VIII, 12. ſcilicet etiam in malis ad cor usque pertingit verbum; jam audiunt illud cum aliqua delectatione, *Marc.* VI, 20. jam ſentiunt aculeum comminationum divinarum, *Actor.* XXIV, 25. fere adducuntur, ut perſuadeantur, *Actor.* XXVI, 28. guſtant dona cœleſtia, & bonum Dei verbum, *Hebr.* VI, 4. 5. & ſic inquimenta mundi, quæ vel ipſum mundum, in maligno poſitum, polluebant, effugiunt, 2. *Petr.* II, 20. ut proinde per verbum paſtorum, tantæ efficaciæ in illis, reddantur inexcuſabiles. Sed qualiscunque ille fructus ſit, *in piis efficax* omninò ſermo eſt. Qui tenebræ erant, attendentes, ſenſim, inter præconium verbi, fiunt lux in Domino, & audiuntur quandoque, de viis Dei, egregiè loquentes. Sic & cor ipſis, non minùs quam *Joſiæ*, emollitur, dum Evangelium audiunt. Quot ſunt, ex illis, qui hodienum, ſi non extraordinariorum donorum, tamen ſaltem jam precum, jam pietatis & zeli Spiritum, ad auditum fidei, accepêre, jam & infinitæ conſolationes hinc mentibus eorum inſinuantur, ut, *per pa-*

tien-

tientiam & *conſolationes ſcripturarum*, *ſpem* certam *habeant*. *Rom.* XV, 4.

§. CLV.

Verum eſt, *hæc non omnia* proinde *cerni à paſtore*, vel *obſervari ab auditoribus*; ſed notetur hinc; 1) *Non ſemper omnia prodeſſe* in una concione, uni forte vel alteri voculæ Spiritus vim addit, qua ſe menti inſinuat, ſicuti de Pharmaco non omnia ingredientia remedium adferunt ægroto; 2) Porro, *prodeſſe etiam*, *quando non ſentitur*, ſicuti cibus alit, viresque reſtaurat, licet homo dicere nequeat, quid, in hoc vel illo cibo, incremento inſervierit. 3) *Prodeſſe fortè non nunc*, *ſed alio tempore*. Verbum ſemen eſt, quod diu, in terra, deliteſcit, antequam fructus proferat, confer *Joh.* II, 22. 21. 4) *Prodeſſe* vel tum, *quando* auditor, *per ſuſpiria*, *mentem ad Deum attollit*, qui unus, immediatâ ſuâ virtute, legem cordibus inſcribit. Ita, in *Spiritu precum*, verbi vim conſervavit *David*, *Pſal.* CXIX, 4. 5. in Spiritu itidem *gratitudinis*, *Pſal.* CXIX, 7. ita ſic conſervatur, ut, cummaximè in lucta, efficacia verbi auditi compareat, & talis, ex Deo natus, non poſſit peccare, quia hoc Dei ſemen manet in ipſo, 1. *Joh.* III, 9. confer *Prov.* VII, 3. 5. In genere, fruſtra foris verba noſtra ſtreperent, ſi internum Magiſterium Spiritus non adeſſet. Quia tamen quandoque *efficacia illa ſatis ſenſibilis eſſe poteſt*, hinc etiam, de divino effectu concionum, ſollicitus erit paſtor, eum in finem ipſemet, concionibus ſuis, ardentes & ſerias preces præmittet, auditores, de divino hoc effectu concionum fervidè monebit, inculcando, tum quam neceſſarius ille ſit, tum quibus ille ſignis diſcerni queat. Triſte omnino erit, ſi Deus continuò loquitur in verbo, ſi tamen auditor ſe Deum alloqui, cum Spiritu Verbum ad ſe dirigi non ſentiat, quippe quod inobedientiæ ſignum eſſet, plane ac ſi princeps, verſans quotidie in conſpectu noſtro, nos ne ſemel quidem aſpicere dignaretur, ſic enim ὑπεριδὼν, ut gentes, iram ſuam teſtatur *Actor.* XVII, 30. *Alloquitur* autem *nos* in verbo, quando Scripturam S. reſpicimus, ac ſi nos in ſpecie tangat, *Hebr.* IV, 12. 13 quando nos ita tangit, ut ad Chriſtum adducamur, *venit* enim *ad Chriſtum*, *quem Pater trahit*. *Joh* VI, 37.

Etiam quando effectus concionum non videtur.

Eee 2 CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Adminiſtratione S. Baptismi.

Σύνοψις.

In adminiſtratione S. Baptiſmi notanda veniunt officia paſtoris א) quoad externa, qualia ſunt 1) baptizare §. I. II. & quidem 2) omnes profeſſuros Chriſtianiſmum §. III. adeoque a) tum infantes eorum qui religionem Chriſtianam profitentur §. IV. V. etiam ſpurios & expoſititios §. VI. VII. VIII. b) tum adultos, ſed prævia confeſſione §. IX 3) baptizare aquâ, non ſine illa, idque per modum aſperſionis & effuſionis, adhibitis etiam ritibus in Eccleſia, cui præeſt, uſitatis §. X. Formulâ itidem baptiſmali §. XI ב) officia paſtoris quoad interna §. XII. ג) Cura paſtoris circa ſuſceptores § XIII. ד) Adminiſtratio Baptismi in Eccleſia, non in ædibus privatis. §. XIV.

§. I.

א) Officia paſtoris quoad externa 1) baptizare

OFficia paſtoris, in diſpenſatione hujus Sacramenti, ſunt, ut 1) BAPTIZET. Ubi plures ſunt paſtores, parochialia munera equidem inter illos diſtingui poſſunt, ut unum huic, alteri aliud committatur, hucque pertinet *exemplum Pauli*, qui Deo gratias egit, quod *Corinthi*, præter *Criſpum* & *Gajum*, atque familiam *Stephanæ*, neminem baptizaverit, quippe à Chriſto *miſſus non*, id eſt, non *tam* (ſicuti *Matth.* IX, 13. *Miſericordiam volo, non ſacrificium*) *ad baptizandum, ſed ad prædicandum Evangelium* 1. *Corinth* I, 14-17 fortè quod illud *Petri* magè munus fuerit, niſi velimus diaconos, à *Paulo*, ad hoc opus fuiſſe inſtructos; ſed ubi iſtiusmodi ſpecialia mandata non extant, id muneris omnibus paſtoribus in communi incumbit, quia præconii verbi annexum indiſſolubile Baptismus eſt, nec alius, quam qui legitimè ordinatus gratiæ Evangelicæ Miniſter eſt, ejus etiam ſigilla, in verbo promiſſa, adminiſtrare poteſt. Vide *Matth.* XXVIII, 19. coll. *Epheſ.* IV, 11.

§. II.

§. II.

a) Exiſtimant equidem alii, *diſtinguendum* eſſe *inter ordinarios* & *extraordinarios* Miniſtros, *Chriſtum Matth.* XXVIII. loqui nonniſi de ordinariis. Sed diſtinctio hæc nusquam fundata eſt. Ipſemet *Bellarminus* ideo ſtatuit, hanc Baptiſmi adminiſtrationem abſolutè neceſſariam non fuiſſe ante feſtum Pentecoſtes, hocque fingitur ob ſalutem latronis in cruce. At caſus hic neceſſitatis fingitur, non datur, non privatio, ſed contemtus Baptiſmi damnat. b) *Urgent* equidem, *laicum, in caſu neceſſitatis, fieri poſſe doctorem, ergò & Baptiſtam.* Sed reſpondemus: *conjunctim*, ut tempore perſecutionum, propter periculum apoſtaſiæ, & tum Eccleſia, penes quam eſt jus originale vocandi Miniſtros, & hoc habet. c) *Objiciunt Actor.* II, 41. ubi Baptiſmus, tot millibus collatus, ſine Miniſterio laicorum concipi nequeat Sed probabiliter Baptiſmus tum temporis fiebat per aſperſionem, non per immerſionem, etiam per Evangeliſtas, & LXX. diſcipulos. d) Baptizaverat *Philippus Actor.* VIII, 38. ſed is Evangeliſta erat. Si *Paulus* baptizatus eſt per *Ananiam Actor.* IX, 10-19. is vocatus erat à Deo ipſo. e) Opponunt *circumciſionem factam à Zipora Exod.* IV, 25. ſed diſpar ratio eſt circumciſionis & Baptiſmi. 1) Circumciſio jam ante miniſterium certarum perſonarum inſtituta fuit. Illa à Patrefamilias, à quo etiam liberi, in viis Domini, informabantur, &, hoc id præſtare non valente, à primogenito, vel, hoc non extante, à matrefamilias, ſpeciatim ea, cujus mentio fit *Exod.* IV, 25. à *Zipora* fieri poterat, quia Moſes, ob extremam infirmitatem, hoc opus perficere non poterat. 2) In circumciſione dari poterat caſus neceſſitatis, quippe quæ ſancita fuit ſub comminatione mortis, non tantum parentum, ſed & ipſius infantis. Hic talis caſus erat; Deus quæſivit occidere Moſen, ad hoc periculum præcavendum *Zipora* arripuit צר, & circumcidit filium. 3) *Zipora* id fecit irata & commota, quod patet tum ex facto, quia projecit præputium ad pedes Moſis, tum ex verbis: *Tu mihi ſponſus ſanguinis es*, ut cogar te ſponſum redimere à morte, ſanguine filii mei, exempla iratorum autem non ſunt ad imitationem trahenda.

§. III.

2) omnes profeſſuros Chriſtianiſmum

Requiritur 2) à paſtore, ut *baptizet* OMNES qui rei ſignatæ, in Baptiſmo, poſſunt fieri compotes, & *quos* proinde *baptizandos* eſſe *juſſit Chriſtus*, hincque adeo homines veros Chriſtianiſmum profeſſuros. Ab infantibus nondum perfectis & animatis, à monſtris, quibus humana forma deeſt, & illis, qui per abortum in lucem editi, nec vivi ſunt, baptizandis abſtinebit, quod nec rei ſignatæ participes ſint, nec à Chriſto deſignati ut baptizentur. Nititur illud falsâ hypotheſi de abſoluta neceſſitate, & directè operativa efficacia Baptiſmi, quando Clerus R. Catholicus paſtores noſtros ad baptizandum infantes necdum in lucem editos obligare vult, id quod à noſtris rectè negatur.

§. IV.

adeoque a) tum infantes

Pro hominibus autem veris baptizandis a) editos in lucem INFANTES etiam non minus quam adultos judicabit paſtor. Juſſit enim Chriſtus *omnes gentes*, proin omne hominum genus, citra diſcrimen conditionis & ætatis *Galat.* III, 27. baptizare, nec excipiebantur infantes, qui tamen, propter circumciſionem infantum, exertè excipi debuiſſent, *ſi Chriſtus* eos non ſubintellexiſſet, planè ut, ſi nunc ex Belgio ad Indos mittantur paſtores, cum mandato baptizandi omnes gentes, non deſiſterent à Baptiſmo infantum, quia Pædobaptiſmus in univerſo Belgio in uſu eſt. Sic enim apud Judæos, una cum adultis proſelytis ex gentibus, baptizabantur etiam illorum infantes. Juſſit etiam *Chriſtus* gentes μαθητεύειν baptizando *in diſciplinatum recipere*, in quem & infantes recipi poſſunt, capaces etiam ſunt Spiritus fidei, & vel tum immediatè, vel paulò poſt, inter neceſſariam informationem. Porro debet etiam infantibus hæreditarii fœderis Sacramentum conferri, quomodo circumcidendi erant & nati & emti pecuniâ, ut ſic fœdus ſit in carne ipſorum fœdus perpetuum. *Geneſ.* XVII, 11. 12. 13. Baptiſmus autem evidenter hæreditarii fœderis Sacramentum eſt, unde Baptiſmi promiſſio expreſsè ad liberos quoque, & omnes quos in ſuam familiam *Deus* advocat, extenditur *Act.* II, 38 39.

Baptiſ-

Digitized by Google

Baptiſmum etiam circumciſioni ſucceſſiſſe *Paulus* evidenter docet *Coloſſ.* II, vv. 12. 13. ubi probat *nos in Chriſto circumciſos eſſe*, quia in Chriſto habemus rem, per circumciſionem, ſignificatam ſimul cum ſigno: *Rem*; circumciſionem non manu factam, id eſt, *depoſitionem corporis peccati carnis*: *Signum* cum *re*; tum *in circumciſione Chriſti*, qui locum noſtrum ſuſtinuit, tum in eo, quod ſimul communionem noſtram cum *Chriſto* circumciſo, & circumciſione obſignatam rem nobis confirmet Baptiſmus, *Baptiſmate enim conſepulti ſumus cum eo*, & *ſimul reſuſcitati per fidem*, *reſuſcitavit enim nos Deus cum eo*, *cum mortui eſſemus in peccatis*, & *præputio carnis noſtræ*, unde, per Baptiſmum & idem ſignificari, circumciſionem ſcilicet præputii carnis noſtræ, & defectum circumciſionis ſuppleri, communione nempe cum Chriſto circumciſo, atque ita circumciſioni ſuccedere Baptiſmum, evidenter patet.

§. V.

Baptizabit autem paſtor *infantes* tantum Christianorum, utpote qui ſoli fœderati ſunt, & proinde etiam ſigni fœderis fieri poſſunt participes, de quibus ſolis ſpes eſt, ipſos, in Eccleſiæ gremio, in fide Chriſti educatum & informatum iri. Unde etiam *infantes infidelium*, licet inter Chriſtianos habitent, cummaximè invitis parentibus, *baptizandi non ſunt*, tum quia baptizandi ſunt *ἀσμένως libenter credentes*, adeoque etiam libenter credentium liberi *Actor* II, 41. tum quia parum illis profuturus eſſet Baptiſmus, ſi poſtea in erroribus parentum educarentur. Licet autem, ex illis qui Chriſtianiſmum profitentur, bona fœderis propriè tantum ad fideles propriè ſic dictos, & proin etiam ad horum liberos pertineant, *non negabit* tamen paſtor *Baptiſmum* etiam *illorum liberis*, *de quorum fide nulla certa criteria habet*, quia jus liberorum ad Baptiſmum non ſolo demum nexu nititur cum parentibus proximis, ſed etiam remotioribus, quo reſpectu etiam idololatricorum Iſraëlitarum liberos *ſuos* tamen *Filios* Deus vocavit *Ezech.* XVI, 21. Nec impiorum liberis denegabatur circumciſio, ſic etiam impii *Achaſi* pius tamen filius *Hiskia* eſſe potuit. Atque ideo *nec* Baptiſmum negabit

eorum qui religionem Chriſtianam profitentur.

negabit *liberis excommunicatorum*, aut apertè *ſcandaloſorum*; infans enim non eſt particeps excommunicationis, quia non eſt particeps criminis, nec perſonalia parentum peccata liberis in præjudicium cedunt *Geneſ.* XVII, 7. ſuntque excommunicati ſæpè numero vera tamen Chriſti membra, ſed attrita & lapſu debilitata, nec ipſa excommunicatione parentes ab Eccleſia prorſus ſeparantur 2. *Theſſal* III, 15. Curabit tamen paſtor, ut iſtiusmodi infantibus pii dentur ſuſceptores, qui, loco parentum, ſpondeant ſe illos, in vera Dei agnitione & pietate, educaturos, atque etiam, ubi id ſacra ordinaria permittunt, ſcandali parentum mentionem faciet, & vel hac occaſione, ſi fieri queat, publicè, ſi non, ſaltem privatim ad ſeriam converſionem eos, & cum Eccleſia reconciliationem exhortabitur, de quibus, poſt *Auguſtinum* Libr. II. de *conjugiis adulterinis*, videri poterit *Henr. Altingius* in *Theologia Problematica.*

§. VI.

etiam ſpurios

Sed & *Baptiſmus non negandus* erit Spuriis, ex *fornicatione*, *adulterio*, *inceſtu natis.* Judicavit equidem quondam *Joh. Knox*, vir rigidi ingenii inter Reformatores Scotiæ, in *Epiſtola* ad *Calvinum*, quod ſpurii priùs non ſint baptizandi, quam vel parentes, per reſipiſcentiam, ſe ſubdiderint Eccleſiæ, vel quam, qui ex illis prognati ſunt, baptiſmum ipſi petierint; idemque ferè *facultas Theologica Heidelbergenſis*, teſte *Zanchio Lib* I. *Epiſtolarum* ipſius, docuit, ſtatuendo quod, etſi ſpurii poſſint baptizari, per viros fideles præſentati, non expediat tamen id ante parentum reſipiſcentiam, & reconciliationem cum Eccleſia, modo tandem id fiat antequam infantes moriantur. unde id Reformatis, à Pontificiis & Lutheranis, tanquam peculiaris error objicitur, quem *Becanus* haud parum exaggerat, referens; ſtatuiſſe noſtros, quod infantes, qui ex illegitimo thoro naſcuntur, æternæ damnationi obnoxii ſint, nec per Baptiſmum juvari poſſint; ſed contrarium oſtendit Voetius *Polit. Eccleſ.* Part. I. p. 651. atque certum eſt, communem nunc Reformatorum ſententiam eſſe, ſpurios, etiam citra talem moram, baptizari debere, idque a) quod & ad ipſos promiſſio fœderalis pertinere queat

Digitized by Google

queat *Geneſ.* XVII, 7. *Act.* II, 38. 39. b) quod diſtinctio perſonarum in N. T. ſit ſublata *Galat.* III, 28. c) quod perſonalis culpa parentum filios à gratia fœderis non excludat *Ezech.* XVIII, 4. 20. XVI, 21. d) quod & in V. T. ſpurii circumciſi fuerint, atque promiſſio gratiæ in ipſis locum habuerit, vide *Judic.* XI, 1. 2. 8. 29. ſeqq. 2. *Samuel* XI XII, 23. Verum eſt, quod *Deut.* XXIII, 3. de ממזר *mamsér* dicatur, quod, *ad decimam usque generationem, in cœtum Domini non ingredi debeat*, ſed hac pœna nihil aliud notatur, quam quod tales à munere ſacro, civili, matrimonio itidem cum fideli excludendi ſint, ut patet ex collatione locorum 1. *Chron.* XXIV, 19. 2. *Chron.* I, 10. 1. *Reg.* III, 9. XI, 1. 2. *Joſ.* XXIII, 7. *Nehem.* XIII, 1. 2. 3. & abrogata eſt hæc lex in N. T. Interim, vitandi ſcandali cauſa, talis baptiſmus non ſine quadam parentum nota adminiſtrari debet, uti quidem, his in oris, alio quam ordinario tempore ſpurii baptizantur, idque omnino matriculæ Eccleſiæ ſimul, in perpetuam notam, inſerendum eſt, quod talis infans extra matrimonium natus ſit. Videatur *Andreæ* in *Diſſert. de baptiſmo ſpuriorum*, & *Voetius* l. c. Part. I. Lib. II. Tr. II. c. II. p. 650.

§. VII.

In *caſu dubio* & *ubi incertum eſt*, *an infans baptizatus ſit*, ut *in expoſititiis*, (ſaltem in noſtris oris, ubi nullæ infidelium terræ ſunt) *tutiùs eſt*, *eum baptizare*. Nec obſtat, ſi vel ſchedulam affixam habeat, teſtantem de collato baptiſmo, niſi ea, *ubi* & *à quonam* infans baptizatus fuerit, indicet, quia iſtiusmodi ſchedula per ſe fidem non meretur, & vel magiſtratus hîc Sponſores denominabit fidos homines, qui ipſius curam habeant. Ita ſaltem communiter Eccleſia vetus: *Infantes*, *qui neque notitiam*, *neque teſtimonia accepti baptiſmi habent*, *baptizantor*. HARMENOPULUS (Conſtantinus) in *Epitome Canonum Sect.* V. Tit. I. Canon. XI. & expoſititios.

§. VIII.

Qui vero *ab aliis Chriſtianorum Sectis ad nos tranſeunt*, ſi modo in fidem Sacro Sanctæ Trinitatis fuerint baptizati, nec ſubſtantialia baptiſmi planè fuerint corrupta, *citra baptiſmum*, in Exceptio

communionem Eccleſiæ, *recipiuntur*, cum impoſitione tamen manuum recipi deberent. Nec reiteratur etiam facile baptiſmus vel in illis *qui per mulieres*, ſcilicet in ipſorum Eccleſiis, *baptizati* fuêre, quia Eccleſiæ hæ talibus, ex delegatione & ſpeciali mandato, baptiſmi adminiſtrationem conceſsêre. Videatur *Joh. Ludov. Fabritius* in operibus ipſius. Denique & *gentilium liberos*, in familias Chriſtianorum legitimè adſcitos, ſi, qui eos offerunt, fide jubeant, ſe eos in Religione Chriſtiana educaturos, *eſſe baptizandos* judicamus cum *Anglis* in *Synodo Dordracena* contra *Voetium* & eam *Hollandicorum* partem, quæ ei adſtipulatur, & nolebat tales eſſe baptizandos.

§. IX.

b) tum adultos, ſed prævia confeſſione

b) Si vero, in infantibus, nulla *confeſſio* locum habere poteſt, aliter omnino res ſe habet in baptiſmo *adultorum*, ubi confeſſio *prærequiritur Act.* VIII, 37. *ſed* quæ ſola tamen *non* ſufficit *citra ſpecialius quoddam examen*. Quò major enim deceptorum, inter illos qui à Judaiſmo vel Muhamedaniſmo ad nos tranſeunt, numerus eſt, eò magis invigilandum, ne externa fidei profeſſione nos decipiant, cum corde interim ſint planè averſi à DEO. Unde talibus non tantum principia Religionis, quæ credenda ſunt, inſtillari debent, ſed ea etiam omnia quæ ad regenerationem requiruntur, & oſtendendus modus agendi reſipiſcentiam non tantum generaliter, ſed etiam ſpecialiter, ut cujuſcunque baptizandi ſtatus & conditio requirit, ad exemplum *Johannis Baptiſtæ Matth.* III, 7. & *Petri Act.* II, 14. ſeqq. Hinc & explicanda illis erit ſtipulatio illa & reſtipulatio bonæ conſcientiæ 1. *Petr.* III, 21. quippe quod ἐπερώτημα in compendio videtur id omne continere, quod ad officium baptizandi requiritur. Cum enim ἐπερώτημα 1) *interrogationem* & *conſultationem* maximè *DEI* ſignificet, ita vocabulo hocce primò innuitur, quod fidelis, vel baptizandus, vel baptizatus, ad DEUM jugiter, tanquam ad oraculum ſuum accedere debeat, ex verbo ejus ſemet informaturus, quænam, in potioribus vitæ circumſtantiis, bona illa, placens atque perfecta DEI voluntas ſit, ut ſe, mediante baptiſmo, in omnibus ſervitio ſui DEI, cum certiori judicio,

judicio, conſecret. Cumque 2) eadem vox, apud veteres, *ſponſionem* atque *promiſſionem* notet, eadem etiam firmum ſimul propoſitum ſinceræ, univerſalis & nunquam violandæ obedientiæ indicatur, quam agnitæ Dei voluntati exhibere velit, ſicuti etiam, de ſua ſinceritate, interrogari ſuſtineat à Deo, cumprimis quia nunc, virtute hujus ſigilli, ſanguine Chriſti mundatam animam vel habeat, vel habere velit. Et quia 3) cum interrogatione etiam *poſtulationem* notat *Matth.* XVI, 1. hinc ſimul fœderalem illam reſtipulationem dicit, qua ſanctificatus Chriſtianus, cum fiducia, beneficia ſalutaria à Patre poſtulat, id quod etiam elevatione capitis ex aquis in baptiſmo innuebatur, memoriali illo reſurrectionis Chriſti. Quæ quidem omnia, ut baptizatis in communi, ita talibus ad nos tranſeuntibus adultis ſedulò inculcanda ſunt, ſimulque cum illis arcanum mortis, ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti ex *Rom.* VI. 4. ut ſic ejus confeſſio & ex corde contrito, & ex vera fide fluat.

§. X.

In *adminiſtratione baptiſmi* curabit 3) paſtor a) ne circa *materiam* & *ſigna* hujus Sacramenti peccet, ſed ut *ſimplici*, *naturali*, *limpida aqua*, infantem abluat, quo ſigno, eoque ſolo *Chriſtus* & *Apoſtoli*, atque Eccleſia primitiva eò usque utebantur, quoad, in gratiam gentilium, ex luſtrationibus illorum, *ſaliva*, *ſal*, *oleum* ſimiliaque admiſſa fuêre, quibus omnibus tantò juſtiùs caremus, quia ipſe baptiſmus, quâ ſymbolum, nihil aliud eſt, quam *lavacrum aquæ* in verbo. *Epheſ* V, 26 *Actor.* VIII, 36. X, 47. Sed ut hæc ſufficit, ita *nec ſine aqua* b) baptiſmus, ſola recitatione verborum inſtitutionis, fieri poteſt. Ad caſum talem, quo fœmina hæreſeos ſuſpecta verba, ſine ritu, recitavit, reſponderunt *Lutherus* & *Bugenhagius.* Videatur *Seckendorffius Hiſt. Lutheran.* Lib III. Sect. 25. num. 101. c) Illa aqua, per *modum aſperſionis* & *effuſionis*, infantem, ſine ſcrupulo, baptizabit. Licet enim *immerſione* uſi fuerint *Apoſtoli*, illa etiam mortem, ſepulturam & reſurrectionem Chriſti melius repreſentent *Rom.* VI, 4. *Coloſſ.* II, 12; eaque ab orientali Eccleſia etiamnum adhibeatur; quia tamen aſperſio non minus quam im-

3) baptizare a) aquâ

b) non ſine illa

c) per modum aſperſionis

merſio genuinum baptiſmum conſtituit, nec aliud mandato Chriſti, ſub Verbo βαπτίζειν abſolutè injungatur (nam βάπτειν propriè *tingere Daniel* IV, 12. & βαπτίζειν propriè *tinctionem imitari* dicit, atque de effuſione aquæ in manus *Marc.* VII, 3. pluviæ in caput Iſraëlitarum 1. *Cor.* X, 2. *Pſal.* LXVIII, 8. 9. ſumitur) & ſub *aſperſionis* nomine ſimul atque ritu eadem illa ſanguinis Chriſti applicatio *Hebr.* IX, 19. 20. repreſentata fuit; hinc, cum tota Eccleſia occidentalis hocce ritu utatur, eundem citra ſcrupulum quilibet paſtor admittere poteſt, magè peccaturus, ſi, mutato ritu univerſali & adiaphoro, multis ſcandalum præberet, & reliquos, hac ratione, ſolicitos redderet, ac ſi non ritè baptizati fuerint, quam ſi ritum, licet non meliorem, innoxium tamen, & univerſaliter receptum retineret. Qua ipſa de cauſa etiam d) ſe *ritibus reliquis* obſervandis non ſubtrahet, ipſique proin perinde erit, num, pro more Eccleſiæ in qua verſatur, ex *baptiſterio* aquam petat, num ex *pelvi*, an *ſemel* tantum, cum Gallis, an *ter* caput aſpergat, num aquâ *frontem*, an *occiput* abluat, quæ omnia adiaphora ſunt, nec quicquam vel ad juſtitiam Evangelicam, vel ad DEI cultum faciunt, ſaltem reſpectu finis ſecundarii, ad ſervandum ordinem & concordiam conducunt, & ſic quadantenus ritus neceſſarii fiunt, atque tum demum verè periculoſi, quando paſtor novis ritibus acriter inſiſtit, & id quod in ſe adiaphorum eſt, ſua pertinacia, vanaque imaginatione neceſſarium facit. In iſtiusmodi rebus ſemper præſtat, ut ſe ritibus paſtor, quam ut paſtori ritus ſeſe accomodent. Maneat in his *Auguſtini* judicium *Epiſt.* 86. menti infixum: Sit nobis una fides, etiamſi ipſa fidei unitas diverſis quibusdam celebretur, quibus nullo modo, quod in fide verum eſt, impeditur; omnis enim pulchritudo Filiæ Regis intrinſecùs, illæ autem obſervationes, quæ variè celebrantur, veſtis illius ſunt, unde dicitur, in fimbriis aureis, amicta varietate. Sed ea quoque veſtis ita, diverſis variationibus, celebretur, ut non adverſis contentionibus diſſipetur." Ita prudentiſſimus *Joh.* à *Laſco* A. 1541., ſimili ferè modo, ad *Pellicanum* ſcribit: "Cæremoniarum eandem formam non magnoperè requiro, ne rurſum ad novum aliquem Phariſaiſmum poſteri-

d) Adhibitis etiam ritibus in Eccleſia ſua uſitatis.

poſteri noſtri, anxia cæremoniarum obſervatione, delabantur, « quin potius concordem aliquam illarum varietatem retineri « mallem, ut homines intelligant, religionem non cæremonia- « rum una & eadem facie, ſed ſtudio pietatis conſtare. « Hinc nec illud laudandum, ſi nimio quaſi ſigni & cæremoniarum faſtidio laboret paſtor, quod ferè ab illis fit, qui, uno forte alterove digito aquæ immerſo, trina tantum vice baptizandi frontem tangunt, ne, majore aquæ affluxu, vel infans terreatur, vel ejus ornamenta maculentur. De quantitate aquæ, cum *Voetio* l. cit., nihil equidem poſitivè determinamus, ſed negativè tantum, ut ſaltem non tam tenuis ſit applicatio aquæ ad corpus baptizandi, qua vix ullâ lotionis aut ablutionis analogiâ tingi, ac talis ſenſibus objici poteſt. Videatur *Stryckius* in *addidamentis* ad *Brunnemanni Jus Eccleſ.* Lib. I. Cap. VI. membr. 3. Inter noſtros vix operæ pretium eſt, ut quid moneatur de *aqua baptiſmali reſiduâ*, qua quosdam ad *artes magicas*, vel *ſuperſtitionem* abuſos fuiſſe refert *Deylingius* in *Inſtr. Prud. Paſt.* p. 341. Unde, in *ordine Eccleſ. Saxon.* prohibitum fuit, ne *aqua baptiſmi vendatur*, & juſſum *ut effundatur*. Græci eam in θαλασσίδιον, ſpatium ſub altari excavatum effundunt. Videatur *Thom. Smith* in *Epiſt.* de *Eccleſia Græcæ ſtatu hodierno*.

§. XI.

Cum vero ritus abſque verbo non ſufficiant, ſed verbum accedere debeat ad elementum, ut fiat Sacramentum e) paſtor *formulas* etiam *baptiſmales*, tum mandatum, tum promiſſum continentes, clarè & diſtinctè prælegет, & quidem eas, quas *Eccleſiarum ſuarum* libri Lyturgici exhibent, à quibus non facile recedet, niſi forte, ex phraſibus quibusdam, tenerioribus conſcientiis ſcrupulus ſubnaſci queat, ubi, ſi forte quid duriùs occurrat, paſtor, pro concione publica, genuinum verborum ſenſum ſedulò inculcabit, ut analogiæ fidei noſtræ reſpondeat, vel, ſi id commodè & ſine ſcandalo Eccleſiæ, aut contentione collegarum, fieri queat, inſenſibili mutatione ſcrupulo medebitur. Cumprimis autem perſpicuo ſermone utetur in *poſtulatione* & *ſtipulatione fidei* à *ſuſceptoribus*, qualis, his in locis, una eſt,

e) Et formulâ Baptiſmali.

quæ fidei *ſymboli Apoſtolici* profeſſionem publicam à ſuſceptore requirit, in *Haſſiaca* vero *ordinatione* gemina, exactè conveniens inſtitutis veterum. Ita *Iſidorus* de *divinis officiis* Lib. II. cap. 24: *Duæ ſunt*, inquit, *pactiones credentium*, *prima*, *qua abrenunciatur Diabolo & pompis ejus*, *ſecunda*, *qua ſe in Patrem*, *Filium & Spiritum S. credere profitetur Sponſor.* Sic & in *formula*, *dum baptizat*, & clarè & plenè pronuncianda ſolicitus erit. Si unius perſonæ divinæ mentio ſtudio omittitur, Baptiſmus pro nullo declarari ſolet, ſed non item, ſi caſu & ex memoriæ lapſu fiat, quia intentio tamen paſtoris eſt, agere id quod Eccleſia agere præcepit, quæ, ſub agnitione & profeſſione S. S. Trinitatis, infantem in Eccleſiæ cœtum recipi jubet. Videatur *Speneris Conſil. Theol. German.* Part. I. Cap. II. Sect. I. & III. p. m. 153. Conferantur *canones Apoſtolici* canone 49; ubi ſtatuitur, deponendum eſſe eum, qui in S. S. Trinitatem non baptizaverit, & *Athanaſius* in *Epiſt. ad Serapionem. Baſilius* M. in *homiliis* ſuis, integro capite, diſputat adverſus eos, qui ajunt ſufficere Baptiſma in nomine DEI. *Fechtius* & *Deylingius* improbant trinam repetitionem vocis *DEI*, ſive *DEI Patris*, *DEI Filii*, *DEI Spiritus Sancti*, quod ipſo Chriſto, magiſtro noſtro, non debeamus eſſe prudentiores. *Harduinus Oper. Select.* fol. 229. affirmat, Baptiſmum *in nomine Chriſti* ſufficere. quia etiam Apoſtoli in nomine Chriſti tantum credentes baptizaverint *Actor.* II, 38. X. 48. XIX, 4. 5.: Sed rectè negat id *Deylingius*. Baptiſmus in nomine Chriſti, tempore Apoſtolorum, apud *Judæos* ideo ſufficiebat, quia *Judæi* in DEUM *Patrem* crediderant, & *Spiritus* S. nomen atque fidem receperant, poſtea vero, ut vidimus ſupra, baptizabant in S. S. Trinitatem.

§. XII.

ב) Officia quoad interna.

ב) Sed hæc externa ſunt, potius ad interna reſpiciet paſtor; ubi, 1) ante omnia, opus eſt, ut, tum ante Baptiſmum, tum in eodem, *infantem precibus ardentiſſimis Chriſto offerat.* Novit ſe plura præſtare non poſſe, quam præſtitit *Johannes*, aquâ ſaltem ſe abluere, novit depoſitionem illam ſordium corporis rem non conficere, ſed requiri, ut, Spiritu ſimul & igne, hæc

hæc Domini vaſa intùs atque perfectè purgentur. *Matth.* III, 11. *Numer.* XXXI, 23. hoc vero ſolius Chriſti eſſe, id precibus obtineri à Chriſto, unde & quondam nonniſi per vigilias, jejunia atque preces ad Baptiſmum accedebant. Deinde 2) ut omnia ea devotione, gravitate, atque modeſtia peragat, quæ & aliis indicio eſſe queat, quod paſtor fœderis hujus Baptiſmalis ſenſu diviniore ducatur. Ut proin 3) ad omnia inſtitutionis Verba, ipſiusque Sacramenti finem probè attendat. Licet enim intentio non ſit neceſſaria baptizando, eſt tamen abſolutè neceſſaria baptizanti. Ut 4) eundem ſenſum diviniorem requiſiti ἐπερωτήματος Patri etiam, ſponſori & adſtantibus inculcet, atque officia fœderis hujus baptiſmalis ſæpiùs in concionibus & ſermonibus ſuis repetat. Ut, 5) ſaltem, hac etiam occaſione, omnes, qua fieri poteſt gravitate, & fervore ad officii ſui ſenſum ducat, ſimulque 6) cummaximè rudiores ab opere operato, & vana opinione efficaciæ interioris hujus actus externi abducat, & auditoribus oſtendat, quod, ut non erat Judæus omnis qui extùs circumciſus fuerat, ita nec Chriſtianus omnis ſit, qui extùs aqua abluitur *Rom.* II, 28. 29. 1. *Petr.* III, 21. Cumque ſoleant interdum actibus iſtiusmodi ſacris, ſpeciatim Baptiſmo *convivia*, aut alia externa, ſingularis lætitiæ, teſtimonia jungi, per quæ tamen interior ille, beneficiorum ſpiritualium, ſenſus ſenſim perit, 7) præſtat, ut paſtor, ſi ea nequeat prorſus è medio tollere, ejusmodi conventum vitet omnino. Vid. *Stuckius de conviviis veterum* Lib. I. cap. 16. Hinc & diſſolutioris vitæ generi, & in ſpecie ſpectaculis in theatris, curſibus equorum, ſimilibus proin etiam exceſſibus ſe renunciaturos, ipſos adultos quondam, in actu Baptiſmi, ſub abrenunciatione ſolenni Diaboli & pompæ mundanæ facta, promiſiſſe docet *Cyrillus* Hieroſolymitanus in *Catecheſi Myſtagogica prima.* Confer Gebhardi Theod. *Mejeri* librum: *Tria novellorum naſcentis Eccleſiæ Chriſtianæ initiamenta*, id eſt, de Baptiſmo, catecheſi & manuum impoſitione.

§. XIII.

Digitized by Google

§. XIII.

3) Cura paſtoris circa ſuſceptores.

3) Cumque, inde à *Tertulliani* temporibus (qui ſaltem primus eorum mentionem facit, in opere *de Baptiſmo* Cap. XVIII.) baptizandis etiam dati fuerint *ſuſceptores*, ἀνάδοχοι *ſponſores*, *fidejuſſores*, 1) ut pro baptizando, & loco ejus, fidem & obſequium DEO ſpondeant, (ſicuti nec adultis ſæpè incognitis Baptiſmus conferebatur, niſi in præſentia teſtium ac fidei ſponſorum, qui de ſinceritate eorum teſtabantur, & ſpondebant baptizandos in Chriſtiana Religione perſeveraturos, nec ad paganiſmum relapſuros) 2) ut de Baptiſmo ritè in ipſum collato teſtentur. 3) Ut, cum, durante perſecutione, infantes parentes ſuos amitterent, aut ſi hi negligentiores eſſent, curam gererent baptizatorum, ne fidem fallant; cumque etiamnum hodie mos ille, licet non ſine multa variatione, & corruptione, retineatur, paſtoris officium eſt, monere parentes, etiam, ſi id occaſio permittat, ante partum, aut ſaltem ante Baptiſmum, ut probè diſpiciant, quos qualesve infantibus ſuſceptores eligant, ut tales illi ſint, quibus cura infantis piè educandi committi queat, qui, cum fructu, pro infantibus ſpondere poſſint, eosque reverà commonefaciant de iis, quæ, in Baptiſmo, illorum loco promiſerant, *ne* proin vel *rudes* admittant, rerumque divinarum ignaros, qui, quamvis baptizati, ne proprii quidem Baptiſmi rationem norunt, hinc etiam ne *ditiores* ſaltem eligant, dona magis quam curam liberorum captantes, ne *ſenes decrepitos*, ab una parte, qui, per imminentem obitum impediti, promiſſa perficere non poſſunt, nec, ab altera, *infantes*, qui ad ſpondendum nondum idonei ſunt; multò minus etiam *profanos verbi divini oſores*, & *Sacramentorum contemtores*, in qualibus tamen rejiciendis non ſolo ſuo paſtor nitatur judicio, quia periculoſum judicatu eſt, quis, præter excommunicatos, notorius ſit verbi divini oſor, nec tale judicium contra quenquam, eo non audito, locum habet, aut facile ferendum eſt. Omnium minimè autem cura illa infantum committenda eſt *alienæ Religioni addictis*, & à fundamento fidei recedentibus, quomodo enim in recta fide, vel vera pietate alios inſtituerent, qui ipſimet à verbo veritatis alieni ſunt?

Digitized by Google

ſunt? unde, ſecundum ordinationem noſtram Eccleſiaſticam, tales vel planè non admittendi ſunt, vel ſaltem, ex Reformatis, alii ipſis teſtes adjungendi, qui vices priorum, in informatione & cura ſpirituali, gerant. Quodſi paſtor, per circumſtantias ſingulares, cogeretur ejusmodi heterodoxum ſuſceptorem ſolum admittere, ipſemet, cum parentibus, infantis educandi tantò majorem poſtea curam habebit. Videatur, de hoc caſu, *Voetius Polit. Eccleſ.* Part. I. Lib. II. Tract. II. Sect. III. Cap. 4. In *Haſſia*, & quondam etiam his in oris, moris erat, *ſponſores de fide Chriſtiana examinare*, id quod, ſuo jam tempore, *Carolus* M. in *Capitularibus* Lib. VI. Cap. 79. præcepit: *Placuit*, inquiens, *ut inſtruantur fideles, qui parvulos de ſacro fonte ſuſcipere cupiunt, ut intelligant & vim illius Sacramenti, & pro quo fidejuſſores extitêre.* Saltem etiamnum monendi ſunt ſuſceptores, publicè & privatim, ut promiſſæ ſponſionis memores ſint, ſique parentes mali liberorum curam negligant, ut tantò magis ipſi de ſalute infantis ſe ſolicitos exhibeant. Videatur omnino ſchediasma *Gerhardi* van *Maſtricht de ſuſceptoribus*, ejus *Hiſtoriæ Juris Canonici* ſubjectum. Inter Patrinum & è Baptiſmo ſuſceptum vinculum, & cognationem quandam ſpiritualem eſſe, quæ nuptiis impedimento ſit, traditum equidem jam eſt in *Juſtiniani* Imperatoris *Codice* Lib. V. Tit. IV. *de nuptiis*, lege 26. & in *Concilio Trullano* Can. 53. etiam *Tridentino* Seſſ. XXIV. Cap. II. Sed ſpiritualis illa cognatio hucusque non eſt extendenda, ſic enim nulli Chriſtianorum inter ſe matrimonia inire deberent, cum omnes ſpiritualiter ſint cognati fideles *Epheſ.* IV, 12. 15. 16. Matrimonium non impedit Euchariſtia, non impedivit circumciſio, cur obſtaret Baptiſmus?

§. XIV.

ד) Æquum etiam eſt, ut *Baptiſmus* adminiſtretur *in Eccleſia*, quia Sacramentum eſt initiationis in Eccleſiam, & ſigillum verbo appenſum, & quia hujus initiationis teſtes eſſe debent, & alii potiſſimùm teſtes, quorum numero baptizandus adſcribitur. Unde etiam quondam certa Baptiſmo conſtituta fuêre tempora, octava paſchatis, feſtum pentecoſtes, ut recepti-

ד) Adminiſtratio Baptiſmi in Eccleſia.

prio baptizandorum tantò ſolennior ſit, & magè publica. Prohibuit etiam poſthæc *Clemens* V. in *Concilio Viennenſi*, ne quis in aulis, vel cameris aut aliis privatis domibus, ſed duntaxat in Eccleſiis, in quibus, ad hoc ipſum, fontes ſpecialiter ordinati ſint, audeat aliquos baptizare. Hoc proin, tanquam magis decorum, & ad majorem ædificationem faciens, omnes propemodum noſtræ ordinationes Eccleſiaſticæ injungunt, tantòque magè quia Baptiſmus in privatis ædibus, ex ſola opinione de abſoluta neceſſitate Baptiſmi ſuam originem habuit. Interim in Eccleſiis quibusdam noſtris, & cumprimis per Germaniam, in caſu inſtantis mortis infantis, Baptiſmus in privatis ædibus permittitur, & ſic etiam in Palatinatu, ſed ita tamen, ut 1) jubeantur paſtores probè diſpicere, ne per obſtetrices fallantur, quæ fidem ſuam de vitæ periculo infantis interponere tenentur. 2) Ut, ubi baptizatur infans, numerus aliquis fidelium adſit, qui corpus Eccleſiæ referat. 3) Ut, exſertis verbis, parentibus opinio operis operati eximatur, & 4) ut, ſi ob vitæ periculum preces imminuantur, ſaltem maneant, & prælegantur quæ ad ſubſtantiam Sacramenti faciunt. De quibus, quæque tum obſervanda ſint, videatur elegans, & quæ facile pleriſque Lyturgiis reformatis palmam præripit, *ordinatio Lippiaca* An. 1684 edita.

Caput XIII.

De Adminiſtratione Sacræ Cœnæ.

Σύνοψις.

Paſtoris officium eſt a) frequentem S. Cœnæ uſum, ſolidis rationibus, urgere §. I. ab objectionibus vindicare §. II. neminem vero ad hunc uſum, mediante brachio ſeculari, cogere §. III. b) prudenter agere tum quoad communionem privatam §. IV. tum quoad admittendos & excludendos §. V. ita ut, hac in re, ſcrupulis conſcien-

ſcientiæ ſuæ occurrat §. VI. tum 1) reſpectu eorum, de quorum delicto non ſufficienter conſtat, & ſi delictum in ſinum paſtoris committatur &c. §. VII. 2) ratione abſtemiorum, qui à vini uſu abhorrent §. VIII. 3) quoad ſurdos & mutos §. IX. 4) quoad illos, quibus demerita pœna remittitur à Magiſtratu §. X. ut c) in numero communicantium ipſemet offerens paſtor frequenter compareat §. XI. ut d) cum peregrinis cautè agat §. XII. inſeruntur obſervationes de tempore, die & hora adminiſtrandæ S. Cœnæ §. XIII. curabit porro e) ut communicanti rectè præparati, ad S. Cœnæ uſum accedant. §. XIV. ut f) ipſemet paſtor, in ipſa actione, quoad eſſentialia, ab inſtitutione S. Cœnæ minimè diſcedat §. XV. quoad ritus autem & accidentalia, tum eandem inſtitutionem, tum conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ ſequatur. §. XVI. ut g) denique curet eos, qui nimiùm videntur angi. §. XVII.

§. I.

Cum alia planè S. *Cœnæ ratio* ſit quam Baptiſmi, eaque ſæpiùs iteranda, paſtor *ratione ſubjecti percipientis* id ante omnia curabit, ut *credentes* & reſipiſcentes ad ſacram σύναξιν *frequenter accedant*, nec, vel *nimia profanitate*, quiſquam hunc animæ cibum faſtidiat, vel *nimio* etiam *metu* corripiatur. 1) In hunc finem id iterum iterumque pro concione inculcabit; *eſſe* tamen *cibum* hunc *divinitus oblatum*, quo utique non minus indigeamus, quam cibo corpus noſtrum, ſine quo decedit, viresque ſenſim amittit; eſſe cibum hunc veluti *panem*, tam neceſſarium adultis, quam panis eſt, naturalem proinde etiam erga huncce panem, Dei Filiis, appetitum eſſe, cum Chriſto tam arctè communicantes in fide conjungi, ut panis præ omni cibo, ſingulari facilitate & efficacia, in noſtram ſubſtantiam convertitur; eſſe *panem* hunc ut ille *facierum*, ex cujus eſu noſtrum Sabbathum eſt, quo veſcuntur etiam ſacerdotes N. T. idque ante ingreſſum in Sanctum Sanctorum; quicquid *extra Chriſtum & ejus Corpus* eſt, id tamen omne *eſſe non panem*, non nutrire hominem, non ſatiare cupiditates ejus; eſſe *vinum* hìc quaſi præſtantiſſimum fructum tenerrimæ virgulæ, quod non modo ſatiat,

Paſtoris officium eſt a) frequentem S. Cœnæ uſum, ſolidis rationibus, urgere.

ciat, ſed etiam lætitiam excitat. Hæc, ſimiliaque, à *ſigno* ad utilitatem atque dignitatem Sacramenti hujus dici poterunt. Sed uſus ejus magè urgebitur 2) ex præſtantia *rei ſignatæ*; nihil utique præſtantius eſſe *Corpore Chriſti*, hoc cibo vitam parari, & eam æternam, quæ ſola vitæ nomen meretur, & nihil niſi vita eſt; jam equidem, extra Sacramentum, Corpus Chriſti talem cibum fidelibus eſſe, interim tamen etiam de pane Eucharistico Chriſtum luculenter dixiſſe: *Hoc eſt corpus meum*, eo utique ſcopo, ut, qui hoc animo ad S. Cœnam accedunt, ut fide Chriſto potiantur, certi eſſe queant, ſe cum Chriſto tam arctè conjunctos eſſe, & cum ipſius corpore vivificante, ut panis cum ſubſtantia corporis eorum, qui illo veſcuntur, ſeque cum illo omnia ejus vivificantia bona intimè, certò, & irrevocabiliter poſſidere, ut quod edimus, hac efficacia, noſtrum ſit; eſſe porro *poculum* Sacramentum *Sanguinis Chriſti*, & quidem illius quo N. T. confirmatur, ut, qui vera fide Sacramentum ſanguinis bibit, ſe ſimul bonorum N. T. participem eſſe perſuaſus reddatur, offerri hîc ſanguinem illum, per quem *remiſſio peccatorum* eſt, primum N. T. bonum, idque adeo ipſum quod in hæreditatem introducit, cujus actuali poſſeſſioni peccata unicè obſtiterunt; hæc bona contemnere qui contemnit ſigilla eorum, prorſus ut violati fœderis divini reus erat, qui voluntariò ſignum fœderis, circumciſionem in V. T., intermiſit, quique hinc per כרת *violentam mortem*, è medio viventium, & per exilium animarum, è numero beatorum tollendus & excludendus erat; ſic omnino, cum *poculum* hocce Chriſtus *teſtamentum ſuum* dicat, & quidem *novum*, non umbram ferens, ſed *ſanguinem qui pro nobis effunditur*, idque *in remiſſionem plenam peccatorum*, non poſſe non eum, qui illius uſum petulanter intermittit, ſpreti ſanguinis Chriſti, & proin graviſſimi illius peccati, cujus *Hebr.* X, 29. 30. mentio fit, reum eſſe, contemnere media corroborationum ſpiritualium, qui cibum ſpiritualem negligit; incrementa ſpiritualia habere rationem cibi, *Eliæ* à Deo oblati 1. *Reg.* XIX, 8. etiam per hoc, à Chriſto, oblatum medium vivere Chriſtum in nobis *Galat.* II, 20. contemni ſic incrementa donorum Spiritus, precum, attentionis ad verbum,

maxi-

maximè Spiritûs fidei in eum, qui ſe pro nobis in mortem dedit, & pignus hujus ſuæ oblationis in S. Cœna offert; contemni media arctioris unionis inter ſe 1. *Corinth.* X, 17. adeoque magnum illud bonum communionis ſanctorum; nec eſſe ſaltem, in intermiſſione hujus Sacramenti, inſignem gratiæ divinæ contemtum, ſed ſimul *inobedientiam*, diſertè enim Chriſtum, non *commendaſſe* tantum ſed, *juſſiſſe*, non *mandaſſe* ſaltem, ut *Grotius* diſtinguit ſed, *præcepiſſe ut ederent*, *biberent*, hocque poſthæc *facerent*, idque *in ipſius commemorationem*, ſpeciatim in commemorationem *mortis ejus*, boni maximi, amoris infiniti, ut ſpernens memoriale mortis ſpernat mortem ipſam, unde tantò minus indifferens eſt ejus uſus, quis enim nollet, aut legitimè poſſet Chriſti non, meminiſſe, quæ ordinat, omnia ſunt laudabilia prorſus & glorioſa *Pſal.* CXI, 3. non licet utique vel minimum præceptorum ejus ſolvere. *Matth.* V, 15. Nec eſſe hoc ſaltem *Apoſtolis* dictum, *Paulus* clarè indicat 1. *Corinth.* XI, 26. quando idem illud fidelibus ſui temporis applicat: *Quotiescunque comederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis* USQUEDUM VENIAT, ſcilicet ad judicium ultimum. Itaque hoc Chriſtianus judicabit neceſſarium, quod Deus in verbo ſuo, præcepit, maximè cum in bonum fidelium hoc præceperit. Non major eſt injuria, quam ſpernere quæ in bonum noſtrum injuncta ſunt. Ideo etiam, inde ab initio Eccleſiæ, Chriſtiani ſeſe, ad frequentem communionem Euchariſticam, obligatos credebant. Sola corruptio, tum plebis, tum Cleri, intermiſſioni S. Cœnæ, in ſequioribus ſeculis, originem dedit; licet, vel in his, primò ut minimum *ter* in anno, tandemque ut ſaltem *ſemel* communicarent, injunctum fuerit in *Concilio Lateranenſi* III. ſub *Innocentio* III. A. C. 1215. Cap. 2. quoad *Lutherus*, in *præfatione* in *Catech. minorem*, ſuis ſuaſit, ut ad minimum *ſingulis trimeſtribus* hoc Sacramento uterentur. De quo loco *Lutheri* vide *Deylingii Prudent. Eccleſ.* pag. 457. In Eccleſia Romano-Catholica, hac de cauſa, etiam notabilis controverſia exorta inter *Jeſuitas* & *Janſeniſtas*, dum *Petrus* de *Sesmaiſon* S. J. in Libello de Quæſtione: *Sitne melius frequenter quam rarò S. Communionis in*

Eucharistia participem fieri, frequentem communionem, non ſolum ſingulis menſibus, ſed & ſingulis hebdomadibus inſtituendam, graviſſimè commendaverat, *Anton. Arnaldus*, Janſeniſmi Patronus, id potiùs agendum ſuaſit, ut homines ad veram pœnitentiam, vitæ morumque correctionem perducerentur, nec ad S. Communionem admitterentur niſi qui, ritè diſpoſiti, ſalutarem inde percipere poſſent fructum. Videatur *Ittigius* in *Heptade diſſertationum*, appendici diſſertationis *de Hæreſiarchis* &c. ſubnexa diſſert. IV. pag. 401.

§. II.

Obj. I. a) Si *objiciatur* ab illis, qui ſacris in communi, & Euchariſticis in ſpecie ſe ſubtrahunt, *eſſe ſe non paratos*, *ſancta ſanctis* tantum *competere*, *majorem* proinde, ad hujus Sacramenti uſum, *requiri ſanctificationem*, quam quidem in ſemet ipſis vel ſentiant, vel, poſt explorationem, agnoſcant, *Reſpondendum* erit 1) ſolos *canes*, qui mordent, & *porcos*, qui in Cœno ſe volutant, hujus ſancti indignos eſſe, & meritò removeri, ſi tales ſint, aut tales eſſe velint, judicent ſimul etiam, ſe vitæ æternæ indignos eſſe; audiant hi *Chryſoſtomi* ſententiam: *Imparatum accedere periculoſum eſt, omnino abſtinere famem cauſatur & mortem.* 2) Duplicem *indignitatem* eſſe, alteram *Legalem*, alteram *Evangelicam*; *illa* morbus eſt omnibus communis, à quo ſanamur per ſanguinem & Spiritum Chriſti, quique adeo potiùs per uſum S. Cœnæ, cum fide conjunctum, tollitur, *hæc* vero, nolle agnoſcere magnitudinem gratiæ; graviter illos errare qui dignitatem, hominis ad ſacram σύναξιν acceſſuri, *inde* ſaltem in conſummato fidei & charitatis robore, *hinc* in plena gratiæ fiducia & perſuaſione conſtituunt, quaſi, qui eò non pervenerit, citra ſui condemnationem non accedat, ſic enim propemodum nemo ad menſam ſacram appropinquare poſſet, *Chriſtus* autem non tantæ dignitatis conſcientiam, ſed potiùs ſerium ſuæ indignitatis ſenſum requirit, diſcipulos admiſit eadem illa nocte, qua *Chriſtum* deſerturi & abnegaturi erant, proin Satanæ cribro vicinos, certè non in ipſorum condemnationem, ſed in infirmorum ſolamen atque præmunitionem. Sic & *Paulus* admiſit *Corinthios*

Reſp. (margin, beside "vel, poſt explorationem")

1. *Corinth.*

1. *Corinth.* XI. qui tamen adhuc erant infantes in Chriſto, & hac ratione carnales 1. *Corinth.* III. Qui nimiùm ſcrupulis indulgent, &, ultra ſupinæ negligentiæ terminum, dehortationem Apoſtolicam 1. *Corinth.* XI, 27. 28. nimiùm extendunt, medicam S. Cœnæ virtutem, & quod, vulneribus ſuis, Chriſtus vulnera noſtra ſanet, atque infirmitates noſtras ſua paſſione tegat, non agnoſcunt. Id quod Deus cummaxime requirit fides eſt, & reſipiſcentia, & abſque his non magè qui à Sacramento abſtinet, quam qui eo utitur, Deo placere poteſt. Sic & 3) τὸ *non poſſe* vulgò obtenditur à talibus, cum τὸ *non velle* propriè in cauſa ſit. Deeſt illis, quod periculoſiſſimi ſtatus certum indicium eſt, fames & ſitis juſtitiæ Chriſti, qui hâc laborant, adeo non indigni ſunt, ut vel hi cummaxime ad convivium hocce ſpirituale invitentur *Jeſai.* LV, 1. 2.

b) Si obtendatur, *ſe necdum reconciliatos eſſe cum proximo*, Reſpondendum eſt; grave utique peccatum eſſe, in litibus verſari, & animo teneri irreconciliabili, vide *Cap.* VII. §. 30. ſed gravius multò, malle favore Dei, & hujus favoris ſigillis carere, quam ut, leviculæ offenſæ cauſa, gratiam proximo faciant; ſtudium pacis maturandum eſſe *Matth.* V, 23 - 25. De reliquis objectionibus & ſcrupulis videantur *Speneri Conſilia Theolog. German.* Cap. III. Artic. I. Sect. XXIV. Part. II. pag. 110 - 135. iisdemque de *frequenti communione* ibid. pag. 136. usque ad 142. & conferantur quæ diximus ſupra Cap. I. ab initio. Obj. 2. Reſp.

§. III.

Quibuscunque autem rationibus utatur paſtor, *nunquam* tamen eò usque progredietur, ut, per brachium ſeculare, *homines ad uſum S. Cœnæ cogat*, eosque, qui iſtiusmodi ſcrupulis laborant, *Magiſtratui deferat.* Ut enim totus Chriſtianismi cultus ſpontaneus eſſe debet, *Pſal.* CX, 3. ita hæc maximè mortis Chriſti memoria. Qui cogitur ad iſtiusmodi ſacra, ſine mente & voluntate actum peragit, in Chriſtum non credit, pignora ſacra odit, ſic Corpus Chriſti non diſcernit, adeoque cogitur ſaltem ad edendum ſuum judicium, id quod prolixè docuit *Fridemannus Bechmannus de officio Miniſtri circa S. Cœnam*, caſu XIX. Neminem vero ad hunc uſum cogere.

item *Böhmerus in Jure Parochiali* Sect. IV. Cap. I. §. 21. *Kortholt* in libro: *Der gezwungene Communicant*, *Brunnemannus* in *Jure Eccleſ.* Lib. I. Cap. 6. id quod hactenus obſervandum, quamdiu malum non latiùs ſerpit, ſi vero, per ſeparantes ſeſe à publico cœtu, & Sacramentorum uſu, etiam alii ſeducantur, & contagium hocce gregem propemodùm totum invadere poſſet, majori zelo offendiculo occurrendum erit, eſſentque tales Sacramentorum contemtores, poſt omnium graduum admonitionem, publice è Societate Eccleſiaſtica excludendi. Videatur *Joh. Schilterus* in *Inſtitutionibus Juris Canonici, ad Eccleſiæ veteris & hodiernæ ſtatum accomodatis* Lib. II. Tit. 3. §. 15.

§. IV.

b) Prudenter agere, tum quoad communionem privatam

Cum vero *contemtus* ſaltem damnet, *non privatio*, aliter omnino ſe geret paſtor erga illos, qui, præter ſuam culpam, impediuntur, quo minùs ad S. Cœnam accedere poſſint, quod cumprimis in iis Eccleſiis obſervandum, *ubi ægrotis* & *agonizantibus ſacra ſymbola, in ædibus privatis non porriguntur.* Optandum equidem eſſet, ut ſeſe nusquam magiſtratus Chriſtianus, vel miniſterium opponeret, quò minùs ſeriò deſiderantibus ſymbola ſacra porrigerentur, utque permitteret, ut de cœtu plures, in ædibus ægroti, conveniant, atque cum illo euchariſtiam celebrent, quia Apoſtoli etiam panem ſacrum euchariſticum in ædibus privatis fregêre; ſic &, in Eccleſia primitiva, poſt communionem publicam, panis conſecratus, per Diaconos, ad ægrotos allatus fuit, teſte *Juſtino* in *Apologia ſecunda.* Qui morbo affliguntur, ſigillis & confirmatione gratiæ maximè indigent, ipſeque quandoque uſus docet, quod euchariſtia ſingulari ſolatio piis ægrotis fuerit, usque eò ut non deſint exempla recuperatæ, per intimam mentis exhilarationem, priſtinæ valetudinis. Verbum illis non negatur, ergò & Sacramenta, verbo adjuncta, cum illis communicari poterunt. Scrupulo, de *opere operato*, & de euchariſtia tanquam *viatico*, occurri ſatis poterit, ut non opus ſit *uſum* tollere propter *abuſum.* Negata ægris euchariſtia, maximè his in oris, non tantum *adverſariis*, ſed & infirmioribus ex noſtris, gravi ſcandalo eſt, ut haud pauci,

Digitized by Google

pauci, hac una de cauſa, ad aliorum Eccleſiam tranſiverint. Interim, ubi id etiamnum, per ordinationes Eccleſiaſticas, & mandatum magiſtratus Chriſtiani. ægrotis in privatis ædibus negatur, ſi hac de cauſa angantur ægri, repreſentari à miniſtris poterit; quod, utut Sacramentum hoc ſuos uſus habeat, non ſit tamen illud cum ſalute abſolutè connexum, quod non ſalutem efficiat, non fidem infundat, quod inter cauſas atque inter media ſalutis, inter media iterum externa & interna magnum ſit diſcrimen, quod interna equidem media, fides & reſipiſcentia, gratiam DEI concilient, hæc vero externa eandem potiùs obſignent, jamque obſignatam illis fuiſſe hancce gratiam, durante ſanitate, per hanc eandem euchariſtiam, cujus memoria etiamnum animo eorum obverſari queat &c.

§. V.

Cum vero Sacramenta *ſigna* ſint *gratiæ*, tantum *regenitis* à DEO *promiſſa*, hincque irregeniti accipiant elementa quidem, non vero bona ſignata, & indignè comedentes edant ſibi potiùs judicium, nec magè illis hæc alimonia proſit, quam homini principis ſigillum à diplomate divulſum, quo vanè, & in ſui perniciem, de bonis in diplomate contentis gloriatur; cumque nec ſibi tantùm homo profanus eſu S. Cœnæ noceat, ſed etiam ſancta, ſacra publica, per illos, ſæpiùs haud parum profanentur, parumque fermenti maſſam facile inficiat, ira DEI etiam in negligentes jus atque judicium provocetur, hinc *miniſtri & Eccleſia de puritate cætus meritò ſoliciti* ſunt, & eos, qui ſub conditionibus in Verbo DEI injunctis, membra Eccleſiæ eſſe nolunt, à privilegiis ſui cœtus, & in ſpecie ab uſu S. Cœnæ excludunt, vi argumentorum, pondere ſimul & numero gravium, quæ 1. *Corinth* V. extant. Atque hujus ſtudii, puritatem ſacri cœtus conſervandi, pars potior miniſtris Eccleſiæ incumbit, ſed in illis limitibus, qui *Cap.* III. *De poteſtate miniſterii* exprimuntur. Quia vero, ab altera parte, perquam difficile, & ſæpiùs impoſſibile eſt, regenitos ab irregenitis diſcernere, ipſis etiam, ſi non irregenitis, ſaltem *infirmioribus fratribus*, qui pro talibus habentur, S. Cœna, pro medio gratiam, [margin: tum quoad admittendos & excludendos]

in legitimo uſu, per fidem & contritionem, obtinendi vel confirmandi inſervire poteſt; ſaltem *Chriſtus* disertè præcepit, ne zizanium, quod ſpeciem tritici, non fructum habet, evelleretur, vel hac de cauſa, quod ipſi tritico facile injuria fieri queat. Unde & *Chriſtus Judam* proditorem, infirmos *Apoſtolos*, *Petrum* etiam, ipſum eadem nocte abnegaturum, & *Paulus Corinthios*, ſic ſatis carnales, admisêre. Singulari hîc prudentia & cura paſtoribus opus eſt, ut inde quidem *non omnes*, ſine diſcrimine *admittantur*, hinc vero etiam ut *non protinùs omnes excludantur*, qui non luculenta regenerationis ſigna edunt, de quo poſtremo legi poteſt *Adrianus Pauli* in *ſcriptis Anti-Labadiſticis*. Officium igitur paſtoris eſt, ut à privilegiis Eccleſiæ, & ab uſu S. Cœnæ arceat eos, qui, vel per *graviores errores*, quos publicè profitentur, fundamentum fidei evertunt, vel, in vita, *gravibus facinoribus*, publicum Eccleſiæ ſcandalum dedêre, aut etiam, in *habitualibus peccatis* v. g. avaritia, ebrietate &c., impœnitentia contumaci, poſt omnes præmiſſas adhortationes, laborant. Tales enim publicè, per miniſtros, ſeparandos eſſe præcipitur *Jerem* XV, 19. ubi illi demum miniſtri, qui *educunt pretioſum à vili* (vox Hebraica tantùm de perſonis venit) ſunt tanquam *os DEI*, ſecernentis oves ab hircis, ſive conforme DEO ferunt judicium, confer *Ezech.* XIII, 19. 22. *Zach.* V, 3. *Matth.* VII, 6. Licet enim hic poſterior locus de Sacramentis non agat, in genere tamen oſtendit, quod ἀντιλέγοντες *canes*, & vitam publicè impuram gerentes *porci*, ante omnia à *fruitione* bonorum Evangelii, poſt etiam ab *oblatione* atque invitatione ad ea bona, & tandem etiam, niſi ceſſent oblatrare, à *notificatione myſteriorum* excludendi ſint. Quinam autem illi ſint, qui, ſub canum & porcorum nomine, ſic excludi debeant, id, inter alia, *agenda* noſtra *Palatina* prolixè referunt, ex quibus patet, quod non tantum adulteri & fornicatores, ſed etiam blaſphemi, idololatræ, perjuri, ſeditioſi, parentibus immorigeri, implacabiles, fures &c. non ſint admittendi, quibus etiam addi poterunt, qui in *illicito vocationis genere* verſantur, quamvis ex eorum numero, qui in *ludis ſcenicis* operam ſuam poſuêre, hinc inde quosdam ad S. Cœnam vel admitti, vel admiſſos fuiſſe, ex ob-

latis

latis eorum teſtimoniis ſæpè videatur, quod fieri tamen non debuiſſet, nam iſtiusmodi homines nonniſi poſt ſeriam ſtipulationem, miniſterio factam, ſe poſthæc aliud vitæ genus ſectaturos, ſunt admittendi. Ad quæſtionem: *An admittendi ſint, qui in lite coram magiſtratu verſantur?* videantur *Ordin. Mecklenburg:* ubi ejusmodi in lite verſantibus tres proponuntur quæſtiones
„1) Ob ſie in dem Proceſs Recht zu haben vermeynen? 2) Ob
„ſie dieſen Proceſs rechtmäſſiger Weiſe verfolgen wollen?
„3) Ob ſie ihre Sache GOtt und dem Recht befehlen, ohne
„Haſs der Perſon? *Eraſmi Sarcerii* Superintend. Mansfeldici *Concio de Reconciliatione*, *Kortholti Paſtor fidelis* p. 134. *Speneri Conſil. Theol German.* Part. II. p. 132. & quoad lites *in cauſa injuriarum. Idem: ibid* Part I. Cap. II. Artic. VI. Sect IX. Qui vero ſic legitimè excludendi ſunt, excludi etiam tam diu debent, quamdiu non modo non pœnitentiam egêre, ſed etiam quamdiu non factam pœnitentiam eſſe, vel Eccleſiæ, vel illis qui Eccleſiam repreſentant, teſtatum dedêre. Cum enim, ob ſcandalum datum, à communione reliquorum fuerint remoti, nonniſi poſt reparationem ſcandali recipi poterunt, quibus enim etiamnum videtur turpiùs eſſe peccatum confiteri, quam peccare, ii ſinceritatem ſuæ pœnitentiæ meritò dubiam reddunt. Imo, ſi ſcandalum grave fuerit, & animi levioris juſta detur miniſterio ſuſpicio, ne ſola quidem pœnitentiæ declaratio frigida ſufficit, ſed certum illis eſt conſtituendum tempus, ad experimentum capiendum, an ſeria ſit illorum pœnitentia; prorſus uti quondam in tribus maximè delictis, idololatria, homicidio & adulterio involuti, nonniſi poſt longam, & operoſiorem pœnitentiæ probationem recipiebantur. De quo videatur juſto tamen paulò rigidior *Tertullianus de pœnitentia*. & *Cyprianus* in *Epiſtolis* ipſius. Quid cenſendum ſit de *Trapezitis*, fœneratoribus, qui, & contra diſertas leges *Exod.* XXII, 25 *Levit.* XXV, 35. 36. *Deut.* XXIV, 10. *Pſal.* XV, 5. *Prov* XXVIII. 8. *Jerem.* XV, 10. *Luc* VI, 36. & contra exemplum *Nehemiæ* Cap. V, 7 10. pauperes nimiis uſuris premunt, videatur omnium inſtar *Voetius* in *Polit.* Eccleſ. Lib. II. Tr. II. c. 3.

Digitized by Google

§. VI.

Ita ut, hac in re, ſcrupulis conſcientiæ ſuæ occurrat.

Cum vero paſtor *nec cognoſcat omnes, nec valeat* etiam vel *facinoroſos omnes excludere*, hincque gravibus quandoque conſcientiæ ſcrupulis angatur, attendet ad ſequentia: In id 1.) ſeriò incumbet, ut ipſe, mediante Spiritus S., in arctiſſima, cum Servatore ſuo, communione vivat, cœnamque dominicam intus purè & ſanctè celebret, ne vel in ipſo graves & intolerabiles nævos cernat. 2) Ut, Spiritu roboris, charitatis & prudentiæ, qui hîc cummaxime neceſſarius eſt, præditus, non modo vocatis & fidelibus, ſingulari charitate, bona *Chriſti* offerat, ſed etiam apud profanos, inculpatâ vitâ, auctoritatem & reverentiam ſibi conciliet, atque ſic & illis, cum efficacia, perſuadeat, quid & illorum, & Eccleſiæ commodo ſit. 3) In id juxta elaborabit, ut etiam Presbyterium ipſius ex iſtiusmodi, pietate atque devotione, perſpicuis perſonis conſtet, ne ſenioribus ipſis, contemtui, ex levitate vitæ, obnoxiis, reverentia pereat. Tum 4) ſeriis ſimul atque perpetuis precibus, id efflagitabit à DEO, ut aream ſuam ipſemet purgare, mediaque ſuppeditare velit, quibus malum eliminetur, & peccatores convertantur, utque φρόνησιν ſimul & δύναμιν educendi pretioſum à vili largiatur. 5) Publicè & quavis data occaſione, pœnitentiæ & fidei neceſſitatem, ad legitimum S. Cœnæ uſum, commendabit, & quæ paupertas Spiritus, ex agnitione ſuæ miſeriæ, quis indignitatis ſuæ ſenſus, quæ fames atque ſitis ſit juſtitiæ Chriſti, quæ proin fides requiratur, ut, cum plena conſcientiæ tranquillatione, hoc ſanctiſſimo cibo, in quo ſe ipſum Chriſtus, ſuis tantum membris, in corporis ſui myſtici nutrimentum, præbet, veſci queant. Sed & 6) cum illis, qui ſcandalum dedêre, & quidem ſine reſpectu perſonarum, *privatim* antea aget, illisque, quantum non modo DEUM, ſed etiam Eccleſiam læſerint ſuo crimine, quamque neceſſe ſit, ut non modo ſuæ, ſed & totius Eccleſiæ puritati conſulant, proin non tantum pœnitentiam agant, ſed & actam declarent, ſpecialiùs indicabit, quamque præſtet, ut, citra pœnitentiæ teſtimonium, ultrò potiùs deſiſtant ab acceſſu ad ſacram ſynaxin, quam ut, non diſcernendo corpus Domini,

ſibi

Digitized by Google

ſibi judicium edant. Si vero pœnitentiam tales & agant, & miniſterio atque ſenioribus ingenuè declarent, non ſine contritionis ſalutaris teſtimoniis, ad ulteriora non progredietur, Phariſæorum inſtar, ſed, memor manſuetudinis Chriſti, qui peccatores in gratiam recepit, cum illis comedit, & nævos remiſit, ipſos ſolabitur, de gratia Chriſti certos reddet, fratres ad amorem enixum erga eos, etiam, ſi neceſſitas requirit, ad ſilentium exhortabitur, ipſisque S. Cœnam ultrò offeret, poteritque, data occaſione, vel publice, ipſorum pœnitentia laudari. Si vero 7) monitis paſtorum parere nolint, aut in impœnitentia contumaces hæreant, caſum paſtor deferet vel ad Eccleſiam, vel ad ſuperiores, ut iſtiusmodi contumaces, auctoritate vel omnium, vel etiam magiſtratus, ab uſu S. Cœnæ excludantur; ſicuti publica ſcandaloſorum excluſio, his in oris, in ſolius paſtoris arbitrio poſita non eſt, *tum* quia paſtores, ſuis ſæpè indulgentes affectibus, mortuum dicunt quandoque, qui coram DEO vivit, *tum* quia ſecundum mores hodiernos, excluſio à S. Cœna cum infamia civili conjuncta eſt, quam inferre judicis eſt, non miniſtri; id quod tamen ita intelligendum, ut, ſi ad ſuperiores res, ob moræ periculum, deferri nequeat, e. g. Si quis, poſt concionem præparatoriam, fuerit ebrius, aut lites inceperit, ut, ſine ſcandalo, admitti nequeat, hoc caſu per paſtorem à S. Cœna ad interim ſuſpendi poterit. Quodſi vero 8) nec hac ratione finem ſuum poterit conſequi paſtor, ſcandala in publicum nota denuntiabit magiſtratui vel Eccleſiæ, pertinacem peccatorem ſeriò monebit, publicè teſtabitur ſe contumacia ipſius affligi, ipſum in periculo ſalutis evidenter verſari, maximè ſi abſque pœnitentia, ad hæc gratiæ divinæ ſigilla accedat, ubi ſibi judicium comedat, tum & familiarem cum illo converſationem, maximè ſpiritualem, vitabit, alios ut ipſum vitent monebit, etiam ab iſtiusmodi facinoroſis, tanquam à furibus, ſigilla gratiæ auferri magè, quam dari illis, publicè declarabit, & tum, cum longanimitate, converſionem ejus & exſpectabit, & eandem, in precibus DEO commendabit, quæ media, ubi cum charitate conjuncta ſunt, ſæpiùs meliorem effectum obtinent, quam violenta excluſio.

Digitized by Google

§. VII.

Tum 1) reſpectu illorum, de quorum delictis non ſufficienter conſtat.

Sic ſe res habet cum iis, de quorum delictis publicè conſtat. Alia vero ratio illorum eſt, qui *rumore* quodam *incerto* ſaltem, vel *unius* hominis *delatione* pro ſcandaloſis habentur. Iſtiusmodi rumor vulgaris, vel unius hominis teſtimonium, ſi modo qualemcunque ſpeciem habeat, anſam equidem præbere poterit ad inquirendum, num res ita ſe habeat *Luc.* XVI, 1. 1. *Corinth.* I, 11. & ad monendum, ne ſibi judicium edat; ſi vero, inveſtigatione adhibitâ, nihil certi appareat, delatus etiam factum neget conſtanter, ejus negatio incerto rumori, vel etiam delationi unius hominis eò usque præferenda eſt, ut non modo non arcendus, ſed nequidem ſuſpendendus ſit ab uſu S. Cœnæ. 1) Quia DEUS ſerio prohibuit, ne præſumtionibus nudis, vel unico tantum teſtimonio fides habeatur. *Deut.* XIX, 15. 2) Quia charitatis eſt tegere potiùs, quam exaggerare peccata. 1. *Corinth* XIII, 7. 1. *Petr.* IV, 8. 3) Quia ex ſermonibus hominis ipſe juſtificandus & accuſandus eſt. *Matth.* XII, 37. 4) Quia ſic involaret miniſter in jus DEI, qui ſolus occulta in publicum producet. *Rom.* II, 16.

& ſi delictum in ſinum paſtoris privatim committatur.

Si vero quis coram Eccleſiæ miniſtro fateatur delictum, quod coram judice negavit, is equidem monendus eſt, ne accedat ad S. σύναξιν, quia facti pertinax negatio coram judice, cum vera pœnitentia non conſiſtit. Cavebit tamen paſtor, ne in ipſius ſinum commiſſum factum aliis indicet, quia ſic omnis uſus ſui miniſterii, in tali caſu, ceſſaret. Videatur *Heideggeri Diſſert. de delatione delinquentium.*

item, ſi paſtor ipſe ab aliquo auditorum læſus fuerit.

Porro, *ſi ab aliquo* ex auditoribus *paſtor ipſe læſus* fuerit, hunc equidem, hac de cauſa, amicè monebit, læſionis gratiam, & remiſſionem ipſi ultrò offeret, ſi citra miniſterii ſui detrimentum id fieri poterit. Si vero nolit reconciliari, paſtor rem deferet ad ſuperiores, nec unquam propria auctoritate talem à S. Cœna excludet, poterit enim, ex affectu, pro impœnitente haberi qui talis non eſt, nec judicem in propria cauſa agere poterit.

Si quis publicis litibus, præter culpam, involvatur.

Ita porro non illi, *qui publicis litibus, præter ſuam culpam*, involvuntur, arcendi ſunt, modo animum ab odio & vindicta alienum & habeant, & declarent.

Si alienæ

Item, ſi *alienæ parochiæ membrum*, in noſtro cœtu, ad S. Cœ-

Digitized by Google

S. Cœnam accedere velit, in cauſam hujus tranſitus paſtor accurate inquiret: Si cauſa ſit odium erga paſtorem, contemtus donorum ejus, metus reprehenſionis, admitti non poterit. Sic enim eſſet ἀλλοτριοεπίσκοπος 1. *Petr.* IV, 15. non contentus ſuo canone & munere, quod DEUS ipſi concredidit. 1. *Petr.* V, 2. Sic turbaret ordinem à DEO inſtitutum, quo quis tenetur non deſerere ſuum cœtum *Hebr.* X, 25. atque ovem ab obedientia paſtori ſuo debita abſtraheret *Hebr.* XIII, 17. Quodſi tamen gravia ſcandala paſtoris auditorem moverent, vel tum etiam repreſentandum auditori eſſet, quod ſalutaris S. Cœnæ uſus non dependeat à dignitate miniſtri. Si vero *inſtet;* ſibi nec volenti ſcandalum illud vel tum cumprimis obverſari, præſtaret, ut tale ſcandalum præpoſitis indicaretur, qui vel, ſi verum ſcandalum præbeatur, id animadverterent debito more, vel infirmitati auditoris aliquid concederent, ſi modo cœtum orthodoxum, & vicinum non deſerat, quia diſtinctio parochiarum juris eſt humani, uſus vero S. Cœnæ juris divini, cui prius illud cedere debet. parochiæ membrum accedere velit.

§. VIII.

Non negabit etiam paſtor uſum S. Cœnæ *abſtemiis, qui à vini uſu abhorrent.* Præſtat in tali caſu, ut, ſi fieri queat, pauculas hi guttas vini percipiant, vel privatæ communioni, in qua aqua vino miſceatur, interſint. Potatio enim ſpiritualis etiam per ordinarium potum ſignificari & obſignari poterit. 1. *Corinth.* X, 3. 4. In iſtiusmodi circumſtantiis miſericordia quæritur, non ſacrificium. *Hoſ.* VI, 6. *Matth.* XII, 7. Tota Eccleſia vetus vinum aqua miſcuit, facit & hoc etiamnum *Eccleſia orientalis,* offerens communicantibus κρᾶμα, οἶνον ὕδατι κεκραμένον, *vinum aquâ mixtum.* Ita ſtatuitur, in horum gratiam, hoc etiamnum admitti poſſe, in agendis Norimbergenſibus. Videatur *Feblavius* ad *Chriſtoph. Angeli* librum *de ſtatu hodiernæ Eccleſiæ Græcæ* Cap. XXIII. 2) Ratione abſtemiorum.

§. IX.

§. IX.

3) Quoad ſurdos & mutos.

Jam & *ſurdis* atque *mutis*, omnium minime illis non negandus erit S. Cœnæ uſus, qui integris ſenſibus nati, de fide Chriſtiana informati, ad S. Cœnam admiſſi, uſum ſenſuum poſtea amisêre, certè hac de cauſa aliis non pejores *Exod.* IV, 11, atque in ſuæ conſcientiæ ſolamen gratiæ ſignis cumprimis egentes; imo nequidem illis omnibus, qui cum defectu horum ſenſuum in lucem editi fuêre, modo doloris de peccatis, & deſiderii ſalutis certa ſigna edant, id quod in iſtiusmodi hominibus, maximè Cœnam deſiderantibus, non infrequens eſt, qui nolunt fruſtrari illo bono, quod aliis dari obſervant, quique ex ſenſu miſeriæ ſuæ ſæpiùs vehementiùs evigilant quam alii, &, per extraordinariam operationem Spiritus, de neceſſitate credendi convinci poſſunt, cujus generis exempla plura extant in *Melanchtonis Conſiliis Theol.* Part. I. pag. 268. Sic nec *Phreneticei* omnes, ſine diſcrimine, excludi poſſunt, ſaltem non illi qui dilucida intervalla habent, quique in illis enixum deſiderium S. Cœnæ teſtantur, qui ordinem non turbant, nec indecorum aut faſtidioſum quid committunt. Quoad *Epilepticos* & *Leproſos*, præſtaret his S. Cœnam domi porrigere quam in Eccleſia.

§. X.

4) Quoad eos, quorum demerita pœna remittitur à magiſtratu.

Si quis ſit, qui *grave ſcelus commiſit*, & *cui* à Magiſtratu vel *pœna ordinaria remittitur*, vel *levior infligitur*, non illicò is ad S. Cœnam admittendus eſt; per ſententiam enim Magiſtratus jus tertii non tollitur in illam perſonam, ſed ut is Deo ſatisfacere debet per pœnitentiam atque fidem, ita etiam Eccleſiæ, cui ſcandalum dedit, per deprecationem publicam, vel in Eccleſia, vel coram illis qui Eccleſiam repræſentant, præſtitam, idque poſt aliquod tempus, & data interea ſeriæ pœnitentiæ ſigna.

§. XI.

Ut c) in numero communicantium ipſemet

In numero communicantium offerens etiam Miniſter frequenter comparebit, ſeque conteſſeratione S. Cœnæ etiam ovem cum reliquis eſſe oſtendet. Ipſe Chriſtus Cœnâ hac cum Apoſtolis

uſus

Digitized by Google

uſus eſt. *Matth.* XXVI, 29. atque ut Apoſtoli id faciant, quod ipſe fecit, proinde etiam edant, panem S. bibantque è poculo S. juſſit. 1. *Corinth.* XI, 24. Sicut &, in Eccleſia primitiva, qui offerentium non communicabant, per conſtitutiones Apoſtolicas, & iterata decreta variorum Conciliorum, deponebantur, eſtque etiam æquum prorſus, ut ſemet ipſum, efficacia illorum argumentorum, quibus frequentiam communionis auditoribus ſuis commendat, convictum eſſe oſtendat. Hoc tamen eò usque extendi non debet, ac ſi non, una alterave vice, interiorem Cœnam cum Chriſto celebrans, ab hac actione exteriore, citra grave peccatum, deſiſtere queat. Non deſunt etiam, qui vel integris ſcriptis evincere voluêre, Chriſtum incœnatum fuiſſe. Saltem Euchariſtia ad ægrotos delata, ægrotis tantum, non paſtoribus, fuit oblata. Si *offerens* etiam *ſolus* ſit, ipſe ſibi panem atque vinum ſine ſcrupulo, in Eccleſia porriget. An vero etiam privatim, in caſu gravioris morbi, ubi paſtor alius haberi nequit, ipſe ſibi Euchariſtiam adminiſtrare queat? cum nec mandatum, nec exemplum extet, ſit in medio; affirmat tamen id *Andreas Prucknerus*, Theologus Suinfurtenſis, in *Caſibus Conſcientiæ Quæſt.* 69.

pastor frequenter compareat.

§. XII.

Cumque, in numero communicantium, *peregrini* ſæpè appareant, nec hi, etiam in noſtris Eccleſiis, admittuntur, niſi vel teſtimoniis idoneis inſtructi ſint, in quibus ut veritati magè litetur optandum foret, quia cæteroquin paſtores non minus quam recipientes decipiunt, vel, ex inſtituto colloquio, judicium, de religione & animæ ſtatu, formetur. Nec inutile etiam foret, ſi, pro more Veterum, ſaltem in majoribus civitatibus, *matriculam communicantium* haberet paſtor, quomodo nemo, ſine ipſius præſcitu, Sacramenti hujus particeps redderetur, & paſtor, ex frequentia vel infrequentia communionis, de ſtatu animæ auditorum ſuorum qualecunque judicium formare poſſet.

d) Ut caute agat cum peregrinis.

§. XIII.

Obſervationes de tempore, die & hora adminiſtrandæ S. Cœnæ.

Quo *tempore*, *die*, *hora* adminiſtranda ſit S. Cœna nihil ſtatuit Chriſtus, modo ut *frequenter* fiat voluit. 1. *Corinth.* XI, 24. 25. 26. Ex *praxi primitivæ Eccleſiæ* apparet, quod communicaverint *quotidie Actor.* II, 42. 46. quoties, ad cultus ſacri partes exercendas, convenerant Chriſtiani *Actor.* XX, 7. idque ſine *diei* vel *noctis* diſcrimine, confer *Actor.* II, 42. 46. XX, 7. ſicuti & *Chriſtus* ipſe *nocte*, & quidem *profunda* hanc Cœnam S. inſtituerat. *Matth* XXVI, 20. 1. *Corinth.* XI, 23. *Luc.* XXII, 20. atque epulæ illæ, quas Corinthii Sacramento hoc conſignabant δεῖπνον *Cœna* dicuntur 1. *Corinth.* XI, 20. 21. Teſte *Juſtino Martyre* Apolog II. ſingulis *diebus Dominicis*, & quidem *temporibus* etiam *antelucanis*, ut *Tertullianus* de *Coron.* Milit. Cap III. tradit, ſive tum *manè*, tum *veſperi*, ut *Cyprianus Epiſt.* 63. ſcribit, Euchariſtiæ Sacramentum celebratum fuit. Ita *Auguſtinus* Tract. „ XXVI. *in Joh.* de praxi ſuæ ætatis: Sacramentum (Corporis „ & Sanguinis Chriſti) alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum, in Dominica menſa præparatur, & de Dominica menſa ſumitur. Apud *Orientales* diverſitas, ratione temporis, aliquantò major erat; cum apud cœtus quosdam communio quotidiana, in quibusdam vero die Dominico, feriâ quartâ, ſextâ & ſabbatho, in uſu fuerit. Vid. *Euſebius Demonſtr. Evangel.* Lib. I. Cap. X. & *Baſilii Epiſt.* 289. ad *Cæſaream Patriciam.* Ex primis, de hoc argumento, legibus illæ ſunt, quæ *Communionem veſpertinam* abrogabant. Ita enim jam A. C. 397. *Concilium Carthaginenſe* III. §. 48. edixerat: *Ut Sacramenta Altaris nonniſi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario, quo Cœna Domini*, (id eſt, S. Cœnæ inſtitutio) *celebratur.* Poſtea vero *Monachis* & *Clero* vel quotidiana, vel Dominica ſaltem communio injuncta, de *laicis* autem, in *Concilio Turonenſi* III. A. C. 800. ſancitum fuit, *ut, ſi non frequentiùs, ter ſaltem in anno communicarent.* Labente dein, per univerſum orbem, religionis ſtudio, cum rarior in dies fieret uſus communionis, in *Concilio Lateranenſi.* A. C. 1215. ſub *Innocentio* III ſingulis fidelibus mandatum eſt, ut *ſemel ſaltem in anno* peccata ſua con-

fitean-

Digitized by Google

fiteantur, & in paſchate ſacrâ communione reficiantur. *Tridentini* equidem *Seſſione* XXII. Cap VI. optare videntur, ut *in ſingulis miſſis fideles adſtantes*, non ſolum ſpirituali affectu, ſed *ſacramentali* etiam *Eucbariſtiæ perceptione communicarent*, interim tamen etiam miſſas illas, in quibus *ſolus ſacerdos* ſacramentaliter communicat non tantum ferunt aut tolerant, ſed probant, commendant, &, *Seſſione eadem*, *Canone* VIII. ſub anathemate ſanciunt. Videatur de his *Job. Jacobi* Hottingeri doctiſſima *diatribe Theologica* de *frequenti communione.*

§. XIV.

Quo vero major homines *tepor* occupat, ut vel meliores, non ſine multo tædio, aut neglectu, circa hoc argumentum laborent, eò majorem curam impendet paſtor, ut Sacramentum hoc ab omnibus, *omni qua par eſt veneratione*, & hinc *cum fructu* ſingulari percipiatur, gnarus quod vel dignorum indigna tamen ſic facile eſſe queat manducatio, hinc & in concionibus publicis, maximè præparatoriis, & in colloquiis privatis, in id juxta intendet, ut *rectè præparati* ad hoc convivium accedant 1. *Corinth.* XI, 28. In hunc finem opus erit a) ut fœdus gratiæ cum Deo in Chriſto erectum, *quidque* non modo *Chriſtus pro ipſis* fuerit, qua ratione ipſorum Prophetam, Regem, maximum Sacerdotem egerit; ſed etiam *ad quid ipſi* viciſſim *ſeſe obligarint*, perſpectum & exploratum habeant. b) Ut, quantum fieri poterit, peccata omnia, corde, ore, opere perpetrata, ſibi in memoriam vocent. Hoc autem conſcientiæ ſuæ examen non eò tendit, ut quis omnes & ſingulos actus peccaminoſos, in mentem, ſibi ob oculos ponat, quod prorſus impoſſibile eſt, *Pſal.* XIX, 13. ſed ut potius omnium & ſpecierum in communi, rationis quorundam ſpecialis, ſi ſcienter *Luc.* XII. 47. ſi voluntario *Pſal.* XIX, 14. ſi adverſus remorſus conſcientiæ *Rom* II, 15. ſi adverſus nova propoſita talia commiſerint, recordentur, id quod ad pœnitentiam magè requiritur, dum ſpecierum illarum iterati actus tantum ſpeciales peccati aggravationes ſunt. c) Ut communicaturi hæc ingenuè Deo confiteantur, cum abnegatione & judicio ſui. *Hoſ.* XIV, 2. 3. 4. *Prov.* XXVIII, 13. *Job.*

Curabit e) ut communicaturi rectè præparati accedant.

XXXIII, 26. 27. *Jerem.* III, 12. 13. Ut d) ob commiſſa illa peccata intimè & ſeriò doleant, & ita quidem, ut ex dolore & lacrymis non faciant actum ſolennitatis & cæremonialem, nec ea deteſtentur tantum ex metu pœnæ, ſed ob turpitudinem peccati, violationem ſanctiſſimæ legis, & offenſionem Numinis optimi, uti quidem vera contritio non legis, ſed Evangelii eſt; *Actor.* XVII, 30. utque ea confeſſio fluat ex corde verè contrito, quod à Deo iterum iterumque petendum, quoad fidelis hujus contriti cordis gratiam obtinuerit, in quem finem etiam mors Domini ita eſt commemoranda, ut ſeriò paſſiones Domini conſiderent, quippe quæ rectè conſideratæ, cor hominis ita conterent, ut Corpus Chriſti fractum fuit. 1. *Petr.* IV, 1. *Pſal.* LI, 9-14. Porro, ut e) non modo ſciant, & pro veris habeant, quæ de reconciliatione hominum, per paſſionem Chriſti, in ſacris literis dicuntur; ſed ut etiam eſuriant & ſitiant juſtitiam Chriſti *Matth.* V, 6. quæ fides ſeſe, ut ſemper, ita cumprimis in hac actione vivam demonſtrare debet. Videatur *Voetii* diſſert. de *praxi fidei.* Tom. II. diſput. Select. pag. 497. ſeqq. Accedat f) etiam ſerium deſiderium, firmum animi propoſitum, ſtudiumque, in omnibus vitam ſuam inſtituendi, & ſeſe componendi ad voluntatem Domini *Pſal.* CXIX, 106. hincque ea, quæ illi adverſantur diligenter evitandi, carnem cum ſuis concupiſcentiis cruci affigendi, cujus ſtudii initia hæc ſunt, ſi tam ſeriò inimicis ignoſcunt, ac ſibi peccata à Deo remitti petunt, ſi promta mente ſe, cum ſuis bonis, ita fratribus addicunt, ſicuti Chriſtus corpus ſuum & animam pro nobis obtulit, quippe quod ex primariis S. Cœnæ ſcopis eſt, ideo ſimul à Chriſto inſtitutæ, ut, ſuo exemplo, nos jugiter moneat, nos & noſtra in ſalutem proximi impendere, ſicuti ex præmiſſo, ante Euchariſtiam, ſermone *Joh.* XV. patet. Cumque viva mortis Chriſti memoria primarium ſcopum conficiat, g) ſolicitè cavendum, ne mortis illius hæc *commemoratio* tantum *theoretica* & hiſtorica ſit, quam ſi voluiſſet Chriſtus potiùs vel crucem, vel ſepulchrum quoddam oculis noſtris propoſuiſſet; ſed maximè *practica*, experimentalis, & ipſa beneficia nobis applicans, unde Chriſtus pane & vino, pro ſymbolis ſuæ mortis, utebatur, adeo,

adeoque rebus, quæ in ipſam ſubſtantiam noſtram convertuntur. Hinc, ut fructum, ex Euchariſtia, debitum conſequamur, conſideranda illa eſt tum ut *ſpiritualis medicina*, quæ, per vivam paſſionis Chriſti applicationem, reliquias corruptionis ſanat; tum ut ſpiritualis *cibus* ad confirmandas gratias habituales infirmas, vireſque earum reſarciendas, quas ſolùm per fidem in Chriſtum, ejusque crucem redintegramus; tum ut *balſamus* ad conſolationem cordis afflicti, unde & ſcrupuli, qui certitudini noſtræ ſalutis obſtant, cum ſigillis gratiæ hiſce, in morte Chriſti oblatæ, conferendi ſunt. Tandem etiam h) paſtor jubebit, ut mentem & corda ſurſùm elevent, ubi Chriſtus eſt, cogitentque quod aquilarum hoc, non graculorum feſtum ſit; ut in id juxta laborent, ut oculus per ſigna hæc cor afficiat deſiderio, & amore rei ſignatæ, ut proin nihil niſi Chriſtum, & mortem Chriſti ſibi repreſentent, ut ſibi caveant ab injuſta communicantium fratrum cenſura, cogitentque, ut ſemper ita hic cummaximè, non perſpicillis, quibus alios, etiam eminùs; ſed ſpeculis, quibus nosmet ipſos intueamur, opus eſſe, injunctam eſſe explorationem ſui ipſius, agnoſcendum, cum centurione, nec nos dignos eſſe, qui ad Chriſtum accedant, nec ad quos Chriſtus adeat. *Luc.* VII, 6. 7. jamque tempus eſſe, ut ipſi mundo, & mundus ipſis cruci affixus ſit.

§. XV.

In *ipſa* vero *actione*, circa materiam & formam nihil mutabit, *ab inſtitutione divina*, quantum fieri poteſt, *ne latum* quidem *unguem diſcedet* paſtor, curabitque ut nihil deſideretur, quod, ſecundum illam, imperatis à Chriſto actionibus obſervandis, & beneficiis cœleſtibus, per externa hæc ſymbola, recolendis aptum eſt. Hinc *panem* communicaturis dabit *verum* & *naturalem*, ex puriore ſed alimentaria tamen farina, & maſſa confectum, his in oris *fermentatum*, quem tantò lubentiùs retinemus, quod conveniat cum praxi purioris Eccleſiæ, & cum ſignificatione myſterii, licet diſcrepet ab inſtituto illorum, qui, in erroris ſui defenſionem, *hoſtias* invenêre. Interim condemnare nolumus Eccleſias, quæ *pane azymo* utuntur, ex praxeos

ut f) ipſemet, in ipſa adminiſtratione quoad eſſentialia, inſtitutioni inhæreat divinæ

Chriſti & *Apoſtolorum* diverſitate, de utendi indifferentia convicti, nam *Chriſtus*, ex temporis ratione, *azymum*, *Apoſtoli* vero, ex loci opportunitate, *fermentum* adhibuêre. Videatur *Diſſert. Wolfii*, Tigurini, de *pane azymo.* Sic &, an panis ille ex *tritico* ſit, an ex *ſiligine*, nihil ad rem facit. Vitanda in his profana equidem, & ex contemtu orta negligentia, ſed & nimia, in externis, ſuperſtitio. Pani dein etiam adjunget *vinum.* Poſtulat hoc inſtitutio S. Cœnæ, & praxis primitivæ Eccleſiæ. Sæpius equidem, à primis ſeculis, mutilatio Cœnæ Dominicæ, tum per hæreticos, tum per alios ſuperſtitioſos homines, tentata, nunquam tamen, Doctoribus orthodoxis reſiſtentibus, durabilis fuit. Cumque nonnulli non equidem calicem auferebant, ſed panem vino ſaltem intinctum, pro complemento communionis, porrigebant, *Julius* I. Pontif. Rom. *de Conſecr.* diſt. 2. cap. 7. can. *cum omne*, contra inſtitutionem Chriſti, contra Apoſtolicam & Evangelicam doctrinam hæc fieri graviter conqueſtus eſt, &, ut *utraque ſpecies panis* & *vini* diſtinctè exhibeatur, mandavit, qui canon *Julii*, in *Concilio Bracarenſi* A. C. 675. iisdem fere verbis renovatus fuit. Videatur de his *Diſſert.* Hiſtor. Theol. *de fatis calicis Eucharistici,* ſub præſidio *Joh. Andr. Schmidii* 1708. habita.

§. XVI.

quoad ritus autem, & accidentalia tum eandem inſtitutionem

Ritus adminiſtrationis in *locis Theologicis* explicantur. Id ſaltem notamus, quod, poſt acceptionem & benedictionem *panis*, *fractio* non ſit ritus adiaphorus, *tum* quia, ipſis Apoſtolis indicantibus, etiam Corpus Chriſti fractum fuit, *tum* quia totum in partes, etiam viſibiliter, erat diſtinguendum, ut de uno omnes pane communicantes, unius etiam Corporis Chriſti participes ſe eſſe ſciant De *quanto* autem *panis* & *vini* hoc obſervandum; non eſſe illud tantum ut homines hinc ſaturandi ſint; ſaturatis enim Apoſtolis, poſt convivium paſchale, fragmenta panis Chriſtus ipſe dedit. Interim tamen etiam nec tam minuta erunt fruſta, ut micis ſint ſimiliora, quam mediocribus buccellis, eſus enim analogia obſervanda & retinenda eſt. Videantur ad hæc *Joh. Hoornbeek Miſcell.* Lib. I. Cap. 20. *Basnage* in *Præfat.*

ad

Digitized by Google

ad *Theſaurum Monum. Eccleſ.* Cap. VII. *Joh. Doughteius* de *Calicibus Veterum.* Sic & in reliquis actionibus inſtitutionem, in accidentalibus vero, atque humano conſilio introductis ritibus, cujusque loci conſuetudinem ſequetur paſtor, nec ab illa, vel obtentu libertatis Chriſtianæ, vel quod alibi rem aliter, & ſuo judicio melius inſtitutam viderit, facile recedet, quippe quod in ſcandalum infirmorum, in contemtum ἐυταξίας, aut ex animo contendendi, aut ex ſuperſtitioſa timiditate fieret. Omnis, in ritibus publicè introductis, mutatio periculoſa eſt, cumprimis ſi non omnia & ſingula membra Eccleſiæ in iſtiusmodi mutationem conſentiant. *Formulam* etiam, vel ex *inſtitutione*, vel ex *explicatione Pauli* 1. *Corinth.* XI, 23. ſeqq. qua, poſtquam eam *Melanchton* commendaverat, in Eccleſiis noſtris utimur, *clarè* & *perſpicuè præleget*, ut & ſic de ſcopo actionis hujus ſacræ informentur communicantes, atque paſtoris ipſius ſancta animi devotio atque intentio, per externam actionem, conſpicua reddatur. In genere in id incumbet ut Euchariſtia S. *decenter* & *devotè* à quibuslibet recipiatur, ne infirmioribus offendiculum præbeatur. Hinc plures, per hiſtoriam Eccleſiaſticam, hac de re extant leges, e. g. de ſervando jejunio, veſtium munditie, de abſtinentia conjugali illo tempore, de vitando omni luxu, item ut nemo gladiatus, ſed palliatus accedat &c. Videantur *Beyeri Obſerv.* ad *Carpzovium.* Cumprimis, inde à primis temporibus, ſolicitè cavebant, ne *de ſymbolis conſecratis* aliquid *in terram decidat*, atque vel calix vel panis in terram decutiatur. Vid. *Tertullianus* Cap. III. de *Corona Milit.* Sic & anxiè curabit paſtor, ne profanetur actio illa per alios; ne quis Euchariſtiâ, ad *magicas ſuperſtitiones* abutatur, ne *per Sacramentum* temerè, & in ſermone quotidiano *juretur*; itidem, ne *criminis purgandi cauſa* Euchariſtia ſumatur, id quod ante plura etiam ſecula factum fuiſſe, docet *Joh.* Mabillon in *Annalibus Benedictinorum.* Tom. III. fol. 151. 152 & paſſim, verbo; ut non recedatur à *vero fine*, qui eſt fidei confirmatio & incrementum, per commemorationem practicam, & applicationem ſeriam mortis Chriſti.

tum conſuetudinem loci & Eccleſiæ ſuæ ſequatur.

§. XVII.

§. XVII.

at g) denique curet eos, qui nimiùm videntur angi

Quodſi in cœtu occurrant, *qui nimiùm videntur angi*, & tanto quandoque *metu corripi*, ut non ſine ſingulari tremore panem accipiant, & vel hac de cauſa quandoque vel ab omni, vel à frequentiore Cœnæ S. uſu deſiſtant, his paſtor ſequentia opponet: 1) Cauſam iſtiusmodi angoris fortè ex temperamento eſſe, ut ſplenetici facile & ſine cauſa anguntur. 2) Subeſſe etiam aliquando Diaboli aſtum, ut ab uſu Cœnæ S. homines retrahat. 3) Forſan in peccato, & propoſito peccandi etiam poſthæc illos hærere, ut mirum non ſit, ſi conſcientiâ terreantur. 4) *Indignitatem* tamen *legalem*, ut ſupra dictum, *ab Evangelica* probè *diſtinguendam* eſſe; metuere vel optimos ex conceptu quodam legali, quod majorem requiri putent perfectionem, quam quidem Chriſtus requiſivit; indignitatem legalem ſaltem tantò magè impellere ad Chriſtum, ejusque ſacrificium, nihil minus in fidelibus eſſe, quam indignitatem Evangelicam, hanc enim non aliam eſſe, niſi quando gratia Chriſti, & myſteria tanti Sacramenti petulanter contemnuntur. 5) *Petrum* etiam, ex indignitatis prætextu, recuſaſſe lotionem pedum, & metu fuiſſe correptum ſed & *Chriſtum* hac de cauſa reprehendiſſe *Petrum Joh.* XIII, 6. 6) Vocari ægrotos, non ſanos. 7) Jubere Chriſtum τὸ *edere* & *bibere*, non propter pietatem noſtram, ſed propter peccata in Chriſtum rejecta. 8) Hunc angorem ex ſenſu peccati eſſe poſſe, & illum ſæpè fructum eſſe ſalutarem S. Cœnæ; quo major enim dolor eſt de peccatis, eò ſincerior eſt pœnitentia. 9) Infantem cum metu equidem parentem offenſum primò adire, poſtea tantò majorem tamen gratiam conſequi, quod ipſe metus parenti placeat. Et tandem 10) ſæpe terret fideles relapſus in priora peccata, poſt uſum S. Cœnæ, idque triſtem omninò ſtatus ſui *ſuſpicionem* præbere poteſt fideli, ſed tamen *non infallibile ſignum*, quod enim DEUS iterum iterumque, in idem peccatum, lapſos in gratiam recipere nolit, ſi ſeriò reſipiſcant, nusquam indicatur.

Digitized by Google

Caput XIV.

De Cantionibus & Precibus Eccleſiaſticis.

Σύνοψις.

Cultus externi partes præcipuæ ſunt *cantica ſacra*, & *preces publicæ* §. I. Reſpectu *illorum* obſervari merentur a) initium, origo atque progreſſus in genere, b) ſpeciatim vero 1) Pſalmi Davidici §. II. III. 2) alia cantica ſacra à viris piis compoſita §. IV. 3) horum canticorum rectus & DEO placens uſus §. V. Ratione *harum* vero, 1) illarum neceſſitas & utilitas 2) recta conditio, 3) uſus precum extemporanearum & ſtatarum §. VI. a) Requiſita quoad ſtatas precum formulas §. VII. ut ſcilicet invocatio DEI fiat in Spiritu & Veritate §. VIII. attamen non ſine corporis humiliatione §. IX. per Spiritum gratiæ, precum & filiationis §. X.

§. I.

IN actibus cultus externi, qui ab hominibus DEO præſtantur, eminent *cantica ſacra*, & *preces publicæ*, quippe quibus acceptorum beneficiorum memoria, eorumque magnitudo & auctor celebratur, nova beneficia, & malorum, ſive imminentium, ſive præſentium, remotio expetuntur.

Cultus externi partes præcipuæ etiam ſunt

§. II.

Ratione *canticorum* paſtoris officium eſt, ut *primò* auditores ſuos ad laudes DEI, privatim & publicè, decantandas excitet, atque in hunc finem curabit, ut Juventus, in arte canendi, maturè informetur. Cultûs hocce genus antiquiſſimum eſt. Initium & origo ejus vel ad *Angelos* refertur ex *Job* XXXVIII, 4-7. Tota *Sacra Scriptura* V. T. vel *carminibus* conſtat, & certa ſyllabarum tum quantitate, tum numero, ut poſt *Philonem* de *vita ſolitaria*, & auctorem *libri* כוזרי *Coſri*, *Gomarus* atque *Buxtorffius* oſtendêre; vel *Rythmis*, ubi terminatio vocum ſibi ſimilis eſt,

א) Cantica ſacra, reſpectu quorum obſervantur a) Origo & progreſſus in genere.

eſt, vide *Geneſ.* IV, 23. 24. & *Cap.* VII. Hiſtoriam diluvii; vel in communi, ex *certo* quodam *genere muſico*, id quod apparet ut ex materiæ excellentia atque ſtyli ſublimitate, ita ex aptitudine ad modulationem, vocibus, cummaximè in ſcriptis non hiſtoricis, ita diſpoſitis, ut ad *melodiam* quandam redigi queant. Unde & *S. Scripturæ lectio*, inde ab initio, non ſine quadam cantillatione fiebat, ferturque *Proverbium* inter *Judæos*: *Quisquis legit ſine modulatione, & diſcit ſine cantu, de eo ſcriptum eſt: Dedi illis ſtatuta non bona*, ſcilicet quæ elabantur è memoria. Et licet, in lege Moſaica, nulla cantionum publicarum, in *tabernaculo* adhibitarum, mentio fiat, tubæ enim tantum ad convocationem pertinebant, & quæ de אבובא *Abubba*, ſive de *fiſtula Moſis* (unde illud *Horatii Satyr.* II, 1. de *Ambubajarum* collegiis natum esſe videtur, vid. *Buxtorff. Lexic. Talmud.* אבובא) dicuntur, figmenta redolent, niſi huc fortè pertineat *Pſal.* LXXXI, 4. 5; attamen poſtea DEUS clariſſimè, per Prophetas, *muſicam in templum* introduxit; vide 1. *Chron.* VI. (VII, 31. 32.), XV. (XVI.) XXV. (XXVI.), & quæ tum ſaltem à *Levitis* decantabantur in templo, ab *Iſraëlitis* etiam, partim *in templo*, ut in feſto hauſtionis aquarum, partim in *proceſſionibus* & itineribus *ad templum*, vel in *conviviis*, *ſacris* non minus, quam *vulgaribus*, *Matth.* XXVI, 30. *Amos.* V, 23. VI, 5. VIII, 3. 10. canebantur, hinc & tot *mandata* ad fideles directa *de pſallendo*, veluti *Pſal.* XXXIII. ubi & *mandatum* extat proferendi cantica nova, & omnis propemodum *materia* canticorum in compendio exhibetur, quæ erant *tum virtutes DEI*, *tum opera* & creationis & gubernationis divinæ, eorum itidem *cauſa*, *objectum ſpeciale*, quod eſt Eccleſia, *generale*, omnes ſcilicet hujus univerſi homines, porro *effectus*, ſive directio potens & cogitationum, & ſucceſſuum humanorum, ut tendunt & ad confuſionem eorum, qui à DEO recedunt, & ad conſolationem atque conſervationem illorum qui in DEUM ſperant; denique indicatur, quomodo ejusmodi canticorum *fructus* ſint fiducia, gaudium, & tantò ardentiores preces. Sic etiam in N. T. eadem injunguntur vide 1. *Cor.* XIV, 13. 26. inprimis *Coloſſ.* III, 16. ubi Apoſtolus hortatur, ut fideles ſemet ipſos *doceant Pſalmis*, ſive per inſtrumenta muſica, &

hymnis,

hymnis, ſive per adjectum inſtrumentis μέλος, numeris aptatum, & ᾠδαῖς *odis*, ſive, ſine organi ſono, atque concentu, voce concinna, cum harmonica modulatione reddita. Idque, (ut jam nihil dicamus de *ſacris gentilium*, eorumque more antiquiſſimo, quo, inter ſacrificia, DEOS ſuos, peculiaribus ac propriis canticis, DEOS propitios per κλητοὺς ὕμνους coluerunt, Vejoves autem, ſive læva numina per ὕμνους ἀποτροπαίους ſive carmina averruncalia à nocendo avocarunt, de quibus videantur *Joh. Phil. Pfeifferi* Theol. Profeſſ. Regiomont. *Antiquit. Græc. Gentil.* Lib. I. Cap. VII. & XXXIII. *Herm. Witſii Miſcell. Sacr.* Lib. I. Cap. I. §. 9.) inde ab initio, inter *Chriſtianos* fieri conſuevit, & *in Eccleſia*, & *extra illam.* Quoties convenêre *ad cultum divinum Pſalmos* habebant. 1. *Corinth.* XIV, 26. *Carmen Chriſto, quaſi DEO ſecum invicem dicebant, hymnosque canebant.* Videatur *Plinius* Lib. X. Epiſt. 97. & *Euſebius Hiſt. Eccleſ.* Lib III. cap. 33. & Lib. V. cap. 28. Huc etiam, à quibusdam, referuntur verba *Tertulliani* in *Apolog.* cap. 39: *Poſt aquam manualem & lumina, ut quisque de ſcripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium DEO canere.* Canticis ſacris etiam *inter* ipſa *opera* ſua utebantur. Ita *Hieronymus ad Marcellam Epiſt.* 17: *In Chriſti villa tota ruſticitas, &, extra Pſalmos, ſilentium eſt; quocunque te verteris, arator ſtivam tenens Allelujah decantat, ſudans meſſor Pſalmis ſe avocat, & curva attondens falce vinitor aliquid Davidicum canit.* Nec Pſalmorum uſu abſtinebant ipſi *reges.* Ita *Socrates Hiſt Eccleſ.* Lib VII cap. 22. de *Theodoſio* Juniore: *Ejus regia non diſſimilis fuit monaſterio; nam primo diluculo ille ipſe, cum ſororibus ſuis, hymnos alternatim decantavit.* Et revera etiam *ſingularis* in canticis *efficacia* eſt, & ad infigendum divina beneficia memoriæ, & ad pios motus excitandos in animo, idquod *Auguſtinus*, cum Baptiſmi Candidatus eſſet, his verbis expreſſit: „O quantum flevi in hymnis & canticis tuis, Eccleſiæ tuæ ſuaviter ſonantibus vocibus acriter „commotus! voces illæ influebant auribus meis, & loquebatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat in affectus pietatis, & bene mihi erat cum illis.„ Quodque, & in ſeculis ſequentibus, cantica ſacra, in Eccleſia Chriſtiana, uſitata fuerint,

rint, conſtat *tum* ex *libris hymnariis*, quando ſingulari circumſpectione hymni ſacri, adverſus aſtutiam hæreticorum, in propagandis hæreſibus per cantilenas, colligebantur. de quo videantur *Erneſt. Sal. Cyprianus in diſſert. de Propagat: Hæres: per cantilenas*, *Conr. Sam. Schurtzfleiſch in diſſert. de hymnis Vet. Eccleſiæ*, *Steph. le Moyne in variis ſacris* Tom. II. p. 1091. *tum* ex *ordinibus Eccleſiaſticis*, inter quos, etiam in *Conſtit. Apoſtol.* Lib. II. cap. 25. & in *Concilio Laodiceno* Canone XXI. & XXIV; etiam *Pſalmiſtæ* ſeu *cantores* recenſentur, vid. *Andr. Schmidius* in *diſſert.* de *cantoribus Vet. Eccleſiæ.* Sic Sæculo IV. ab *Ambroſio* & *Hilario* hymni fuere compoſiti. Cumque poſtea, maximè Sæculo VIII. *Clerus*, ut reliqua ſacra ita etiam cantiones ad ſe ſolum raperet, &, quod *Stephanus* II. *Pipino Galliæ regi* commendaverat, cantus Latini in cultum publicum introducerentur, *Waldenſes* primò, poſt etiam *Huſſitæ* plebi iterum cantiones in Eccleſiis conceſsêre, & Pſalmos compoſuêre, uti quidem ex *horum* cantionibus primæ Reformatorum ortum ſuum habuère, quæque, fatentibus ipſis adverſariis, operi Reformationis non parùm proficuæ fuêre. Canticis hiſce ſacris Reformatorum dein plura, noſtris temporibus, Spiritu admodum plena & efficaciſſima addita fuêre, qualia ſunt cantica *Neandri*, *Paſtoris* olim *Bremenſis*, itemque *Halenſia*, & quæ extant *im Davidiſchen Pſalter-Spiel der Kinder GOttes* &c. eſtque ſperandum, ſtudium hocce, DEUM canticis extollendi, in dies majora incrementa capturum, usquedum tandem DEO ſolenne ubique *Hallelujah!* dicatur *Apoc.* XIV. & XIX.

§. III.

B) Speciatim 1) Pſalmi Davidici.

Curabit autem *ſecundò* & *ſpeciatim* paſtor, ut DEI laudes frequenter decantentur ex *Pſalmis Davidicis*, huic regi à DEO inſpiratis, ut ſint *cantica* non tantum illius, ſed *totius Eccleſiæ.* Hinc etiam traditi fuêre למנצח id eſt, non tantum *præcentori*, ſed & *cuſtodi*, qui curet *ut maneant* לנצח *in Seculum*, & in omnem *perpetuitatem* Prævaluêre etiam non tantum in *ſacris publicis* V. T. *gaudiisque privatis Amos.* V, 23. VI, 5. ſed etiam in N. T. *Chriſtus* ipſe *canticum graduum* dicendo *Matth.* XXVI, 30.

Pſal.

Pſalmis, inter ſuos, divinam auctoritatem conciliavit. Eosdem *Paulus*, nec tantum in publicis, ſed etiam in privatis conventibus, fidelibus commendavit. *Epheſ.* V, 19. *Coloſſ.* III, 16. & omni proſperitatis tempore *Jacobus* Pſalmos canere juſſit. *Jacob.* V, 13. Sic & inter primos Chriſtianos ferè nemo erat, qui non Pſalmos Davidis memoriâ teneret. In conviviis Pſalmum CXXXIII., alia occaſione alios cantabant. Sic *Tertullianus de jejuniis: Vide, quam jucundum, habitare fratres in unum; hoc tu pſallere non facile noſti, niſi quo tempore cum compluribus cœnas.* Unde etiam Pſalmi, ſicuti quondam ab *Apollinari* in *ſermonem Græcum*, ita ab aliis in *alias linguas* fuêre *tranſlati*, &, cummaximè poſt Reformationem, ut canerentur in Eccleſia, in *Rythmos* converſi. Hoc inter *Gallos* labore functus fuit *Clemens Marot*, cubicularius regis *Franciſci* I., qui aliquot Pſalmos gallicè edidit, ea ſuavitate, ut, cum & *Claudius Gondimel*, muſicus, melos addidiſſet, ipſemet *Rex* eosdem frequentiùs cecinerit, ſicuti & de *Carolo* V. refertur, quod, pro oblatis ipſi XXX. Pſalmis 1000. Imperiales dono dederit. Inceptum hunc laborem continuavit *Beza*, quamvis nunc nova Galli utantur verſione, ægrè tamen in earum Eccleſias introductâ. In *Anglia* Pſalmos *Davidis*, publici cultûs ergo, in Rythmos redegêre *Thomas Sternhold*, *Henrici* VIII. & *Eduardi* VI. Cubicularius, qui XXXVII. priores rythmicè edidit, & *Joh Hopkins*, qui LXV. alios adjecit, reliquos addidit *Robertus Wiſedom.* Tales omnes deinde, uſus verſione *Hammondi*, correxit *Simon. Foord.* In *Belgicos rythmos* eosdem Pſalmos redegit *Petrus Dathenus*, qui Francothalenſis noſtræ Eccleſiæ aliquamdiu miniſter fuit, cujus labor in *Synodo Dordracena* confirmatus fuit. Rythmos *Germanicos* Pſalterii noſtri debemus *Ambroſio Lobwaſſero* Evangelico-Lutherano JCto & Profeſſori Regiomontano, opus præ aliis præſtans, & ad melos Gallorum adornatum. Interim tamen optandum eſt, & à Paſtore curandum, ut *ſelectus* inſtituatur, nec enim omnes omni tempori conveniunt, & quidam etiam, minùs rectè intellecti, pejus etiam applicati, plus deſtruunt quam ædificant. Unde operæ pretium eſſet, ut *ſenſus Pſalmorum*, maximè illorum, qui frequenter decantari ſolent, in con-

Digitized by Google

cionibus, vel alia data occaſione, explicentur, quia *myſteria*, in Pſalmis latentia, à pauciſſimis intelliguntur. Cumprimis autem ſenſus exponendus eſt illorum locorum, quorum abuſus metui poſſet v. g. in verſione rythmica *verſus ultimus Pſal.* XXV. Sic & voces obſoletæ, ex verſione Germanica, vel removendæ vel explicandæ eſſent. v. g *Pſal.* LI, 1. *mit deiner Gnaden unden.* Optandum porro, ut *verſiones* Pſalmorum *Rythmicæ à Luthero* elaboratæ, inter noſtros, non prorſus omitterentur, quippe qui ſenſum Pſalmorum ita reddidit, prout ſtatui credentium præſenti conveniunt; quomodo, inter alias verſiones, præſtantiſſimam & Spiritu plenam dedit *Pſalmi* XLVI. in cantico: *Ein veſte Burg iſt unſer GOtt*, quod ſæpè in *bellis*, ut vocantur, *religioſis* decantatum mirè mentes erexit, atque de præſentia auxilii divini confirmavit. Unde factum, ut indignatio hoſtium, ob hanc odam, creverit eò usque, ut Comes quidam, cum eam cantari audiret, dixerit: *Ich will helfen die Burg zerſchieſen, oder ich will nicht leben*, qui vero triduo poſt mortuus fuit, obſervante id Dn. *Andreæ* in *Diſſert.* ad hunc Pſalmum, de *Præſidio Eccleſiæ militantis.*

§. IV.

2) Alia cantica ſacra à viris piis compoſita.

Curabit *porrò* etiam paſtor, ut & *alia cantica*, à viris doctis piisque compoſita, in ſui cœtus notitiam veniant. Ipſæ viæ DEI docuêre, quod noluerit Eccleſiam ad ſolos Davidis Pſalmos adſtringi, cum, ex inſtinctu divino, ſub *initium* N. T., cantica varia prolata fuerint in cœtu, vel à *mulieribus* 1. *Corinth.* XIV, 26., ita ut hoc ſaltem ſenſu mulier in Eccleſia *prophetare* dicatur 1. *Cor.* XI, 5. prorſus ut olim *Prophetarum filii* canendo prophetabant. Sic habuit Eccleſia, ut ſupra §. 11. demonſtravimus, inde ab initio, qui, ad ædificationem, Pſalmos & Hymnos ſacros compoſuêre, atque hac de cauſa *Nepos* in Ægypto *Epiſcopus*, qui aliàs ob chiliasmum inviſus erat, *Pſalmis* tamen & *Hymnis* quamplurimis, in Eccleſiæ uſum, ab ipſo conſcriptis, piis admodum, & ab ipſo *Dionyſio Alexandrino*, teſte *Euſebio* Lib VII. c 24, laudatis, ſibi Eccleſiæ gratiam conciliavit, eratque inter crimina *Pauli Samoſateni*, quod *carmina Chriſto*

quaſi

Digitized by Google

quaſi DEO dicta, ut nova, *abrogaverit*. Sic & *Ambroſius*, quem & auctorem ferunt hymni notiſſimi: *Te Deum laudamus*, hymnos divinæ laudationis populo componens, perſecutionem *Juſtinæ Auguſtæ*, rerum novitate, leniit. Ita & *majores noſtri*, ex quo Chriſto nomen dedêre, carmina ſacra, patrio ſermone, condidêre, qualia exhibent *Hymnaria Francica*, *Anglo-Saxonica*. Poſtea, cum *Luthero*, etiam *Phil. Melanchton*, *Jonas*, *Paulus Speratus*, *Spenglerus*, alii, edidêre cantica, quæ Spiritus ubertate, vi verborum, rerum gravitate, mira ſuavitate temperata ſunt, quæque veteribus palmam dubiam reddunt, atque Reformationem haud parùm promovêre, ita ut *Adamus Contzenus* S. J. *Lib.* II. *Polit.* cap. 19. *Hymnos Lutheri plures*, tradat, *animas*, quam ſcripta & declamationes ejus, *occidiſſe*. Interim tamen in id invigilabit paſtor, *ne aliena*, *erronea*, *abſona*, *ſuperſtitioſa*, *jocoſa*, *turgida*, nimioque ornatu *inflata cantica* in Eccleſiam introducantur, ſed ut etiam, quæ canuntur, ſint ὡς λόγια Θεοῦ, mentemque Spiritus S. referant, & ad ædificationem faciant. Ita enim, jam inde ab initio, id ſibi negotii datum credidêre *hæretici*, ut, ſub *ſuavi melodia*, quos finxere errores populo propinarent. Videatur ſupra §. 11. laudata *Diſſertatio Cypriani* de *Propagat. Hæreſium per Cantilenas*. Atque ſic, vel in introductis in Eccleſiam canticis, duriores quasdam voces, ob abuſum inter profanos, omittere & corrigere præſtaret.

§. V.

Inprimis vero de *animo* ritè *informando* ſolicitus erit paſtor. Non vox, ſed votum; non muſica chordula, ſed cor; non clamor, ſed amor, clangit in aure Dei. Unde 1.) non permittet cantum nimis artificioſum, &, ut avium voces, delicatiorem, ſed qui gravitatem habeat, & aptus ſit ad animum, in cogitatione rei quæ cantatur, detinendum, & ex re magè quam ſono pios affectus excitandum. Hinc primitivæ cantiones ſimplici ſaltem vocis flexione, ad pronuntiationem magis, quam modulationem accedente, inſtituebantur. *Iſidorus de offic. divin.* Lib. I. Acceſſit equidem ab A. C. 666. ſub *Vitalliano* P. R. eodem illo, qui *ſacra* omnia nonniſi *latino idiomate* fieri voluit, (id

2) Horum
" canticorum
" rectus uſus

(id quod, ob anni *666.* numerum in voce λατεινος comprehenſum, collatum cum *Apocal.* XIII, 18. ominoſum quibusdam videbatur) *organorum uſus*; ſed cum *organica muſica* Prophetas auctores habuerit, nosque ita ſimus formati, ut, quæ phantaſiam modo grato afficiunt, etiam attentionem figant, faciantque rem altiùs ſubire animum, non putamus, quod is, ſine diſcrimine, improbari debeat, vitato ſaltem ſonorum molliori, & tantum non erodico fragmine, atque organorum multiplici ſtrepitu. *Apocal.* XVIII, 22. 2) Cantica hæc eò diriget, ut inter illa animus magè dirigatur, quam affectus moveatur, ut cantica doceant non minus quam moveant, ut ſic vel ipſum canticum ſit משכיל *Maskil* ſive *carmen erudiens Pſal.* XLVII, 8. Cum maximè vero 3) curabit, ut canant in gratia, vocibus, geſtibus decoris, animo ſereno, ſed maximè gratia Dei in Chriſto delibuto, ut lætitia canentis procedat à gratia Dei, & ex operatione Spiritus, cujus plectrum etiam noſtra lingua eſſe debet. *Epheſ.* V, 19. *Coloſſ.* III, 16. ut nec ad cantiones, ſine elevatione mentis ad Deum, accedant, ut omnia ſimul tandem dirigantur *in laudem Domini*, ut ſic, *canere Deo*, ſit illi omnem gloriam, cum cordis lætitia, aſſignare. Unde notanter *Concilium Carthaginenſe* IV. apud *Gratianum* P. 1. diſt. 33 cap. *Pſalmiſta*: *Vide ut, quod ore cantas, corde credas, &, quod corde credideris, operibus compleas.* Et ſicuti, qui cantica compoſuerunt, ſemet ipſos ad ea componenda excitarunt. *Pſal* XLI, 2. *Jud.* V, 1. ita 4) idem prorſus faciendum erit, ad canenda illa, à nobis *Pſal.* LVII, 8. 9. 10. & hinc, ut hoc cultus externi exercitium tantò fervidius ſit, in Eccleſia Iſraëlitica *antiphonæ* ortum habuêre, in quibus, *per choros*, in canendo ſibi ſucceſsêre. Hac de cauſa & verbo ענה *reſpondere*, cantus exprimitur *Numer.* XXI, 17 & Cantica quædam etiam נחילות *Nechiloth* dici ſolebant ab *hæreditaria ſucceſſione*, quia, per partes, ſibi ſuccedebant. Sic *Moſes*, *Iſraëlitæ*, *Mirjam*, & alii cecinêre *Exod.* XV. Et fortè hinc explicari poterit τὸ ער ועונה *Malach.* II. 12. quippe quæ voces, ſi conferantur cum *Pſal* XXVII. 8. 9. & CVIII, 2. 3. *Præcentorem* & *ſuccentorem*, ſive *excitantem* & *reſpondentem* indicare videntur. Ejusmodi antiphonæ etiam in Eccleſiam N. T. ſi non per *Ignatium*,

Digitized by Google

tium, teſte *Socrate* Lib. VI. Cap. 8. tamen per *Flavianum* Seculo IV. introductæ fuêre. Vid. CAVE *Hiſt. Liter Script. Eccleſ.* ad Secul. IV. Vol. I. pag. 277. *Edit. Baſil.* & non exigui uſus ſunt, quia, hac ratione, canentes & corda invicem firmabant ad Dei laudes, & conſenſum ſuum teſtabantur. Ratio, quam antiphonis hiſce opponit *Voetius* in *Polit. Eccleſ.* Part I. Lib. II. Tract II. Cap. 2. quaſi divulſio & diſtributio ſententiarum, " atque conceptuum, confuſionem gignat, ut non poſſint pre- " ces ex Spiritu fieri, aut nulla prorſus eſt, aut ſimul in tot Pſalmos, per choros alternatim decantatos, & in ipſum *carmen Chriſto quaſi Deo*, à Chriſtianis *invicem dictum* dirigitur.

§. VI.

Quod *publicas preces* attinet hodie proh dolor! magè quam unquam vel neglectas, vel ſaltem tepidas earum reſpectu urgebit paſtor, 1) ut fideles conveniant ad preces non minus quam ad conciones, orandi æque atque audiendi ſe fervidos oſtendant. Id poſtulat mandatum Dei *Pſal.* L, 15. ubi preces N. T. ſacrificiis Veterum opponuntur, tanquam pars eſſentialis cultûs. Unde *Eccleſia* N. T. *domus precum omnibus gentibus* dicitur *Jeſai.* LVI, 7. Et reverà, quicquid ulla ratione ad cultum ſpectat, preces in compendio exhibent, quippe quæ nominum & virtutum divinarum profeſſionem, indignitatis noſtræ confeſſionem, & peccatorum deprecationem continent, quibus quaſi, in publico, juſtificamus Dominum, ejusque judicia, miſericordiam illius imploramus, animæ & corporis neceſſitatem ei ita exponimus, ut exſuperantiam divitiarum, & benignitatis divinæ celebremus, etiam pro aliis noſmet interponendo latitudinem non noſtræ ſaltem, ſed & divinæ charitatis explicemus; votorum religione nos illi in poſterum obſtringamus, &, in omnibus, reſignationem in ejus voluntatem, cum agnitione omniſcientiæ, præſentiæ, potentiæ divinæ, teſtemur. Ineſt ſimul precibus, maximè publicis, vis quædam ſingularis, unde *Lucas Actor.* XII. 5. *Petrus equidem*, dicit, *ſervabatur in carcere, ſed Eccleſia aſſiduas*, pro eo, *ad Deum preces fecit*, quaſi diceret, fortiores vinculis hoſtium erant preces Eccleſiæ. Atque hinc

ב) Preces publicæ, ratione quarum indicantur 1) Neceſſitas

& utilitas

non modo fideles omnes, ſed maximè Apoſtoli & Miniſtri, Miniſterium precum, haud minus atque Sermonis S., ſibi competere judicarunt. *Actor.* VI, 4. & Eccleſia Chriſtiana, inde ab initio, ad preces magè quam conciones, teſte *Tertulliano*, in cœtum coivit. Urgebit autem 2) ut ad *preces* haſce conveniant *pura mente;* peccatores enim Deus non audit. *Job.* IX, 31. *Moabitæ clamantes* in tectum *aſcendunt* ad preces, ſed clamantes iterum *deſcendunt. Jeſai.* XVI, 12. ſi quid ſit mali in corde, vel optimi nihil ſibi polliceri poſſunt. *Pſal.* XLIV, 21. 22. Ita vero 3) *paſtor* cœtui, *fervidis precibus*, devota mente *præibit.* Præſtant equidem preces, ſine monitore, de pectore fuſæ, ſi cætera omnia, in cœtibus noſtris, ſe rectè haberent, quia juſtum eſt, ut, quæ nobis neceſſaria ſunt, non ex libris demum, ſed ex intimis cordis penetralibus, Deo proponamus, atque, ut filii cum Patre, loquamur abſque interpretibus, quia *preces extemporaneæ materiæ* propoſitæ melius *convenire* poſſunt, quomodo *Paulus* ipſe eandem voluit ſuarum precum materiam, quæ fuerat doctrinæ ipſius, ſicuti v. g. *Epheſ.* I, 17. 18. 19. in precibus illius *ſumma* occurrit *totius Epiſtolæ* ad *Epheſios*, in *tres* illas *partes* de excellentia magnitudinis potentiæ Dei in nobis, inde à Cap. I. ℣ 20. usque ad Cap. II, 10. de opibus gloriæ hæreditatis illius in ſanctis à Cap. II, 11.-III, 11. & abhinc de ſpe vocationis diſtinctæ. Sic & *tempori*, *loco*, reliquisque conditionibus, iſtiusmodi preces magè conveniunt; ſed & tum requiritur, ut *principium* orantis ſit *Spiritus filialis*, magis quam naturalis ratio, & ingenium, ille enim ſolus novit, quid precandum ſit ut oportet, & preces, in defectibus ſuis, advocati inſtar, ὑπερεντυγχάνων corrigit, ſicque *intercedit pro nobis. Rom.* VIII, 26. eſtque hic cum maximè *vitanda* omnis *ambitio*, quæ ex floſculis S. Scripturæ, ſitu verborum, ſpecie efficaciæ haberi aut quæri poſſet, quæ enim ex ambitione fluunt, vel fluere ſaltem judicantur, nec Deo nec hominibus placent. Requiritur porro, ut tam *clarè* & ſimpliciter, ſimulque tam *diſtinctè* omnia proponantur, ut vel rudiores, qui neſciunt orare, eadem tamen deſideria ad Deum proferre queant; ut vitetur omnis *prolixitas*, & nimia verborum multiplicatio atque βαττολογία, quæ precan-

2) Recta conditio.

3) Precum extemporanearum & ſtatarum uſus.

Digitized by Google

precantium fervorem, in auditorio, mirè imminuit, unde *Chryſoſtomo*, & *Veteribus*, *Chriſtus* judicatur, in *oratione Dominica*, non tantum *formulam*, ſed etiam *μέτρον ἐυχῆς menſuram precum* dediſſe, qua de cauſa etiam, in primis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, *breves* equidem, *ſed frequentes collectas*, ut loqui ſolebant, *ad Deum detulêre*, ut ſingulæ ad Deum deferendæ materiæ, novo quaſi Spiritûs fervore DEO proponantur. Unde cumprimis junioribus paſtoribus, niſi multum antea, de ſui ipſius & auditorii ſtatu, examen præceſſerit, iſtiusmodi proprio pectore fuſæ preces non videntur commendandæ, cummaxime cum & praxis, inde à primis temporibus, *ſtatas precum formulas* nobis ſiſtat. Ita voluit Deus ut ſtatis formulis uterentur *Iſraëlitæ* in *Confeſſionibus* ſuis in templo. *Deut.* XXVI, 3. ſeqq. *Sacerdotes* in *Benedictionibus*. *Numer.* VI, 24. 25. 26. Tales habuêre Miniſtri, ſic *Johannes* docuit ſuos orare *Luc.* XI, 1. pariter *Chriſtus Matth.* VI, 8-13. & *Luc.* XI, 2-4. ubi *oratio prior Matth.* VI. occurrit ceu pars concionis in monte *ad populum* latæ, anno Miniſterii Chriſti ſecundo, ut hic eâ *in cœtibus publicis* uti poſſet, ſicuti ex *clauſula* patet, cum è contrario eam, quæ *Luc.* XI. extat, anno Miniſterii tertio, *diſcipulis*, ut eâ *privatim* uterentur, præſcripſit. Hanc orationem ſaltem, ceu formulam precationis, inter Chriſtianos in uſu fuiſſe, patet ex *dialogo*, qui *Luciano* adſcribitur, & ſub titulo *Philopatris* in ejus dialogis extat, ubi illa *oda*, quæ *à Patre* incipit, celeberrima vocatur. Nec alia precatione *ante adminiſtrationem S. Cœnæ* Chriſtianos Seculi II. uſos fuiſſe, ex *Apologia* II. *Juſtini Martyris* conſtat. Sic & in *Eccleſia Judaica*, inde ab *Eſræ* temporibus ad noſtra usque tempora, ejusmodi ſtatis precum formulis, & quidem revera ſingularis efficaciæ, atque etiam talibus utuntur, quæ orationi Dominicæ conveniunt. Videatur *Wolfius* in *Curis Philolog.* ad *Matth.* VI, 8. *Seldenus* pag. 55. ad *Eutichii Annales* obſervat, *Judæis*, *Muhamedanis* & *Gentilibus*, certas precum formulas ad manum fuiſſe. Poſt *exceſſum Apoſtolorum* ſtatæ formulæ, à cujuslibet loci antiſtite, pro ſua ſapientia ſpirituali, fuſæ, dein in liturgias fuêre relatæ. Vid. *Binghami Orig.* ſive *Antiq. Eccleſ.* Lib. V. Cap. 7. §. 6. *Spanhemius* Tom. II. *Miſcell.*

Digitized by Google

pag. 927. Tales preces ſtatas ipſemet etiam *Conſtantinus* M. præſcripſit, teſte *Euſebio* Lib. III. Cap. 17. IV. Cap. 18. de *vita Conſtantini* M. ex quo tempore ſingulis Eccleſiis ſuæ Liturgiæ erant, non multùm à ſe invicem diſcrepantes, quibus, in ſacris publicis, conſtanter utebantur. Tales etiam, inde à *Reformatione*, primi Eccleſiarum Evangelicarum Doctores conſcripsêre, quibus hucusque, in Eccleſiis noſtris, utimur, & videtur omninò quod illorum uſus, in communi, & ſi non omnibus & ſingulis, ſaltem plerisque commendandus ſit. Quodſi enim unus vel alter fortè Spiritu precum polleat, plerique tamen hodie illo deſtituuntur, nec continent facile preces extemporaneæ, ſaltem multorum, id omne quod, hoc vel illo tempore, Deo proponendum eſſet, nec è re eſſe videtur, ut totum auditorium magis à vocibus iſtiusmodi paſtoris, nonnunquam imperiti, in precibus dependere cogatur, quam à præſcripta formula. Qui tepidi ſunt & profani, non minùs inter extemporaneas preces, maximè ſi prolixiores & confuſæ ſint, in tepore ſuo verſabuntur, quam inter ſtatas formulas. Sic & illud addendum, quod, hac ratione, nulla, in cultu publico, ſit uniformitas, quodque rudioribus, quibus cœtus noſtri referti ſunt, deſideria juſta, ejusmodi formulis iterum iterumque repetita, memoriæ tandem infigantur, ut ſaltem quæ publicè precantur, etiam privatim Deo proferre, in precibus ſuis, queant; de quibus *precibus* fidelium *privatis* obſervamus, quod præſtet *ex Spiritu* quam *ex libris* orare, ut oratio ſit agnitio noſtræ indigentiæ, ex interiori ſenſu & deſiderio excitata, utque auditores ad ſuſpiria & ſic dictas *preces ejaculatorias* (kurtze Stoſs-Gebätere) aſſueſiant, commendari videntur formulæ precum, ſingularis efficaciæ, ex Verbo Dei, quæ occurrunt in *Johannis Arndii* Paradies-Gärtlein. Forte & hoc, quod ſcilicet de formulis precum ſtatis monuimus, in illa regula communi *Pauli* commendatur 1. *Corinth.* XIV, 40. maximè cum, an ſtatis formulis utendum ſit in cœtu publico, an, ſine monitore, de pectore, ſed ſoliùs paſtoris, precandum ſit? Lege nulla injunctum cernimus. Sic enim *decenter* fit, quod à praxi ferè continua Eccleſiæ non recedit, uti *contra naturam* eſſe dicitur quod *contra conſuetudinem* eſt 1. *Corinth.*

Timth. XI, 14. & ſic κατὰ τάξιν fit in quibus etiam Conſtitutiones Eccleſiaſticas ſequimur. Scrupulo illi, quod *preces ordinariæ & ſtatæ non cuilibet tempori conveniant*, facile occurri poterit *inſtituto Judæorum*, qui notanter preces diſtinxêre in eas quæ celebrant *laudes Dei in communi*, & quæ *neceſſitates ſingulares* ad Deum deferunt, & *illas* equidem voluêre *ſtatas*, *has* autem, per modum ſacrificii voluntarii נדבה, ex arbitrio præpoſitorum adjectas. Ita *vel* in *concione*, cui ſuſpiria immiſcere & attentionem & devotionem auget, *vel* in *ſtatis precibus* ipſis ea, quæ hoc vel illo tempore neceſſaria ſunt, interponi poterunt. Aliâs vero non amandæ ſunt varietates precum in iisdem temporum circumſtantiis. Veritas facti, æquitas petiti, valor rei, materiæ nota excitant attentionem; res notæ enim frequentiùs obverſantur memoriæ. Objectio. Reſp.

§. VII.

Id vero, in propoſitione *ſtatarum formularum*, cumprimis obſervandum eſt, ut earum *prælectio non habeatur pro opere operato*, quaſi ſola recitatione illarum debitus Deo cultus redditus fuerit, ſed in præloquio, modoque proponendi paſtor ipſemet & propria teſtimonia devotionis edet, & in id juxta incumbet, ut etiam auditorum devotionem inflammet. Eum in finem 1) totam actionem ita inſtituet, ut, quot preces continent petitiones, tot nova quaſi ad Deum deferantur ſuſpiria, ut 2) cum, ſtatis precibus, rudioribus maximè ſuccurrere voluerint qui illas & compoſuêre, & recitandas injunxêre, clara etiam atque perſpicua, lenta itidem, &, quantum in externis fieri poteſt, devota recitatione zelum auditorii excitet; ut 3) materiam illarum precum, data occaſione, vel in concione, vel ante preces, iterum iterumque explicet, ut auditores tantò clariùs & contenta, & neceſſitatem earundem intelligant. Hac de cauſa, inde ab initio Eccleſiæ Chriſtianæ, id utile judicatum fuit, ut genuinus *orationis Dominicæ ſenſus* omnibus & ſingulis pateat, in quem finem *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Chryſoſtomus*, *Auguſtinus*, alii, integras hujus formulæ expoſitiones edidêre 4) ut, ante easdem, memoriæ & affectui auditorum, omni- 4) Requiſita quoad ſtatas precum formulas.

 ſcientia

ſcientia, potentia, præſentia, Majeſtas, ſanctitas & bonitas Dei inculcetur, ut vel ſic etiam naturalis ille torpor, quantum fieri poteſt, excutiatur.

§. VIII.

ut ſcilicet invocatio Dei fiat in Spiritu & Veritate

Cumprimis autem id ſibi negotii datum credet paſtor, ut *ab externis cæremoniis mentem precantium abducat*, doceatque, poſt *Chriſtum*, illos *in Spiritu* & *Veritate Deum invocare* ita *in Spiritu*, ut convenit Deo qui Spiritus eſt, ita *in Veritate*, ut convenit Novo Teſtamento, in quo omnes promiſſiones jam ναὶ καὶ ἀμὴν ſunt, gratiaque & veritas facta eſt, ita *in Spiritu*, ut *intellectus* cognoſcat *tum* bona vera & æterna, *tum* neceſſitatem divinæ opis ad ea obtinenda, *tum* debitum glorificandi Deum; ita *in veritate*, ut *voluntas* seriò deſideret ſpiritualia hæc bona, quæ cæteroquin ſæpè nimis frigidè petuntur; ita *in Spiritu*, *ut* non tantum externis corporis geſtibus aut verbis, ſine ſenſu animique attentione prolatis, rem peragat, ſed *pura mente* & *ſerio fervore*; ita *in veritate*, ut *absque fuco* & *hypocriſi* preces Deo deferat, in quem finem id jugiter urgendum eſt, quod nos, qua cogitamus, Dei genus ſimus, quod cum eo nobis res ſit, qui cor noſtrum ponderet, nec irrideri velit ab hominibus, quod umbræ V. T. jam ceſſaverint, quod per imagines coli nolit &c.

§. IX.

attamen non ſine externa humiliatione

Interim licet in Spiritu & Veritate invocandus ſit Deus, *non* tamen eapropter *omnis corporis humiliatio vitanda* eſt. Qui ex potentioribus ſunt nulla prorſus hodie, in cultu publico, reverentiæ ſigna edunt, quod luculentum, omnis timoris Dei ex mente excuſſi, indicium eſt. His objiciendum erit, quod utique Deus corpore non minus, quam animo glorificari velit, quod etiam ritus atque corporis motus mentem excitent ad officia ſua, quod, qui extrùs non minùs, quam intùs humiliationis ſuæ indicia dedit, Publicanus præ Phariſæo juſtificatus abierit in domum ſuam, quod horrendum ſuperbiæ genus ſit, ipſo geſtu ſpernere Numen, cumprimis tum quando

tota

Digitized by Google

tota Eccleſia reverentiam ſuam Deo declarat, quod id tandem piorum, omni tempore, proprius character fuerit, quem *Gregorius Nazianzenus patri* ſuo tribuit, qui erat *multus in externis, abundantior* autem in internis.

§. X.

Tandem, ut hæ preces publicæ ritè fiant, petendus erit *Spiritus gratiæ* & *precum* à paſtore, & *pro ſe*, ut ipſius cor aperiatur, ut verbum in ipſum penetret, ut oculi ejus aperiantur ad videnda mirabilia legis divinæ, ut conceptus ejus non merè humani ſint, ut, ad illuminationem intellectus, proprii cordis ſanctificatio accedat, abſque qua nec verbum corda ferit; & *pro fidelibus*, ut dona & beneficia gratiæ, quæ dedit illis DEUS, & conſerventur, & augeantur. *Zach.* XII, 10; ut, per *Spiritum filiationis Rom.* VIII, 15., nonniſi in fide petant, quæ petunt, totaque proin oratio, inque illa fiducia merito Chriſti nitatur *Jacob.* I, 7. *Joh.* XVI, 33. Requiritur ut DEUM ſeriò pro omnibus adeant, petantque, ut inter ipſos hoſtes habitans benedictione DEI fruatur *Jerem.* XXIX, 7. ut illi nos non perſequantur, ſed dent pacem 1. *Timoth.* II, 2. ut convertantur ad Deum, & ſerventur, cujus petitionis fundamentum eſt promiſſio de benedicendis gentibus, uno verbo, ut, una cum paſtoribus, totam Eccleſiam, cœtum, miniſtros verbi divini, ſemet ipſos & familiam ſuam, precibus hiſce DEO commendent; poſt preces autem ad implementum earum, proinde etiam ad illa ſigna, ex quibus patet, DEUM preces noſtras exaudiviſſe, accuratè attendant.

per Spiritum gratiæ, precum & filiationis.

CAPUT XV.

De Cura Perſonarum Miſerabilium.

Σύνοψις.

Agitur hoc capite א) de *cura pauperum* quoad *Eleemoſynas privatas*, ubi paſtorum officium eſt, curare 1) ut vel nulli ſint pauperes §. I. II, vel nulli, aut ſaltem pauci, in publico, reperiantur mendici, utque ſic pauperibus ſuccurratur a) per mutuo-dationem, vel b) ex illis relinquantur, unde vitam ſuam tolerare queant, ut c) familiam ſuam quilibet ipſemet ſuſtentet, vel d) ut pauperes ſuſtententur ex ærario quodam pauperum e) per publicam collationem §. III. 2) inculcare beneficentiæ neceſſitatem §. IV. 3) occurrere effugiis avarorum §. V. 4) ut Eleemoſyna rectè detur-a) quoad ejus principium b) objectum c) menſuram d) proportionem e) dandi modum f) ſpecies §. VI. 5) ſpeciatim ad beneficentiam excitare §. VII. 6) ut ſuccurratur pauperibus quoad ſtatum & corporis & animæ §. VIII. ב) quoad *Eleemoſynas publicas*, de quarum cura obſervandum α) quod ea competat Eccleſiæ in genere, Diaconis in ſpecie. β) Quod per modum tributi non ſint imponendæ, attamen γ) ab opulentioribus petendæ §. IX. δ) quod abſtinendum ſit Eccleſiæ à bonis injuſtè partis §. X. ε) quod bona, in uſum pauperum collata, in eundem etiam unicè impendi debeant. §. XI.

§. I.

Paſtoris officium, א) quoad eleemoſynas privatas, eſt

PAuperum, viduarum, orphanorum, peregrinorum &, quacunque ratione, ope indigentium *curam* ſingularem *gerit DEUS*, *gerent* proinde etiam *ejus ſervi*, quorum viſcera, præ aliis, latè patere debent, & qui cumprimis, ex quo DEO atque Eccleſiæ dona offerebantur, unde pauperes vivant, hinc, vel ab initio etiam, *præſides eleemoſynarum*, teſte *Gelaſio Epiſt. X. ad Epiſcopos in Sicilia*, ubi ait: *Id ſibi vindicent Epiſcopi, ut peregrinorum & captivorum largitores ſint*, conſtituti fuère, ſic ut nec *Paulus*, nec reliqui miniſtri, curam hanc pauperum, ſaltem penitùs,

penitùs, in alios conjecerint. Videatur *Joh. Launoius de cura pauperum*, Lutetiæ Paris. 1663.

§. II.

Huic vero officio paſtor ſatisfaciet 1) ſi, quantum in ſe eſt, curet *ne pauper ſit in populo DEI*, ſicuti dicitur *Deut* XV, 4: *Non debet eſſe egenus in* te, apud te, etiam *per te*. Tales autem non erunt, ſi, cum magiſtratu, etiam paſtores, *ille* jubendo, *hi* docendo, curent, ut *ſuum cuique ſit & maneat*, ſeque adeo, etiam hoc ſenſu, cum *Noacho*, exhibeant *præcones juſtitiæ*, ſicuti & quondam hinc cura DEI in Iſraële incepit, quando terram promiſſam diviſit forte, per miraculum divinæ providentiæ, æqualitatem inferente, & portiones cuique ſuas vel conſervatas, vel ſaltem in Jubilæo redditas voluit: Si porro in id juxta intendant, ut *ſuus unicuique labor aſſignetur*, inque hunc finem juventuti maturè inſtillent, ut, cum pietate, diſcant etiam ea, quæ reipublicæ proſint, & tolerandæ vitæ inſerviant: Si *parentibus*, maximè rerum ſuarum incurioſis, auctores ſint, ut *liberos* maturè *certæ* cuidam *vocationi* addicant: Si id ſæpiùs inculcent, ut *ſuo quisque pane veſcatur*; hoc eſſe mandatum *Geneſ.* III, 19; hûc tendere diſtributionem diverſorum donorum, à DEO collatorum 1. *Corinth.* VII, 17. id flagitare pietatem, cum, nihil agendo, malè agere diſcatur, *Syrac.* XXXIII, 28. 29; id poſtulare *commodum privatum*, hac enim ratione demum rectè ſublevari familiam, ſublevari pauperes 2. *Theſſal.* III, 10. 11. 12. *Epheſ.* IV, 28 id requirere etiam *bonum publicum*, cum ad commune nati ſimus, ita ut, ſingulari emphaſi, à *Paulo*, κατὰ θηρία *malæ beſtiæ* vocari poſſint, qui ſunt γαςέρες ἀργαὶ *ventres otioſi Tit.* I, 12: Si porro curent, quantum in ipſis eſt, docendo, rogando, ut *ſua cuique labori merces* aſſignetur, *ſine mora Levit.* XIX, 13 aut ſine *fraudulentia*, *Deut.* XXIV, 14. 15. quod utique requirat *& indigentia pauperis*, *qui elevat hûc*, ex ſummo deſiderio, & hinc etiam *ſuſtentat animam*, *& gravitas peccati*, ne clamet ad Dominum, confer *Geneſ.* XXXI, 7. *Proverb.* III, 28. *Malach.* III, 5. *Jacob.* V, 4: item, ut *nemo proximum*, vel nimiis exactionibus, vel voracibus *uſuris*, *opprimat*, ſive per נשך *neſchech*, lucrum

1) curare ut vel nulli ſint pauperes

lucrum ex pecunia, ſive per תרבית *tarbith*, incrementum uber ex victualibus, in quibus *morſus*, & quidem *ſerpentinus*, eſt *Numer.* XXI, 9, initio exiguus, ſed qui, per omnia membra, venenum diffundit, quique, ut morſus ſerpentinus, non ſinit dormire, ubi creditor, tanquam *hirudo*, omnem ſuccum & ſanguinem debitoris exſugit, &, ſicuti *canis* famelicus, alios mordendo ſe ipſum paſcit. *Exod.* XXII, 24. 25. *Levit.* XXV, 36. *Deut.* XXIII, 19.

§. III.

vel nulli, aut ſaltem pauci mendici

Quodſi tamen pauperes ſint, ſicuti paupertas, prouti res nunc ſe habent, evitari non poteſt, *Pſal.* XXXVII, 25. *Matth.* XXVI, 11, officio ipſorum ſatisfacient paſtores, ſi curabunt, *ut*, quantum in illis eſt, vel *nulli*, vel ſaltem *pauci*, in publico, *mendici* ſint, non equidem ita, ut mendici expellantur, ſed alio, quam mendicitatis, remedio illis ſuccurratur. In hunc finem paſtor commendabit fidelibus a) *ut* illis, quorum manus & opes ſenſim attenuantur, maturè, etiam *per mutuo-dationem ſuccurratur*, & quidem ſic, ut nihil inde exſurgentis lucri ſperetur, nec pignora etiam pauperibus vel auferantur, vel retineantur. *Matth.* V, 42. *Luc.* VI, 35. *Exod.* XXII, 24. 25. *Officia*, reſpectu talium egenorum, notatu digna occurrunt *Deut.* XV, 7-11. tum negativa, tum poſitiva; *negativa* ſpectant vel *affectum*: NE OBFIRMATO COR TUUM, quo ſupponitur miſericordiam affectum homini naturalem, & veluti ingenitum eſſe, è contrario autem duritiem, quæſitum & ſpontè contractum quid, quo συμπαθεια ex animo arcetur, cui phraſi reſpondet 1. *Joh.* III, 17. *claudere viſcera* coram fratre; vel *effectum*: NEQUE OCCLUDITO MANUM TUAM, ſcilicet quia manus inſtrumentum eſt, quo res ab uno ad alterum transfertur, ADVERSUS FRATREM TUUM, QUI PAUPER EST, ſicuti originis & Religionis unio maximè ad charitatem excitat; *poſitiva* ſunt: APERIENDO APERIRE MANUM, dare, & quidem liberaliter, unde phraſis adhibetur de DEO *Pſal* CIV, 28. CXLV. ib. MUTUANDO MUTUARI, & ſic ei, qui nihil habet, nec tamen gratis ſuſtentari cupit, tantum dare, quantum ſufficit PRO INDIGENTIA EJUS. Ubi ſimul removen-

utque ſic pauperibus ſuccurratur a) per mutuo-dationem

movenda eſt pravitas cordis: *Cave tibi ne ſit res Belial* (Belials-Tücke) *in corde tuo*, q. d. בלי יעל. non debere in mentem aſcendere, quod *ſine fructu* quid malum ſit, quale eſt τὸ *dicere* in corde: *appropinquat annus ille ſeptimus*, *annus remiſſionis*, ſcilicet ubi debita omnia remittebantur ex lege, quæ occurrit ỳ. 1. 2. hujus Cap. XV. *Deut.*, malignitas itidem oculi: *& ne malignus ſit oculus tuus*, *in fratrem tuum*, unde manifeſtatur animus benè vel malè affectus, vid. *Prov.* XXII, 9. XXIII, 6. *Matth.* XX, 15. & *Marc.* VII, 21. 22, qui locus manifeſtè petitus eſt ex *Deut.* XV, 9. Hinc etiam *mutuò datum* à Judæis honeſtiùs judicatur quam Eleemoſyna: *Quisquis*, ſcribunt in *Sanhedrin* fol. 76, *pauperi*, *tempore indigentiæ*, *mutuò dat ſyclum*, *de eo Scriptura dicit: tunc clamabit*, *& Dominus illum exaudiet*, (*Jeſai.* LVIII, 9.) *quisquis vero abſtinet ab hoc officio*, *Belial vocatur & peccator* (*Deut.* XV, 9); atque τὸ *mutuari* inter 613. præcepta referunt, videatur *Hottingerus* in *jure Hebr.* lege 66. & *Maimonides* in *libro de præceptis*, præcept. affirm. 197. Commendabit b) ut, ſi ve in republica in communi, ſive de ſuis in ſpecie, *ea relinquantur*, *unde tenuiores vitam ſuam* qualitercunque *tolerare poſſunt*; non eſſe e. g. juſtum, omnia officia, rerum commercia, domos, prædia, fruges &c. ad ſe unum rapere, frumenti pretium augere, è contrario vero æquum eſſe, de proventibus ſuis, ultrò etiam, pauperibus quædam concedere, prouti *Judæi* tenebantur *ad non demetendum Angulum*, qui pauperibus erat relinquendus, quique plerumque *quadrageſimam agri partem* conſtituebat, vel ſaltem, inter Avaros, ſexageſima parte agri minor eſſe non debebat. Sic jubebantur *ſpicilegium* quoddam relinquere, & ſtudio quaſi oblivioſi eſſe, vel in *agro*, vel in *vinea*, ut haberent pauperes, unde nutrimentum capiant, in quibus Judæorum inſtitutis fuerit equidem *typus* quidam, fuit tamen etiam *norma charitatis*, quam *ſana ratio* docuit, unde &, apud *Græcos*, *agris* & *hortis* hac de cauſa *nulli* apponebantur *cuſtodes*, ſaltem apud meliores, videatur *Plutarchus in vita Periclis.* Porro c) ut *familiam quilibet ſuam*, *aut* ſaltem *cognati*, *ſuſtentent*, In quo tanta æquitas eſt, ut infirmis parentibus, eosdem ſuſtentando, vices rependere, Græcis Εὐσέβεια vocetur; è contrario vero, ſi quis ſuo-

b) ut relinquantur ea, unde vivere poſſint pauperes

c) ut quilibet familiam ſuam ſuſtentet.

Digitized by Google

ſuorum, in infirmitate & paupertate, curam non gerat. *fidem*, ὑπόςασιν ſcilicet ἐλπιζομένων, bonorum, verè talium, futurorum repreſentationem *Hebr.* XI, 1; dicatur *abnegaſſe* 1. *Timoth.* V, 8.

d) Ut pauperes ſuſtententur ex ærario.

Ut, d) qui à familia ſuſtentari non poſſunt, *ſuſtententur* ſaltem à *cætu* & ex *ærario pauperum*. In hunc finem opus eſſet, ut paſtor, ſicut animarum, ita pauperum, catalogum haberet, ut ſic illis, tanto majori cura, pro diverſa pauperum conditione, proſpicere poſſet, eorumque memoria recens ipſi obverſaretur, &, ſi nec ærarium ſufficiet, tum de ſuo ipſis ſuccurreret, tum ditiores ad beneficentiam, his in ſpecie, præſtandam exhortaretur. *De ſuo*, quantum fieri poteſt, porriget illis, non tantum ut exemplo aliis præluceat, ſicuti *Canon*, XVI. *Concil. Aurel.* I. ſtatutum fuit: *Epiſcopus pauperibus, vel infirmis, qui, debilitate faciente, non poſſunt ſuis membris laborare, victum & veſtitum, in quantum poſſibile, largiatur*; ſed etiam, quia *bona Eccleſiaſtica* hunc primum in finem tam largiter fuère collata, ut pauperum ſimul rationem haberent Eccleſiaſtici, unde etiam reditus Eccleſiaſtici, maturè ſatis, in Eccleſia Chriſtiana, in *quatuor partes* fuère diviſi, quarum prima *Epiſcopis*, ſecunda *clero*, tertia *pauperibus*, quarta inſtaurandis & reficiendis *baſilicis* impendebatur. Vid. *Libr.* VII. *Capit. Caroli* M. *num.* 290. Sed & *aliis*, omni ratione, hanc beneficentiam commendabit; *eſſe illam* non ex adiaphoris, ſed frequentiſſimè *mandatam* 1. *Tim.* VI, 17. 18. 19. *Ezech.* XVI, 49; eſſe eam *Juris Naturæ*, quia Eleemoſynæ charitatis naturalis effectus ſint; extare, in his actibus, *teſtimonia* & *fidei*, quod præſentia poſtponant bonis futuris, & *charitatis ſinceræ*, quod non lingua tantum proximum diligant; eſſe omnino triſte, ſi *homines beſtiis pejores* eſſe vellent, quas naturæ ſenſus doceat, reſidua, ſi ſatiatæ ſit, in commune relinquere, ut etiam aliis, in ſui ſuſtentationem, inſerviant.

e) Per publicam collationem.

Cumque, e) inter alios, pauperibus ſuccurrendi, modos, etiam *publica collatio* locum habeat, in Eccleſiis noſtris in ſpecie, *per ſacculum*, ut vocatur, *tonantem*, (den Klingel-Beutel) modum etiam hunc ſuccurrendi pauperibus, non modo non negliget paſtor, ſed, ne negligatur, vigilabit, populum ad liberalem collationem excitabit, &, ut collecti nummi probè conſerventur.

Digitized by Google

ventur, ritè impendantur, curabit: *Qui ſtipem Eccleſiæ in ſuos convertit uſus, ſcriba eſt & Phariſæus, ſimilis Judæ perdito*, dicitur *Canon.* XV. *Concil. Pariſ.* VI. Sic & in id juxta incumbet, ut & aliis occaſionibus, in *conviviis nuptialibus, baptiſmalibus, unctionibus* &c. honeſta ſaltem ratione, pauperum ratio habeatur.

§. IV.

Quia vero *plerique* hominum *avaritiæ addicti* ſunt, usque adeo, ut, egenis numum forte dantes, ſanguinem ſe putent dare, non metallum, corque *variis exceptiunculis*, contra beneficentiam indurant, 2) in id incumbet paſtor, ut ad eam excitet argumentis quibus Scriptura S. utitur, e. g. quod, *ut Chriſtus dixit, dare ſit beatius, quam accipere. Act.* XX, 35. quæ verba *Paulus* ex λόγοις Chriſti allegavit, *ſive* ea alibi in Evangeliis, licet non totidem verbis, extent, ut *Luc.* XVI. 9. XIV, 13. 14. XVIII, 22. *ſive* ea retulerit *vel* ex revelatione ſpeciali, *vel* ex traditionibus reliquorum Apoſtolorum, ex quibus eadem phraſi utitur *Clemens*, Romanus, in *Epiſtola* ſua *ad Corinthios prima Sect.* II. dum Corinthios hoc encomio ornat, quod fuerint μᾶλλον διδόντες ἢ λαμβάνοντες *dantes potius quam accipientes*, unde & hoc dictum tranſiit in *conſtitutiones Apoſt.* Lib. IV. c. 3. Vid. *Cotelerius* in *monum. Apoſt.* Tom. I. p. 145. 292. & *Fabricius* in *Codice* N. T. *Apocrypho* p. 322; quod itidem talis Eleemoſyna tam luculentum veræ charitatis teſtimonium ſit, quàm luculentus index veræ fidei, in Dominum gloriæ, eſt odium προσωποληψίας *Jacob.* II, 1. 15. 16. 17; quod ipſemet *Chriſtus*, Dominus noſter, beneficentiæ ergò è cœlo deſcenderit in terram, in terra vero Canaane oras pleraſque peragraverit ad benefaciendum *Actor.* X, 38. Deinde 3) variis avarorum exceptionibus & effugiis occurret.

2) Inculcare beneficentiæ neceſſitatem.

3) occurrere effugiis avarorum.

§. V.

Objectio I.

Ita *primò* plerumque *objicitur*; *non eſſe pauperes ſic comparatos, ut beneficium mereantur, benefacta malè locata malefacta eſſe*, pleroſque *canum* & *porcorum inſtar* eſſe, *qui ſanctam etiam Eleemoſynam pedibus conculcent, vitia pauperum tam varia, multipli-*

Reſp. *cia & enormia eſſe, ut vix intuitu dignandi ſint.* Ad hæc *reſpondendum* erit 1) noſtrum non eſſe merita petentium ponderare, ſed *cuivis petenti dare*, *Luc.* VI, 30. 2) Inopum vitia nobis eſſe imputanda, ſi illis lentè aut malignè ſuccurrendo, ſinimus mendicos in egeſtate ſua computreſcere, ſi, *qui moritur moriatur*, hic ſenſus, hæc vitæ noſtræ ratio eſt. 3) Injuſtum tamen eſſe, ob unius fortè vel alterius aut indignitatem aut ingratitudinem, in odium humani generis adduci 4) *DEUM* ipſum *ſuum ſolem*, ut *Chriſtus* emphaticè loquitur *Matth.* V, 45.; quem nemini debet, *oriri facere* ſuper bonos & malos, hunc tantò magè imitandum eſſe, quod bonorum ejus tantùm diſpenſatores ſimus. 5) *Charitatem* veram *omnia ferre*, &, in futurum, *ſperare* 1. *Corinth.* XIII, 7. ſecundum verbum Chriſti *Luc.* VI, 35. δανίζετε μηδὲν ἀπελπίζοντες *mutuum date, nihil deſperantes*, quaſi irrita, & peſſimè collocata ſint veſtra beneficia, qui tamen, ingenti fœnore, ea à DEO recepturi ſint. 6) DEUM ipſum ſe ſponſorem offerre pro paupere, in ſe recipere quicquid inopibus datur. 7) Vel pro inimicis precandum eſſe, quantò magè miſeris benefaciendum, & tandem 8) etiam diſcrimen, cum prudentia, inſtitui poſſe. Dona danda ſunt, non effundenda. Hac de cauſa *Judæi* ad Eleemoſynam colligendam duos tantum, ſed ad diſtribuendam tres conſtituerant, ut tantò exactius dignoſcatur, quibus ea danda ſit. Interim ſi potior fidei & pietatis ratio habenda *Galat.* VI, 10., ſupplet tamen quandoque miſeriæ magnitudo defectum pietatis, quoniam ſaltem homines ſunt.

Objectio II. *Objici* ſolet *ſecundò; nos reculis noſtris, ſive curta noſtra ſupellectili ipſos indigere, nihil eſſe, quod abundet.* Sed *reſpondendum*, a) luxum plerumque inter neceſſitates poni, ſuperfluum & abundans non dependere à noſtro judicio, & phantaſia, per φιλαυτίαν, corrupta. Qui *duas tunicas* habet, dare jubetur unam non habenti, quis vero eò usque neceſſariis caret? b) Paupercula illa, de ſua tenuitate, duos teruncios, id eſt, omnem ſuum cenſum, in Gazophylacium miſit, à *Chriſto* laudata. Et cum c), ſecundum Scripturam S. laborandum ſit, ut pauperibus detur, quis quæſo, obtentu neceſſarii, pauperibus negabit, unde vitam tolerent? Si *inſtent* forte opulentiores; *Si forte nunc nos*

Reſp.

Inſtantia

omni-

omnibus ſuis opibus indigeant, poſſe tamen ſe iis poſthac opus habere;
neminem contra futuros caſus tutum ſatis eſſe, niſi proventum habeat
in plures annos, regerendum erit 1) ſic homines bonis fluxis magè Reſp.
confidere, quam providentiæ paternæ, eos ſic de pane ſibi
vitam polliceri, non de verbo, quod ex ore DEI prodit. 2) Si,
in ſenectutem, aut futuros morbos, & metuendam, in poſterum,
indigentiam, ſua bona recondant, cur. de præſenti, tam multa,
inani luxu, conſumantur. Sic 3) homines revera ita laborare,
ut moriantur divites, non ut vivant. 4) Tales ſic agere, ac ſi
deficiat promiſſio divina: *Qui dat pauperi, non indigebit, qui de-*
ſpicit rogantem, ſuſtinebit penuriam, Proverb. XXVIII, 27., con-
fer. 2. *Corinth.* IX, 6. 8 9. 10. 5) Talem ſic eſſe tandem αὐτο-
κατάκριτον; in futuros annos hujus vitæ proventum coacervan-
dum eſſe judicat, & fundamentum, ſive, ut loquuntur, capi-
tale nullum ponere vult in ſecuturam æternitatem. 1. *Timoth.*
VI, 18. 19.

Objicitur porro, & *tertiò*; Si nec nunc, nec in futurum Object. III.
ipſi *ſuis bonis* indigeant, *indigere* tamen illis *poſteritatem*; *horum*
conſervationem eſſe juris naturæ, & eſſe, vel à *Paulo*, præceptum,
quod *parentes liberis ſuis* non tantum bona quædam, ſed etiam
Theſauros recondere debeant 2. *Corinth.* XII, 14. Sed *reſp.* 1) Ta- Reſp.
les abuti verbo θησαυρίζειν, quod proprie notat ſaltem *in craſti-*
num diem aliquid *reponere*, quo ipſo proinde *non* docetur, quod
ſuperflua relinquenda ſint liberis, *ſed* tantum *neceſſaria*. Neceſ-
ſarium autem, reſpectu poſteritatis, hoc unum eſt, ſi habeant,
unde vivant, quoad vel omnes, vel ſaltem natu majores liberi,
qui parentum vices ſuſtinere debent, ſemet ipſos ſuſtentare, &,
proprio labore, victum ſibi comparare queant, cæteroquin non
eſſet, quod liberi agerent, & in quo ſemet ipſos poſtea exer-
cerent. 2) Præſtat utique ſuis benedictionem, inter exercitia
beneficentiæ, relinquere, quam opes cum maledictione divina
conjunctas, uti quidem plerumque, juſto DEI judicio, conge-
ſtori avaro hæres prodigus datur. 3) Nec bono hæredi opus
eſt divitiis, nec malo; *ille* facile quæret unde vivat, *hic* eas ci-
tò profundet.

Quod-

Object. IV. Reſp. Quodſi tandem, & *quartò objiciatur;* pauperibus *ſatis dari à divitibus*, reſpondendum erit, 1) ſic & ſatis orari à piis, ergò non opus eſſe precibus. 2) Si omnes, qui ſibi divites non eſſe videntur, ſic ratiocinarentur, fame perirent pauperes. Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Quilibet opus ſuum probet, & ſic in ſemet ipſo gloriationem habebit, & non in alterum, unus quisque enim proprium onus portabit, quod ipſe ſeminavit, hoc etiam, nec aliud, metet. *Galat.* VI, 2-7.

§. VI.

4) Ut Eleemoſyna recte detur a) quoad ejus principium. Curabit autem 4) porro paſtor, *ut* non modo *eleemoſyna* pauperibus detur, ſed ut *rectè detur*, adeoque a) ut liberalitatis *principium* ſit fides. Eſt enim & eleemoſyna *ſacrificium Hebr.* XIII, 16. quod *ſine fide Deo non placet. Hebr.* XI, 6. eſtque proin proximus pauper cibandus *in nomine Chriſti*, ex *intuitu miſericordiæ Dei*, in Chriſto, erga nos, & *communionis* fraternæ, inter fideles omnes, cum Chriſto *Matth.* X, 42. proin etiam ex *intima* viſcerum *commotione* 1. *Joh.* III, 17. ut adeo principium beneficentiæ ſit fides per charitatem efficax, utque è contrario benefici ſibi *caveant ab omni affectatione laudis*, proinde *non dent ut videantur. Matth.* VI, 1. ubi Chriſtus non equidem hominum oculos à noſtris eleemoſynis, ſed tamen cor noſtrum ab hominum oculis remotum eſſe voluit, denique adeo *aliter* prorſus atque *Pharisæi*, qui, in *tubas æneas*, numos tanto *cum tinnitu* conjiciebant, ut fuerit, ac ſi tubæ, coram illis, inflatæ fuerint, quales affectatores laudis ſic τὸ ἀπέχειν ſive *apocham* (eine Quittung) quaſi, in hominum laude, accepêre. *Matth.* VI, 2. qua de cauſa ipſi Judæi לשכת חשאי *ærarium ſilentum*, in templo, habuêre, quo eleemoſynas ſuas contulerunt Religioſiſſimi quidam ſilenter & clanculum, unde nutriebantur pueri pauperes virorum bonorum. Vid. *Lightfoot Hor. Hebr.*
b) Ratione objecti. *Matth.* VI, 2. Sic curet porro, *ut*, b) ratione *objecti*, eleemoſyna *diſtribuatur cum prudentia*, ſitque beneficus, etiam hoc ſenſu, ſecundum verbum Davidis *Pſal.* XLI, 2. משכיל אל דל *prudens*, in diſpenſatione bonorum, *inter pauperes*, ut omnibus

Digitized by Google

bus equidem egentibus ſuccurrat, ſed habito *diſcrimine Religionis*, *pietatis* & *indigentiæ Galat.* VI, 10. *Validi mendicantes*, principum legibus, & Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, tum ex republica ejiciuntur, tum ab eleemoſyna excluduntur. De cætero etiam, *diſcretionis Judaicæ*, regula notabilis extat in R. *Maimonidis* הלכות מתנות עניים Tr. *de cura pauperum* cap. VIII. §. 17. *Si ſint ante oculos multi pauperes, vel multi captivi, & non tantum ſit in loculo eleemoſynario, quantum vel nutriat, vel veſtiat, vel redimat eos omnes, tunc præferent ſacerdotem Levitæ, Levitam Iſraëlitæ, Iſraëlitam profano, profanum ſpurio, ſpurium collectitio, collectitium ei qui è conjugio illegitimo ortus, hunc Nethinæo, Nethinæum proſelyto.* Et ſi *ordine* opus eſt in dando, idem etiam eſſe debet *in accipiendo*, nec enim, ad hoc beneficium accipiendum, ſine neceſſitate properandum. Hinc &, inter *Judæos*, ſeriò injunctum fuit, *ut omnia priùs tentent*, quam ut ad ultimam & ſacram hanc, alienæ miſericordiæ, anchoram confugiant, *ut ſemet ipſum premat homo*, &, *in re anguſta, vitam circumducat, ut Sabbathum mutet in diem communem, ut morticinium potius, in platea, excoriet, ne cogatur creaturis indigere, & congregationem gravare*, ut ἀβαρὴς ſit 2. *Corinth.* XI, 9. Videatur *Maimon.* l. c. Cap. X. §. 16. ex *Miſchna Taanith.* conf. 2. *Corinth.* XII, 13-16. In id juxta etiam c) paſtor incumbet, *ut*, ratione *menſuræ*, *non parcè ſeminent*, *ne parcè metant.* 2. *Corinth.* IX, 6. *Galat.* VI, 6 9. De *menſura* equidem, *in* iſtiusmodi *eleemoſynis* ſervanda, multa equidem tradidêre & *gentiles*, & *Judæi*, ſed ita ut & *hi*, in Tr. *Miſchnico* פאה *Peah* Cap. I. agnoſcant, ad *res*, *quæ certam menſuram non habent*, cum *Angulo oblivionis*, *primitiis*, *comparitione in feſtis & ſtudio legis*, etiam *beneficentiam* pertinere, ferturque elegans inter eos dictum alicujus, qui cum *ſeptem millia denariorum* expendiſſet, exclamavit: זודא קלילא ואורחא רחיקתא *viaticum exiguum, & via longinqua.* Videatur *Gemara* כתובות *Kethubboth* fol 67. col. 2. Sit ſaltem fons actionis charitas, ut ex puro corde, ſolido fundamento, bona conſcientia, teſtimonio certo, ita ex fide non fucata. Ingenuus talis ad Deum reſpectus, prudentiam & menſuram beneficentiæ ſufficientem dictabit,

c) quoad menſuram.

-bit, ſimulque confirmabit regulam, quam *Moſes* dedit *Deut.* XV, 8. *quod ſatis eſt indigentiæ ejus* confer *Levit.* XXV, 35. 36. ſcilicet ut *manus* ejus *confirmetur*, ut *nutans ſuſtineatur*, ut *à ruina præſervetur Jeſai.* XXXV, 3. & ſic *vivat*, ſicuti hoc non morti ſed miſeriæ opponitur, *Job.* IV, 50. Interim, inter hæc, *Regula Pauli* ſemper locum habebit, quod, ſtudio beneficentiæ, *non* ἄλλοις ἄνεσις *aliis remiſſio*, & dantibus θλίψις *tribulatio* inferenda ſit, ſed, in hoc charitatis ſtudio, ita agendum, ut ἰσότης analogica *æqualitas* ſit, qualis competit membris corporis Chriſti, quorum non eadem ratio eſt, nec enim pes ornatur ut caput. 2. *Corinth.* VIII, 13. 14. Sic & d) in id incumbet paſtor, ut *proportionata* ſit *beneficentia.* Non omnia ſimul effundenda ſunt, ſed ita nunc dandum proximo, ut etiam poſthæc dari queat, quæ charitatis ratio eleganter exprimitur per ψωμίζειν τὰ ὑπάρχοντα 1. *Corinth.* XIII, 3. ut fruſta dentur ſingularia tot, quot ad ſui ſuſtentationem indigent, atque quibus, de præſenti, vitam tolerent. Hæc vero e) ſuadebit dare ex ſimplicitate cordis, proin & animo & vultu læto, hilarem enim datorem amat Deus 2. *Corinth.* IX, 7. abſque exprobatione & murmure, & ſine contemtu pauperis, utque ſic etiam *in modo dandi* eleemoſynam ratio habeatur vitandæ vel *laudis propriæ*, vel vitandæ *infamiæ proximi*; in quibus *Judæi*, ſecundum *Maimonidem Tract.* ſupra *citato*, ſed nimis in his ſuperſtitioſi, *octo gradus* expendendæ eleemoſynæ obſervarunt, quorum *primus* eſt, & ſummus, ita dare, ut corroboretur manus pauperis, & non opus habeat talia ſubſidia petere à creaturis: *Secundus*, dare, ut nec cognoſcat pauper quis dederit, nec dives cui, qua de cauſa pientiores eleemoſynas ſuas aut ſilenter & clanculum contulêre in לשכת חשאי *gazophylacium ſilentum*, aut in ciſtam eleemoſynariam conjecêre, coram curatore: *Tertius*, ſi cognoſcat equidem dans, cui dat, non vero pauper, à quo accipiat: *Quartus*, ſi, è contrario, pauper dantem novit, non dans, pauperem, ut, ſi pecunia ſindoni involvatur, & projiciatur poſt tergum: *Quintus*, ſi detur eleemoſyna pauperi, antequam eandem petierit: *Sextus*, ſi detur poſtquam petierit: *Septimus*, ſi detur vultu benigno (ſive, ut *Jacob.* I, 5. dici-

d) reſpectu proportionis.

e) quoad dandi modum.

dicitur, ſimpliciter) *Octavus*, ſi detur equidem, ſed cum " moleſtia aut murmure, & non ſine contemtu pauperis." " Urgebit paſtor f) porro, ut *non modo* unus vel alter *numus* præbeatur pauperibus, ſed ut conſulatur *omnibus neceſſitatibus* ſanctorum, ut proin etiam *cibus* præbeatur, *veſtitus* itidem, &, quo charitas Veterum ſe cummaximè commendavit, *hoſpitium*, in quo hodienum *Turcæ* pleriſque Chriſtianorum ruborem incutiunt; nec hæc ea ratione, ut tantum viliſſima in pauperes conjiciantur, ſed ut perpendatur, quod *Chriſtus cibari*, *veſtiri debeat in pauperibus*. Ita & *in morbis*, vel qui inficiunt, his omnibus ſuccurri debet, ſi non propria manu, ſaltem per condictos parabolanos, quæ Chriſtianorum veterum laus erat. Tandem & de honeſta ſepultura mortuis pauperibus proſpicient. An & *pedes* pauperibus *lavandi* ſint, cum omni illud hodie uſu careat, nunc non diſcutimus.

f) quoad ſpecies.

§. VII.

Ad hanc vero beneficentiam, etiam his rationibus, (ſ) excitari poterunt. V. g. 1) quod *eleemoſyna*, in Sacris Literis, *juſtitia* vocetur *Daniel.* IV, 24. & 2. *Corinth.* IX. 10. *non* quod *cauſa juſtificationis* ſit *meritoria*, ut volunt *Judæi*, vid. *Lightfoot* in *horis Hebr.* ad *Luc.* XI, 41. ſed *ſignum* tamen, vel in recta diſtributione, eſſe queat *juſtitiæ* gratioſæ nobis *imputatæ Pſal.* CXII, 9. *Luc.* XI, 41. 2) quod bona noſtra, ut bona egenorum Deus conſiderari velit. *Proverb.* III, 27 3) quod beneficentia, in ultimo judicio, compenſatorem Chriſtum, immiſericordia vero judicem ſeverum habitura ſit. *Matth* XXV, 31. ſeqq. 4) quod beſtiarum ſenſus naturæ hîc accomodatior ſit atque hominis, quarum nulla eſt, quæ, poſt paſtum, reliqua in uſum aliarum non relinquat, 5) quod primi Chriſtiani ſua ſe beneficentia, etiam illis qui extra Eccleſiam erant, ita commendaverint, ut quam plurimi ex gentilibus, vel hac virtute viſa, ad cultum Chriſti tranſierint.

ſ) Specia- tim ad beneficentiam excitare.

Digitized by Google

§. VIII.

b) ut ſuccurratur corpori & animæ.

(6) *Non* autem *ſoli victui* ſubveniendum eſt, cum *totus* utrique *homo* auxilio indigeat. Sic nec beneficia noſtra ſolâ pecuniâ concludenda ſunt, ſed benefaciendum & iis quæ ſunt *in animo*, votis, conſilio, prudentia, præceptis vitæ, juxta illud: *Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora*, & quæ *in corpore*, præſentiâ corporum, verbis, viribus, labore, procuratione, & vel *externis*, dignitate, auctoritate, gratia, amicitiis &c. Atque ita paſtor non tantum examen, data occaſione, inſtituet de fide pauperum, de ſtatu animæ ipſorum, ſed cumprimis hæc ipſis proponet: Inopiam à Deo miſſam æquo animo tolerandam eſſe; juſtas & quandoque naturales, hujusce divini judicii, eſſe cauſas, hæc plerunque peccatis deberi, de quibus illis reſipiſcendum ſit, nudum Chriſtum à nudis maximè, & viva fide, ſuſcipiendum, ſanctè Deo fidendum, eſſe &, ſi mala, cum *Lazaro*, recipiant in hac vita, operam dandam, ne pejus habeant in altera; monendi proin ſunt, ne, per viliſſimos quæſtus, per ſimulationes, fraudes, mendacia, furta, ſimiliaque mendicis familiaria peccata, etiam cœleſtium bonorum jacturam faciant, eſſe etiam ea, quibus indigent, modeſtè petenda, nihil verecundiâ, ad conciliandum amorem, efficacius eſſe, item, laborandum illis eſſe, quantum valeant, ne ſint otioſi, pro iis, quæ accipiunt, non verbis tantum, ſed etiam animo, ſincerisque precibus, gratias agendas eſſe, de ſupervacuo diurni victus iterum aliis, qui victu prorſus carent, quid relinquendum & dandum eſſe, ad *exemplum viduæ* illius, quæ, de ſua tenuitate, cum jam nutrita eſſet, *duo* ſibi reliqua *minuta* in pauperum ærarium conjecit *Marc.* XII, 41. 42. Cummaximè etiam curam illis commendabit liberorum, ut, dum nihil aliud ipſis relinquunt, pietatem ſaltem relinquant, bonis omnibus anteponendam. Addendum; hæc ſimiliaque officia ſi obſervent, panem illis nunquam defuturum, nec, vel miſerrimis, eſſe cur metuant, quia Pater illis regnum deſtinavit, unde, quoad illud conſequantur, certiſſimè nutriendi ſint. Tandem &, peregrè abeuntibus pauperibus, unà cum viatico, literæ

Digitized by Google

literæ dari poterunt teſtimoniales, quibus, etiam aliis, pro conditione paupertatis, commendentur, ſed hæc omnia in veritate, & iis ſaltem præſtanda ſunt, qui nobis perſpecti ſunt.

§. IX.

Hæc de cura pauperum ratione *eleemoſynarum privatarum.* Sunt & *publicæ*, quæ colliguntur vel *in cœtu*, vel aliunde, in *diverſoriis*, ex *mulctis pecuniariis*, de *contractibus* &c. De his obſervanda ſunt ſequentia: α) quod *cura colligendi, conſervandi, diſtribuendi eleemoſynas meritò & magè ſpectet ad Eccleſiam, quam ad Magiſtratum*, licet hic, ut cuſtos utriusque tabulæ, & membrum primarium Eccleſiæ, ab inſpectione & rationibus eleemoſynarum excludi nequeat. Apoſtoli equidem menſis ſervire nec poterant, nec volebant, ſed elegêre tamen perſonas, quæ illarum curam habebant. *Actor.* VI, 1 - 7. & quidem tales, qui & ipſi protinus Miniſterio Eccleſiæ adſcribebantur, quique & potiori directioni Apoſtolorum ſubjiciebantur, unde & protinus abhinc pecunia, pro pauperibus, collecta & pedes non diaconorum, ſed ſeniorum deponebatur. *Actor.* XI, 30. *Petrus* etiam, *Jacobus* & *Johannes Paulo* & *Barnabæ* curam pauperum committebant. *Galat.* II, 9. 10. Diaconos etiam *Paulus* Epiſcopis ſubjungit, & utrorumque officia in multis eadem, conjungit 1. *Timoth.* III. eſtque in communi, ut ſe nunc tempora noſtra habent, conſultum, ut cura rei eleemoſynariæ, in terris maximè Proteſtantium, ubi principes, cum ſtatu politico, varias ſubeunt mutationes, Eccleſiæ relinquantur, Eccleſia enim, cum ſuis agendis, & Miniſterio, tam facile mutari nequit. Quod eleemoſyna Eccleſiaſtica *cumprimis* equidem à *Diaconis* colligi & diſtribui debeat, ſed ſub inſpectione paſtorum, quibus ea propter, penes nos, ſola facultas datur, pauperibus aliquid, ex eleemoſyna, aſſignandi; ſicuti & *Eccleſia Judaica* duos ad colligendum, quorum alter numos, alter cibos collegit, tres autem, eosque alios, ad diſtribuendum deſtinavit. Videatur, qui de his prolixe agit, *Rhenferdius* in libro *de decem otioſis.* β) Quod à Diaconis *eleemoſynæ non per modum tributi fidelibus imponendæ* ſint. Spontaneæ oblationes tantum colligendæ

b) quoad eleemoſynas publicas, de quibus obſervandum

α) quod cura illarum competat Eccleſiæ in genere.

Diaconis in ſpecie

β) quod illæ non ſint imponendæ

per modum tributi

gendæ ſunt, intercedente indefinita petitione. Aliter enim res ſe habet cum eleemoſynis, atque cum cenſibus Magiſtratus, ſalariis paſtorum, refectione templorum &c. in quibus debiti quædam ſpecies locum habet. Confer *Rom.* XIII, 5. 6. *Galat.* VI, 6. 2. *Corinth.* IX, 7. Interim, γ) per paſtores, & publicè & privatim, opulentiores excitari poterunt, etiam ſub comminatione miſeriæ, & immiſericordis judicii, quod maneat immiſericordes. Poterit etiam cumprimis ab ἀτέκνοις quadantenus expeti, ut, de bonis ſuis, pauperibus legata relinquant, ſed ita tamen, ut hic ſolicitè evitetur *inde* nimia aſſentatio, vel indecens ſuimet ipſius, coram ditioribus, humiliatio, qualis erat *Presbyterorum* illorum, quorum *Hieronymus* meminit, qui viduis opulentioribus jugiter adſtitere, diu, noctuque inſerviêre, matulam præbuêre, ſputum, ſuis manibus, excepêre, ut numos quosdam, pro pauperibus, extorqueant; *hinc* vero, ne videamur etiam legitimis hæredibus, præſertim indigentibus, omnia ex faucibus eripere. Eſt modus in rebus, alendi ſunt pauperes, ſed eapropter ærarium pauperum non per fas & nefas, immenſis opibus, augendum eſt. Interim Magiſtratus etiam, in tali caſu, in bonum pauperum, & ut communi neceſſitati pauperum conſulatur, leges ferre poteſt, prouti factum, à *pientiſſimis Palatinatûs principibus*, per erectionem *horrei*, quod vocatur, *neceſſitatis*, Noth-Speicher) in quod hæredes ἀτέκνων certum hæreditatis quotum conferre tenenter.

attamen γ) ab opulentioribus petendæ

§. X.

δ) quod abſtinendum ſit à bonis injuſtè partis

δ) *Abſtinebit* etiam *Eccleſia à bonis* evidenter *injuſtè partis*, ſi conferuntur, in ærarium pauperum, bona, notis & juſtis hæredibus, injuſtè ablata, quippe quæ non magis in ærarium pauperum, quam quondam donum meretricis, & pretium canis, in domum DEI inferri debent. *Deut.* XXIII, 18. Secus tamen res ſe habet, ſi nulli hæredes, vel juſti poſſeſſores noti ſunt, tum enim hæc Domino, pro pauperibus, offerenda eſſe lex divina & permittit & jubet. Servanda Chriſtianis ea laus eſſet, quam & quondam, & haud pridem etiam apud inſide-

Digitized by Google

infideles, habuêre, uti quidem *Petrus della Valle*, in *itinerario* ſuo *Tom.* II. *Epiſt.* II. refert, quod *Perſarum*, ſui temporis, *Rex*, quotiescunque pauperibus eleemoſynam dare vellet, eam à Chriſtianis mutuò acceperit, quia ſolos hoſce bona ſua, illæſâ conſcientiâ, tenere judicaverat.

§. XI.

ɪ) *Bona in uſum pauperum collata, in horum etiam uſum unicè diſpenſari debent.* Ditiores ex pauperum cenſu, citra ſacrilegii notam, nihil quicquam ſibi quærere vel capere deberent, ſub nullo etiam obtentu vel diætarum, vel impendii temporis, ſicuti & nuper, diſerto mandato electorali, præfectis Palatinatûs prohibitum fuit, ne, pro rationibus eleemoſynariis diſpiciendis, vel obolum petant, & ſic, ſub nullo obtentu, in ſpecie ſub nomine diætarum, ærarium pauperum imminuant. Ita vero diſpenſari debent citra diſcrimen Religionis, vel etiam civitatis, nam & peregrinis hinc ſuccurrendum eſt *Levit.* XIX, 10. ſed ita ut obſervetur monitum *Pauli Galat.* VI, 10. Eſtque, in hac diſpenſatione, id curandum, ut potior pauperum præſentium, quam fundi futuri ratio habeatur, nec enim eleemoſynæ dantur, ut Theſauri colligantur, aliis quandoque poſtea patuli, ſed ut conſulatur neceſſitati pauperum vel dimenſo, ſive quotidiano, ſive hebdomadario, ſive menſtruo, vel ultra etiam illos juvando, ſic ut ſemel emergant, & ab eleemoſyna eximi queant. Videantur interim de his *Bucerus Oper. Angl.* pag. 50. & 80. *la Placette* de *l'Aumone*, *Joh. Launoius* de *cura pauperum*, & *Joh. Lud. Vives de ſubveniendis pauperibus.*

ɪ) quod bona collata, in uſum pauperum unicè impendi debeant.

(o)

Caput

Caput XVI.

De Officiis Paſtoris in Confirmatione Matrimonii obſervandis.

Σύνοψις.

In cauſis matrimonialibus occupantur tum forum civile §. I. tum miniſterium S. §. II. Juxta definitionem matrimonii §. III. Cura paſtoris verſatur א) circa *Bigamiam* & *Polygamiam* §. IV. V. ב) circa *legitima Sponſalia* § VI. maxime illa quæ *de præſenti* interceſsêre §. VII. quorum diſſolutio cautè ſuſcipienda §. VIII. ג) circa *matrimonia inceſtuoſa* §. IX. X. XI. *quæ, jure divino, prohibentur* *) vel *expreſſis verbis*, veluti: 1) Nuptiæ in linea recta conſanguinitatis aſcendente & deſcendente §. XII. 2) Conjugia primi gradus in linea collaterali æquali. §. XIII. 3) Matrimonia in gradu ſecundo lineæ collateralis inæqualis §. XIV. 4) Conjugia cum illis, qui, ex affinitate, vel patri, vel nobis propinqui ſunt §. XV. An etiam conjugia duarum ſororum ſucceſſiva interdicta ſint, examinatur §. XVI. Officium paſtoris circa hæc inceſtuoſa matrimonia §. XVII. **) vel per conſequentiam legitimam, ex verbis legislatoris deductam §. XVIII. utpote in quibus omnibus propriè inceſtus committitur § XIX. ד) circa conjugia quæ prohibentur *jure humano* §. XX. ה) circa *matrimonia legitima*, ibique *) tum *in initio* eorum a) quoad nimiam Religionis conjungendorum diſparitatem §. XXI. b) quoad legitimum conſenſum partium contrahentium, parentum, cognatorum §. XXII. c) quoad benedictionem matrimonii ſolennem § XXIII. d) quoad nuptiarum conſummationem § XXIV. e) quoad ſanctos matrimonii fines §. XXV. **) tum *in progreſſu* matrimonii, *&* ratione pacis, inter conjuges, firmandæ, §. XXVI. *&* reſpectu neceſſarii legitimi divortii §. XXVII. XXVIII. Clauſula, de munere paſtorali, absque juſſu divino, non deponendo. §. XXIX.

§. I.

§. I.

In cauſis matrimonialibus occupantur, tum Magiſtratus Civilis,

C*Auſæ matrimoniales* proprie non ad Eccleſiam ſed *ad forum civile* pertinent. Erronea theſis eſt, quod *contractus matrimonii* elevatus ſit in *Sacramentum*, & quod hinc cauſæ matrimoniales, à *poteſtate principum*, translatæ fuerint *in Eccleſiam*; conjunctio enim hæc per ſe facit ad vitam humanam, præſensque ſeculum, nec nos per ſe DEO commendat. Eſt conjugium etiam inter infideles. Imperium quoddam civile ſubſiſtit, in mundo, ſine Eccleſia, ſed non ſubſiſtit ſine matrimonio, unde neceſſario ſequitur, quod princeps, de caſibus impedientibus & dirimentibus matrimonium, judicare queat, cummaximè cum & ipſæ illæ cauſæ, quæ matrimonium impediunt atque dirimunt, civiles ſint, qua de cauſa ipſemet *Chriſtus* oſtendit, ſe in matrimonialibus, vel ubi divina præcepta lædebantur, judicem agere nolle, *Joh.* VIII, 4-11. Sic etiam *principes Chriſtiani*, inde ab initio usque ad A. C. 1122, de cauſis matrimonialibus ſoli decreta tulêre. *Theodoſius* e. g. peculiari lege, ſecundum *Aurelium Victorem*, *nuptias conſobrinorum* prohibuit, quam legem *Ambroſius* equidem & *Auguſtinus* approbarunt; *Gothi* vero, in his ipſis nuptiis, diſpenſarunt, ut patet ex *Caſſiodori formula*, qua *conſobrina ſit legitima uxor*. Sic & *Juſtinianus Inſtit. Lib.* I. Tit. X. *de nuptiis*, *Carolus* M. *Capitul.* Lib. VI. & VII. aliique plures, de cauſis matrimonialibus varia decreta tulêre. *Innocentius* III. primus fuit, qui, ut in aliis multis fibulam laxavit, ita &, quoad hoc argumentum, in *Concilio Lateranenſi* A. C. 1122, jus ſibi attribuit ſtatuendi de cauſis matrimonialibus, ſed ita tamen, ut rationem ſui decreti ex humanis mage, quam divinis legibus petierit. Unde etiam poſthæc *Ludovicus Bavarus*, ad hunc canonem non reſpiciens, ſuo decreto nuptias diſſolvit, & in cognationibus, in lege divina non expreſſis, diſpenſavit, quod exemplum *Marquardus Freherus*, ex illius hiſtoria, peculiari libro & illuſtravit & vindicavit, ſicuti & etiamnum, in hunc usque diem, in *Gallia*, non obſtante *concilio Tridentino*, cauſæ matrimoniales in foro civili diſcutiuntur, atque inter nos etiam *dicaſterium matrimoniale* ex *conſiliariis* merè *politicis* conſtat. Vi-

deatur etiam *Launoius*, qui principum hocce jus circa matrimonia, præſtantibus ſcriptis, defendit.

§. II.

tum Miniſterium Sacrum.

Quia tamen *conjugium ineundum eſt in Domino*, *tabulæ* etiam *juris divini*, *leges* quamplurimas, à populo DEI, *quoad matrimonium*, obſervandas, continent, de quarum legum ſenſu *Miniſterium* S. meritò conſulitur. *Malach.* II, 7. *Deut.* XVII, 8-12. & *paſtoribus*, etiam per leges publicas, easque antiquiſſimas, incumbit, ut, precibus ad DEUM fuſis, & benedictione ſolenni, matrimonium confirment, id ipſum autem, niſi legitimum ſit matrimonium, illæsâ conſcientia fieri nequit, hinc ſolicitè diſpiciendum erit paſtori, ne errorem, in hoc caſu vix ac ne vix revocabilem, committat, utque conjuges etiam ſui officii rectè memores reddat, tum quia *conjugium* eſt *inſtitutum divinum*, tum quia, ut typus, *ſummum amorem divinum*, & *unionem Chriſti* & *Eccleſiæ* repræſentat. *Epheſ.* V, 23. 1. *Corinth.* XI, 3.

§. III.

Conjugii definitio.

Eſt autem CONJUGIUM, *legitima ſimul & indiſſolubilis, unius maris, & unius fœminæ, juxta DEI præſcriptum, per debitum utriusque partis conſenſum, inſtituta conjunctio, ad procreationem ſobolis, ceu ſeminis DEI, & mutuum, in divinis & humanis adjutorium.* Exprimitur hæc conjunctio nomine 1) *matrimonii*, quia fœmina non ob aliud nubere debeat, quam ut Mater fiat. *Auguſtinus* Lib. 19. *contra Fauſtum* c. 26. 2) *Conjugii*, ob jugum, apud Latinos, collo ſpondentium impoſitum. vid. *Montfaucon* in *Antiq. Explicat.* Tom. III. p. 2. fol. 216. 3) *Nuptiarum*, à velo quo faciem tegebat ſponſa. *Geneſ.* XXIV, 65. XX, 16. confer 1. *Cor.* XI, 10. quia ſignum hoc erat ſubjectionis & humiliationis.

§. IV.

Cura paſtoris א) circa bigamiam & polygamiam.

Conjunctio eſt *unius viri* & *unius fœminæ*, unde, per divinas & humanas leges, *Bigamia* & *Polygamia* prohibentur, quia *inſtitutioni matrimonii*, & *quoad factum DEI*, qui, cum plures eſſent coſtæ in Adamo, & indefatigabilis manus in DEO, unam

illi

illi tantum thori ſociam junxit, & *quoad illius verba: Deſeret vir Patrem & Matrem* &c. *Geneſ.* II, 24.; *Scopo* itidem quærendi ſemen DEI, in matrimonio ſuo. *Malach.* II, 15; *Explicationi* porro hujus *inſtitutionis* per *Chriſtum* factæ *Matth.* XIX, 1-9. atque traditioni ſui corporis in poteſtatem alterius 1. *Corinth.* VII, 3. 4. adeo ſunt contrariæ, ut, haud minùs atque divortium, per ſe & ſuâ naturâ, importent adulterium. Si enim vir, qui uxorem ſuam dimittit, extra caſum adulterii, & aliam ducit, adulter eſt, & quidem per ſe, & virtute primæ inſtitutionis, multò magis conjunctio conjugalis inter virum & uxores plures, ſimul ductas, per ſe & ſuâ naturâ adulterium erit. Si enim ille, qui divortium fecit, ideo tantùm committit adulterium, quia, novo contractu, cum alia ſe conjungit, cum tamen caro ipſius, jam alteri tradita, non amplius ſit in ipſius poteſtate, (unde notanter *Marc.* X, 11. dicitur: μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν i. e. *adverſus illam*, aliâ ſcilicet ductâ) quantò magè adulter erit, qui nequidem à priori interim abſtinet, ſed pluribus ſimul ſe, vinculo conjugali, adſtringit. Hinc & *bigamus*, in imperio Romano, *gladio punitur*, ſecundum *ordinationem criminalem Caroli* V. *artic.* 121. adeo ut intercesſio, & remisſio conjugis innocentis, bigamos ab hoc ſupplicio non liberet. Vid. *Carpzovius* in *Praxi Crimin. Quæſt.* 66. *num.* 39.

§. V.

Hinc igitur paſtori incumbit, ut ſolicitè diſpiciat, *ne bigamis benedicat*, neque, mediante *benedictione*, ut vocari ſolet, *ſacerdotali eorum matrimonium* confirmet, ſic enim adulterio promovendo inſerviret. Unde, ſi ſciens tali matrimonio benedixit, per canones Eccleſiaſticos, citra remisſionem, deponitur, ſi vero illud neſciat, nec tamen debita circumſpectione uſus fuerit, magnæ tamen culpæ reus eſt. Unde neceſſe eſt, ut, priusquam ad copulationem conjungendorum accedat, ſi peregrini ſint, vel in regionibus exteris pars altera vixerit, *dimiſſoriales literas*, ſive teſtimonia petat, ex locis vel natalibus, vel priſtinæ converſationis deſponſatorum, aut ſaltem, ſi cum militibus illi res ſit, à militaribus præfectis, quibus illi teſtentur, quod (quibus paſtor minimè benedicet)

 neutra

neutra pars, vinculo conjugali, alteri cuidam conjuncta ſit. Hinc vero requiritur etiam, ut *ſponſalium publica*, vel, ut apud quosdam, in foro, vel, ut apud nos, in Eccleſia, præcedat *promulgatio*, eaque, ex conſtitutionibus noſtris, *trina*, niſi, ob rationes graves, ab iis qui cauſas matrimoniales cognoſcendi jus habent, diſpenſetur, ſicque etiam, inter illas promulgationes, tantum temporis intervallum intercedat, ut omnes, quorum intereſt, id reſciſcere queant. Proclamatio vero in foro cumprimis neceſſaria eſt reſpectu illarum perſonarum, quæ jam antea conjugatæ fuêre, & ſi de conjugis alterutrius morte certum quid non conſtat, quo in caſu pars altera, ſecundum leges noſtras, ad ſeptimum usque annum, inde à tempore abſentiæ partis illius, quæ pro defuncta habetur, exſpectare jubetur, & vel tum per ſex & ampliùs hebdomades conjux edictaliter citari ſolet.

§. VI.

ב) Circa legitima ſponſalia.

Neque tamen paſtori ad prius ſaltem matrimonium *reſpiciendum* eſt, ſed etiam *ad ſponſalia*, ne fortè talia cum altera perſona legitimè priùs interceſſerint. Ita vero vocantur *ſolennes & mutuæ, de ineundis nuptiis, promiſſiones, inde in mentione, ab una, hinc in repromiſſione, ſive acceptione futurarum nuptiarum, ab altera parte, conſtantes*, quæ equidem in *Jure Canonico*, indè ab *Alexandri* III. Decreto, diſtinguuntur in *ſponſalia de futuro*, & *de præſenti*, & per verba: *Accipio, accipiam* diſtingui ſolent. *Priora*, quæ *de futuro* dicuntur, quando conſenſus ipſe in certum etiamnum eventum ſuſpenditur, & promiſſiones matrimoniales, vel expreſſis verbis, vel ex natura perſonarum, continent conditionem, pro veris ſponſaliis, à noſtris, non habentur. Videatur *Voetius de matrimonio*. *Poſteriora* vero, ſive *ſponſalia de præſenti* vocantur, quando *conſenſus* equidem *perfectus* eſt, ſed matrimonii conſummatio in certum eventum, vel tempus differtur. Sic vero demum pro *perfecto conſenſu* haberi debet, ſi, quorum intereſt, ſibi individuam vitæ conjunctionem, vel verbis, vel ſcripto, vel arrhâ quadam, coram parentibus, hisque annuentibus, (deficiente enim horum conſenſu, ſpon-

Digitized by Google

ſponſalia clandeſtina, & ſic ipſo jure nulla ſunt) aut teſtibus, citra conditionem, promittunt & repromittunt, modò conſenſus ille verus fuerit, non ſimulatus, reciprocus ſive mutuus & liber, nec quoad intellectum, vel voluntatem impeditus, ac ab iis etiam, qui ſui juris ſunt, etiam publice, ut de conſenſu conſtet ex teſtium conſenſu, initus. *Conſenſus parentum* non tantum *honeſtus*, ſed & *abſolutè neceſſarius* eſt. Liberi parentibus & obedientiam in omnibus *Coloſſ.* III, 20, & hunc maximè honorem debent, ut, in re tanti momenti, nec mandatum nec conſilium parentum ſpernant, munitum diſertis præceptis DEI. *Exod.* XXXIV, 16. *Deut.* VII, 3. *Jerem.* XXIX, 6. 1. *Corinth.* VII, 36. 37. etiam in teſtimonium grati animi, qui præcipit, ut, nonniſi bonâ parentum veniâ, è domo parentum exeant, ut de ſe, de familia, de parentum bonis, nonniſi cum eorum arbitrio diſponant. Si DEUS noluit, ut *votum* ipſi fiat, *nolentibus parentibus*, à liberis. *Numer.* XXX, 4. 5. 6. multò minus nuptias approbabit, ipſis inſciis & nolentibus, à liberis contractas. Nec vel illæ nuptiæ, abſque conſenſu parentum, confirmari debent, ſi concubitus præceſſerit, & ſponſa prægnans ſit. Licet enim non deſint, qui tum validum eſſe putent matrimonium, (videatur *Wernherus* in *principiis juris Eccleſ.* Cap. XIII. §. 21.) malè tamen hoc ſtatuitur, quia tum parentes jure ſuo privarentur per id quod vitioſum eſt. Interim ſi parentes non habeant idoneam diſſentiendi cauſam, & circa iniquum diſſenſum contumaces ſint, lucri ergò, res ad Conſiſtorium deferri poteſt, quod parentum conſenſum ſupplere poteſt. vide *Judic.* XXI, 19-22. Conſenſus tamen etiam tacitus ſufficit. *Numer.* XXX, 4. 5. Semel autem datum conſenſum, ſine graviſſima cauſa, retrahere non poſſunt parentes. Ad juſtas diſſentiendi cauſas autem an etiam paupertas, vel differentia conditionis pertineat, à circumſtantiis dependet. Olim Romanis nonniſi Romanas ducere licuit. Senatores filias ſuas cum plebejis conjungere non potuêre. Cives inter ſe matrimonia inibant. vid. *Montfaucon* in *Antiq. Explicat.* Tom. II. Part. II. c. 29. Hoc ſaltem reſpectu *Eſavus* πόρνος & βέβηλος audit. confer *Hebr.* XII, 16.

Geneſ. XXV, 34. 35. XXXVI, 2. quia ſcilicet è filiabus gentium uxores duxit.

§. VII.

Maximè, quæ de præſenti ſunt.

Si quis igitur per ejusmodi *ſponſalia de præſenti* ſeſe cum altera priùs obſtrinxerit, à paſtori copulari non debet, cum ſic poteſtatem non ampliùs habeat, paciſcendi ſuper matrimonio cum alia. Nec ſufficiet paſtori, ſi priora ſponſalia, mutuo deſponſatorum conſenſu, fuerint diſſoluta. Differunt enim in hoc ſponſalia à pactis reliquis, quod *hæc* equidem, nullâ antecedente causâ, mutuo diſſolvi queant, non vero *illa*, quia DEUS voluit, ut conjunctio matrimonialis ſit indiſſolubilis; ubi proinde ſingulari cum circumſpectione agendum erit paſtori, taleſque, ſi vel minimus ſcrupulus remaneat, potiùs ad dicaſterium matrimoniale remitti debent, licet &, ab altera parte, non protinus in illam litium abyſſum conjiciendi ſint. In quem finem fortè & illa Juris-Conſultorum altera diſtinctio obſervari meretur, qua diſtinguunt inter *nuptias ſperatas*, *pactas* & *ſponſas*, ubi *ſperatæ* dicuntur, quæ ſaltem ambiuntur, nulla etiamnum intercedente promiſſione, *pactæ*, ubi promiſſio equidem quædam intercedit, ſed ſolennitate omni carens, *ſponſæ* vero ſunt, ubi perfectus conſenſus datus eſt. In *primis* nullus remanebit ſcrupulus, de *ſecundis* ipſemet paſtor diſpicere poteſt, ſed in *tertiis* deſponſatos ad dicaſteria matrimonialia remittet.

§. VIII.

Quorum diſſolutio cautè ſuſcipienda.

Cauſæ vero, ob quas *ſponſalia de præſenti diſſolvi* poſſunt, ita comparatæ eſſe debent, ut ipſa matrimonii eſſentia per illa evertatur, quamvis ingenuè fatendum ſit, plura requiri ad diſſolutionem matrimonii, quam ſponſalium, de quibus hæc tenenda ſunt: 1) Per ſponſalia equidem vinculo ſingulari innectuntur deſponſati, ad ſubeundum matrimonium, unde *Joſepho* præcipiebatur, non deſerere *Mariam*, *Matth.* I, 20., & quidem quia deſponſata quadantenus jam uxor eſt, confer. 1. *Corinth.* VII, 8. 10. ubi γυνὴ viduis opponitur, atque pro uxore habetur in foro civili, qua de cauſa congreſſus alteriùs cum deſpon-

deſponſata eidem pœnæ ſubjicitur, quæ adulteris erat infligenda. *Deut.* XXIII, 24. Et licet 2) hæc ſponſalia nondum ſint matrimonium ipſum, neque jus detur deſponſato in corpus & bona deſponſatæ; & conjugalis hæc ſocietas tum demum ſit perfecta, quando una caro fiunt, ut, hoc in caſu demum, ab hominibus non ſeparandi ſint, quos DEUS conjunxit *Matth.* XIX; non licet tamen deſponſatos ſeparare ob cauſas leviores, & externas v. g. jacturam bonorum, emergentia & apparentia debita; ſi enim, qui jurat vel in perniciem ſuam, juramentum tamen ſervare tenetur. *Pſal.* XV, 4. 5. multò minùs hic, ubi quaſi juramentum interceſſit, in conjunctione, ſuâ naturâ, indiſſolubili, promiſſum & votum ſuum reſcindere licebit. Quod ſi tamen 3) pars una alteri non tantum infidelis eſſet; (quomodo ex capite adulterii ſeparatio juſtiſſima eſſet) ſed etiam, ſi graviter honeſtatem lædat, vel ſi pertinax quoddam odium inter deſponſatos intercedat, ita ut vel una, vel altera pars, poſt omnia, leniora, duriora, remedia, pœnas pecuniarias, carcerem etiam, flecti nequeat, præſtaret omnino tandem iſtiusmodi ſponſalia, ſed per Conſiſtoria, diſſolvere, & diſſolutionem ſuadere; ne aut infelix ſit matrimonium, quod tamen in mutuum vitæ adjutorium deſtinatum eſt, aut illis, qui ſe continere nequeunt, ad illicitos amores anſa detur; maxime ſi capitale & irremiſſibile prorſus ſit odium, ſi morbus fœtidus & contagioſus interceſſerit, aut ſi crimine quodam atrociori, homicidio, furto, & quaſi adulterio cum alia perſona, ſolicitatione etiam novorum ſponſalium cum alia, ſe polluerit. De quibus videantur *Beyerus* in *addidamentis* ad *Carpzovium*, & *Wernberus* in *Princip. Juris Eccleſ.* p. 259. Nec ſufficit, in tali caſu, dicere, *quod* tamen *conſenſus faciat matrimonium*; in hoc enim dicto conſenſus intelligitur non modo perfectus, ſed & perpetuus, & qui ſui traditione confirmatur, ſaltem nudo concubitui, ſine conſenſu pleno, inſtituto oppoſitus; nec enim, ſecundum Veteres, defloratio virginitatis, ſed pactio conjugalis, facit conjugium. Si vero conſenſus ille, ante nuptias, non duret, ſpontanea ſui traditione non confirmatur, hincque ſequitur, quod, quia nullus conſenſus adeſt, matrimonium etiam non ſit confirmandum, Objectio. Reſp.

aliter

aliter tamen prorſus res ſe habet, quando jam, poſt conſenſum plenum, traditione ſui confirmatum, una caro facti ſunt. Si, in ſacris, *deſponſata* dicatur *uxor*, hoc tantum inde eſt, quia, in deſponſatione, matrimonii initium eſt, ſed nondum conſummatio. Si *deſponſatæ congreſſus*, cum alio, punitur ut *adulterium*, id tantum ideo fit, quia in illo, quoad initium, addictæ fidei petulans violatio eſt. 4) Si quis ſponſalia cum duabus celebraverit, fuſtigationem & relegationem publicam meretur. In illo autem concurſu, *ſponſalia de præſenti* illis *de futuro*, *pura conditionatis*, *publica clandeſtinis* præferuntur. Videantur de his, ex noſtris Theologis, *Rivetus in Exercit. ad Geneſin*, ibique ad *Geneſ.* XXIX. & *Joh. Melchioris Betrachtung von dem Eheſtand* Part. II. c. 7.

Inſtantia Reſp. — *Objectio. Reſp.*

§. IX.

3) Circa matrimonia inceſtuoſa.

Eſt matrimonium, ſecundò, *conjunctio legitima*. Hinc non *confirmabit* paſtor *matrimonium*, quod *divinis* & *humanis legibus* eſt *contrarium*. Tale eſt quod *cum conſanguineis proximis* initur. Per iſtiusmodi *inceſtum* peccatur 1) in *propriam carnem*. Matrimonium prima Societatis baſis eſt: *Non eſt bonum homini, ut ſit ſolus;* hoc igitur *primum*, contra inceſtum, *argumentum* eſt: *erunt duo in carnem unam*, proin antea non una caro fuerint neceſſe eſt. Sunt autem *proximi cognati una caro Jeſai.* LVIII, 7. שאר בשר *reſiduum carnis Levit.* XVIII, 6. quæ, in ſtipite tota, in hoſce ramos diviſa, una eſt & eadem, unde, apud Veteres, inceſtus deſcribitur: *ſe, in proximitatem redeundo, polluere. Caſſiod. Var.* Lib. VII. Cap. 24. Peccatur 2) in *auctoritatem paternam*, per familiaritatem conjugalem utique non tollendam. Quæritur, in matrimonio, ſemen Dei, hinc, cumprimis poſt peccatum, ſolicita educatione opus eſt; ſed &, ob eandem, auctoritate paternâ, & reverentiâ filiali, quæ cum retectione nuditatis, quæ pudorem tollit *Geneſ.* IX, 23. non quadrat. Nec etiam poteſtas patria cum æqualitate matrimonii conſiſtere poteſt. *Illa* defectum rationis, in liberis educandis, ſupponit, & uſum ejus etiamnum formandum eſſe indicat, in *hoc* autem vir עזר כנגדו *auxilium* rationale, & ſic proportio-

natum

Digitized by Google

natum *quod et* jugiter *adſit*, quærit, uſumque rationis jam formatum ſupponit; hinc etiam *ſecundum*, contra inceſtum, *argumentum* in S. Scriptura eſt: *deſeret vir patrem & matrem* (etiam *cubile* illorum, ſecundum *Jonathanem*, confer *Luc.* XI, 7.) *& adhærebit uxori ſuæ.* Hinc etiam *Levit.* XVIII. ſaltem illi caſus exprimuntur, ubi reſpectus paternus læditur, qua de cauſa e. g. licet matrimonium cum amita & matertera fuerit exertè prohibitum, conjugium tamen patrui cum nepte non exprimitur, quod reſpectus hîc parentelæ, ſaltem tam evidenter, non lædatur. Peccatur 3) in *Societatem humanam.* Decens eſt amicitias ſpargere per diffuſas affinitates, ſecundum *Auguſtinum de Civitate Dei* Lib. XV. Cap. 16. & dilatationem providam in genus extraneum habere, *Caſſiod. Varior.* Lib. VII. Cap. 46. Hoc *tertium* videtur, Scripturæ S. contra inceſtum, *fundamentum* eſſe, quando dicitur: *Creſcite*, ſcilicet numero, *& multiplicamini*, nempe familiis. Sic & in verbis *Levit.* XVIII, 7. *Mater tua eſt*, hoc etiam latere videtur, non æquum proinde eſſe, ut & tuorum illa filiorum mater ſit, non fraudalis orbem ſpeciali generatione, non circulum facies, ubi protenſione & extenſione opus eſt. Sed nec firmanda, per matrimonia, Societas impedienda eſt per ſuſpiciones illiciti congreſſus, in ædibus paternis, quæ vitari non poſſent, ſi matrimonia inter fratres & ſorores permitterentur. Hac de cauſa, iterata vice, ejusmodi conjugia prohibentur *Levit.* XVIII, 9. 11. quod fratres & ſorores conſanguineæ in iisdem ædibus maneant, cum uterinæ, cum matre, quandoque in aliam familiam transeant.

§. X.

Non confirmabit igitur paſtor, *primò*, *matrimonia* JURE DIVINO *probibita*, ſed potiùs confirmata, ab alio, diſſolvenda eſſe ſuadebit, nec *inceſtuoſos membris Eccleſiæ accenſebit.* Nec enim, quæ jure divino, cumprimis *Levit* XVIII & XX. prohibentur, ad forenſia, ſive cæremonialia, pertinere judicabit, qui perpendit, 1) quod, ad leges haſce, Deus per eandem præfationem accedat, quam præmiſit decalogo, *Levit.* XVIII, 2. quod 2) vitia hæc cum inſtitutis, non majorum à lege cæremo- *Quæ paſtor non confirmabit.*

 niali

niali liberorum, ſed cum moribus Ægyptiorum atque Cananæorum conferantur. ℣. 3. quibus, vel hac de cauſa, libidines brutorum tribuuntur. *Ezech.* XXIII, 20. 3) quod, ut impudica retectio nuditatis *Noachi*, per *Chamum*. horrenda hæc ſcelera, juſto judicio, & divina permiſſione intulit ejus genti, ita eadem, vel ob hæc ſcelera, ex terra Canaan expulſa fuerit; 4) quod ratio, prohibitis inceſtibus, appoſita oſtendat evidenter, ita illa Deo eſſe contraria, ut, vel per hoc, quod Jehova ſit & perfectiſſimum & ſanctiſſimum ens, illa ferre nullo modo queat, 5) quod præcepta hæc verbis proponantur, quæ evidenter præcepta moralia reſpiciunt, ſicuti & ferè ſingula rationem adjectam habent, quæ morale quid continet; 6) quod ipſa illa vitia vocentur non tantum *pollutio*, ſed &, juxta emphaſin vocum Hebraicarum, *flagitium*, cum confuſione mentis & ordinis, in mundo, conjunctum, *ſcelus* ignominioſum, *impuritas*, quæ & ex Societate humana, & cœlo ipſo homines exterminat.

§. XI.

Ceu quæ, in jure divino, prohibentur, & in genere.

Ita vero inceſtus, in genere, & deſcribitur & prohibetur *Levit.* XVIII, 6. ubi notanda veniunt a) *univerſalitas præcepti*: איש איש Ita enim non ad viros tantum, ſed etiam ad fœminas reſpicitur; quando vox איש geminatur non ſexum ſignificat, ſed *diſtributivè* ſumitur pro *quolibet*, non Iſraëlitâ tantum ſed & pro gentili, ſecundum Judæos, in Canaane degente. *Sanhedr.* fol. 57. b. Porro b) *actus prohibitus*: לא תקרבו *Non appropinquabitis*, nempe per conjunctionem conjugalem. *Geneſ.* XX, 4. *Jeſai.* VIII, 3. ita tamen, ut Judæi rectè hunc acceſſum etiam extendant ad frequentem nimis, & familiarem converſationem, amplexationem, & id omne quod ad illicitos congreſſus irritare poteſt. c) *Objectum*, quod vitandum eſt, vocatur שאר בשר, ſive reddatur per *carnem carnis*, ſicuti voce *carnis* etiam *propinquitas* deſcribitur *Geneſ.* XXIX, 14. *Jeſai.* LVIII, 7. ſive vox שאר *reſidui* ſignificationem habeat, quod alteram tales partem, communis, in eodem ſtipite, ſanguinis, ad ſe derivatam acceperint. Cum enim propinquitas in carnis & ſanguinis communicatione conſiſtat, duorum propinquorum neuter

neuter integrum, ſed alter potiùs alterius, liberi parentum, fratres & ſorores, fratrum & ſororum reſiduum habent. Quando autem additur: ערוה לגלות *ad revelandum nuditatem*, ſub hoc nomine *ſecretiores partes*, quaſi per antiphraſin, ita vocantur, quia ſunt minimè denudandæ; hinc *Paulo* τὰ ἀσχήμονα 1. *Corinth.* XII, 23. dicuntur. Harum *revelatione*, pro actu conjugali, per metonymian antecedentis pro conſequenti, utuntur Hebræi verecundiæ cauſa, ſicuti & ſingularis verecundiæ, in exprimendis his actionibus, S. Scripturam eſſe *Scultetus* noſter in *Delitiis Evang. Pragenſ.* oſtendit. Cap. II.

§. XII.

Sunt autem, quæ *jure divino* prohibentur, *alia* claris verbis *expreſſa*, & extra controverſiam poſita, *alia* per conſequentiam inde *deducta*, *vel* ex emphaſi vocum quadantenus *dubia*. Ita 1) prohibitæ ſunt nuptiæ, in *linea recta conſanguinitatis*, & affinitatis, *tam aſcendente*, *quam deſcendente*, in infinitum, hinc prohibetur conjugium cum *matre*, & cum *uxore patris*, itidem, in linea deſcendente, cum *nepte*, ſive ex filio, ſive ex filia nata. ILLUD, quod *mater* ſit ejusdem carnis, auctoritatis patriæ & familiæ, ISTUD, quia nuditas *uxoris Patris*, ſive *noverca* ſive *concubina* ſit, nuditas eſt ipſius patris; quia noverca, in patris thalamum aſſumta, dominii paterni in liberos particeps facta eſt, cum quo Dominio ſubjectio ejus, quà uxoris, non quadrat, ſicuti etiam cum reſpectu, & reverentia filiali non convenit, ut pudoris paterni ſepimentum perrumpatur, aut memoria & amor Patris, per filium, in animo novercæ obliteretur; nec convenit cum bono communi univerſitatis humanæ, eam integra generatione fraudari, ſi, ex tali conjugio, prognati liberi eandem & matrem, & aviam cogerentur ſalutare. Accedit, quod communioni, & combinationi generis humani (quam Deus, in hiſce legibus matrimonialibus, ſibi potiſſimum præfixiſſe videtur) ſummoperè repugnet, ſi tales inter ſe invicem matrimonium contrahant, qui jam ante, arctiſſimo vinculo, conjuncti erant. Hoc vero, quod nuditas neptis ſit nuditas avi, &, per derivationem carnis à patre ad liberos,

Et in ſpecie vel expreſſis verbis, veluti. 1) Nuptiæ in linea recta conſanguinitatis, aſcendente & deſcendente.

Digitized by Google

beros, pars quaſi quædam abſciſſa carnis ejus. Sic & ratio docet, quod ſubordinatio naturalis, jus parentelæ, dependentia generatorum, à ſuis generantibus, in æternum maneat, nec unquam vinculum hoc, quod, citra mentis operationem, in ipſa natura rerum exiſtit, per actus in contrarium ſuſceptos, ad quos nuptiæ talium pertinent, tolli poſſit. Unde, ſi tale quid unquam fit, naturæ violatæ, per diſſolutionem matrimonii, ſuccurrendum eſt. Videatur *Carpzovius* in *Jurisprud. Conſiſtor.* Lib. II. Def. 99. num. 12. & 13. Hujus *prohibitionis fundamentum* itaque *filiatio* eſt.

§. XIII.

2) Conjugia primi gradus, in linea collaterali æquali

Sic & 2) prohibentur, in conſanguinitate, nuptiæ, *primi gradus lineæ collateralis*, *æqualis*, *fratrum* & *ſororum*. Ita *Levit.* XVIII, 9. mentio fit *ſororum*, & *conſanguinearum*, quæ, cum fratre, eundem patrem habent, & *uterinarum*, quæ *filia matris* ſunt, & quidem *tum* מולדת בית *domi nata* ſcilicet eidem patri, *tum* מולדת חוץ, ex alio patre, *extra familiam* hanc, priùs *nata*, ſive ex legitimo thoro, ſive ex fornicatione. Sic & *ibidem* ℣. 11. *filia uxoris patris* dicitur *ſoror*. Locus hic tam difficilis eſt, ut novem diverſas illius expoſitiones legamus, ubi tamen, cum Moſes, de gradibus agens, vocem *filiæ* hîc propriè accepiſſe videatur, præſtat *ſemi-privignam* intelligere, cujus jam ℣. 9. mentio facta, ita ut hac de cauſa lex repetatur, quia *temporibus Ante-Moſaicis conjugia conſanguinearum ſororum licita* vel fuerint, vel *credita fuerint*.

Quomodo vero hoc, & quidem ut morale quid, prohiberi potuerit, cum tamen, inter *Adami liberos*, conjugia fratrum & ſororum, etiam ſine tali diſcrimine, num diverſas matres, vel diverſos patres habuerint, permiſſa fuerint, & num credibile ſit, quod ad inceſtuoſas nuptias Deus Adami liberos quaſi ordinaverit? Difficultatem equidem habet, ſed non inſuperabilem, nec opus eſt, ea de cauſa, inter *legem naturæ*, & *poſitivam* quandam *univerſalem* diſtinguere, in qua poſteriore

Deus

Digitized by Google

Deus diſpenſare potuerit, nam talis *poſitiva univerſalis lex* debuiſſet etiam omnibus gentibus promulgari, cujus promulgationis tamen ne minima quidem rudera extant. Nec opus etiam eſt eò confugere, quod aliqua *lex naturalis* ſit talis *abſolutè*, & *hypotheticè*, ſive talis, quæ demum poſita multitudine generis humani locum habeat, quaſi diſconveniat hoc tantum fratribus, & ſororibus illis, qui vel quæ poſſunt jungi aliis; ſed huic potius principio inſiſtendum eſſe videtur, quod hæc contraria ſint legi naturæ, non ex prima legis inſtitutione, ſed ex ea vi quam lapſus Adami naturæ humanæ, per introductam mortalitatem, intulit. Cum enim parentes morti, ex peccato, fuerint obnoxii, ut jus patrium lineæ rectæ, ad educationem liberorum, non ſuffecerit: ſed neceſſitas exorta fuerit, ut & ſobolis, per peccatum etiam corruptæ, educationi proſpiciatur, opus etiam erat, ut jus & auctoritas paterna ad proximos etiam cognatos, maximè fratres & ſorores, extendatur, atque hinc, ut auctoritas his ſua integra maneat, adeoque ob jus ſubſidiarium, & ſecundarium parentelæ, etiam hæ nuptiæ abhinc prohibeantur. Cum vero, ante violentam *Abelis* mortem, nullum planè exemplum mortis extaret, primi etiam parentes diutiſſimè viverent, poterat, ex prima rerum inſtitutione, tum etiamnum non neceſſario jure ſubſidiario, matrimonium inter fratres & ſorores, ſine læſione juris naturæ, iniri. Sed cum hoc diu non duraret, neceſſario, in ſequentibus temporibus, *prohibitio* ejusmodi matrimonii locum habere debuit, cujus *fundamentum* eſt *fraternitas*, quæ ad auctoritatem paternam, in minores natu, exercendam jus habuit.

§. XIV.

Prohibentur 3) matrimonia eorum, qui *in gradu ſecundo*, *lineæ collateralis inæqualis*, poſiti ſunt, & uno tantum utrique gradu à ſtipite communi diſtant. e. g. *Nuptiæ cum fratre* aut *ſorore* vel *patris* vel *matris*; Videatur *Levit.* XVIII, 12. 13. idque quia *reſiduum* ſunt patris & matris; quomodo ſimul oſtenditur, vinculum & conſanguinitatis, & hinc auctoritatis, inter eos, mediatum, non immediatum eſſe. LXX. Interpretes

3) Matrimonia in gradu ſecundo, lineæ collateralis inæqualis.

Digitized by Google

rationem prohibitionis ponunt in identitate familiæ, ſed in hoc præcepto priora *duo fundamenta* conveniunt, nempe *filiatio*, reſpectu ſui, dum qui patris, etiam fratris ejus, qui matris, etiam ſororis matris filius eſt, & *fraternitas* ratione patris.

§. XV.

4) Conjugia cum illis, qui, ex affinitate, vel patri vel nobis propinqui.

Sic & 4) exſertè prohibentur conjugia cum illis, *qui, ex affinitate*, vel *patri* vel *nobis proximi* ſunt. Hac de cauſa *filio* prohibetur uxor patris, ſive *noverca*, quia nuditas patris eſt. *Levit.* XVIII, 8. ſicut & continuationi generis humani obſtat, ſi tales matrimonia inter ſe contrahunt, qui jam antè unam conſtituêre familiam; confer *Amos.* II, 7. 1. *Corinth.* V, 1. *Eidem* & *ſocrus* jungenda non erat. *Levit.* XX, 14. Pariter & *patri* interdictæ ſunt nuptiæ cum *uxore filii*, *privigna*, *nepte uxoris*. *Levit.* XVIII, 15. 17. *Fratri* itidem nuptiæ cum *uxore fratris* ℣. 16. idque *non vivi tantum*, quaſi hæc è thoro fratris non ſit rapienda, ut factum ab Herode, aut, ſi repudiata fuerit, non ducenda, *ſed & defuncti.* Nec enim de viventis ſaltem fratris uxore verba hæc ideo capi poſſunt, quia tum non opus fuiſſet fratrem potiùs quàm alium quemcunque nominare, atque ſic præceptum hoc nullo modo diſtinctum eſſet ab eo, quod datur ℣. 20 Ratio etiam interdicto annexa: *quia nuditas fratris tui illa* clarè ſatis docet, quod non ad vitam fratris vel mortem ejus, ſed ad ſolam propinquitatem reſpiciatur. Non obſtat *Deuter.* XXV, 5 ſiquidem evidens ibi exceptio eſt, qua lex ipſa *Levit.* XVIII, 16 firmatur. Tandem etiam *uxor* patrui, ſive *fratris patris* prohibetur *Levit.* XVIII, 14. qui expreſſorum graduum eſt remotiſſimus, compoſitus ex tribus illis intercapedinibus, 1) inter filium & patrem, 2) inter patrem & fratrem patris, 3) inter fratrem patris & uxorem ejus. Hæc *tria* proin, ſcilicet *filiatio*, *fraternitas* & *matrimonium*, unicum ſunt *fundamentum prohibiti inceſtus*, & quæ non vel ad unum horum graduum, vel ad hos invicem relatos immediatè pertinent, non conſtituunt gradum, vel expreſsè, vel per conſequentiam, in jure divino prohibitum.

§ XVI.

Digitized by Google

§. XVI.

In aliis caſibus matrimonialibus ſenſus divinæ legis minùs exploratus eſt. Ita cummaximè inter Juris-Conſultos & Theologos acriter diſputatum fuit: An *duarum ſororum conjugia ſucceſſiva* prohibita ſint? cum verba *Levit.* XVIII, 18. à plerisque Theologis de polygamia generali tantum intelligantur, *tum* quod phraſis hanc mentem ferat. Videatur *Guſſetii Comment. Ling. Hebr.* ad vocem צרר, *tum* quod ratio generalis ſit, & quælibet adjecta uxor *ſoror* dicatur, quod *adjuncta* eſſe videatur לצרר עליה *lizror gnaleah* ad inſidias & æmulationes, de favore viri concertando. Sed cum minùs probabile ſit, in loco ubi perſonæ, quarum nuptiæ ſint interdictæ, ſpecialiter exprimuntur, vocem *ſororis* impropriè ſumi. Simplicior multò Judæorum ſententia videtur, qui ſorores verè tales hîc deſignari putant. Nec tamen eapropter, poſt mortem ſororis, alteram ducere fas erit, cum verba: *In vita ipſius, ad affligendum ipſam*, quæ id permittere videntur, non tam ad interdictum ipſum, quam ad cauſam interdicti referri queant hoc ſenſu; ne priori æmulatio jam excitetur in vita ipſius. Quamvis, ſi vel per limitationem verba exponerentur, hæc tantum Judæis, ob conſuetudinem receptam, & exemplum *Jacobi*, potuiſſent videri permiſſa, ut tamen eadem Chriſtianis non magè conceſſa ſint, quàm, in caſu oppoſito, *viduæ fratris*, de qua Deus, in gente Iſraelitica, ad conſervandam familiarum diſtinctionem, diſpenſavit, ut tamen tale matrimonium, virtute legis generalis, Chriſtianis maneat illicitum. Quodque, ne poſt mortem unius ſororis, liceat alteram ducere patet ex ℣. 16. *Levit.* XVIII. dum enim *uxor fratris* interdicitur, prohibetur etiam *maritus ſororis*, cum ſint in eodem gradu, eademque affinitatis diſtantia. Videantur de hoc caſu ſcripta *Speneri* in *Conſil. Theol. Bucholzii* JCti Rintelenſis, *Haußmanni* Superintend. Brem. *Ægidii Strauchii*, & *Frid. Erneſt. Kettneri.* Atque, ex eodem fundamento, noſtri etiam evincunt, quod *ſororis uxoris filiam* ducere non liceat, cumprimis quia diſertè *Levit.* XVIII, 14. XX, 20. conjugium cum uxore patrui vel avunculi, idque ob rationem evidentem,

An duarum ſororum conjugia ſucceſſiva prohibita ſint?

Digitized by Google

dentem, quod דודה *doda* affinis vel *amita* ſit, prohibetur. Videantur, de hoc caſu, *Diſſert.* & *Orationes Guſſetii* Theologi Groning. & *Pagenſtecheri* JCti ejusdem Academiæ.

§. XVII.

Officium paſtoris circa hæc inceſtuoſa

Hæc ſimiliaque *dubia matrimonia* paſtor *diſſuadebit*, ſed tamen &, ſi *contracta* fuerint, *non diſſolvet*; quomodo diſſolutio in hujusmodi collateralibus communiter vix locum habet, nec Moſes etiam ea diſſolvere juſſit, ſed ſaltem hanc pœnam illis indixit: *Portabunt iniquitatem ſuam, & ſine liberis morientur.* Secùs tamen ſe res habebit in *ſponſalibus ante conſummatum matrimonium*; hæc enim diſſolvi poſſe pluribus probat *Carpzovius* in *Jurisprud. Conſiſt.* Lib. II. defin. 99. & 100. Si vero magiſtratus in iſtiusmodi caſibus dubiis diſpenſet, benedictionem, quam dicunt, ſacerdotalem ipſis non negabit paſtor, quia ad minimum res dubia, & etiamnum controverſa, in dubiis autem obedientia magiſtratui præſtanda eſt.

§. XVIII.

**) vel per legitimam conſequentiam, ex verbis legislatoris deductam,

In legibus matrimonialibus autem non tantùm illæ perſonæ ſunt prohibitæ, quarum exerta facta eſt mentio, aut quorſum ſaltem verba legislatoris trahi poſſunt; ſed & illi, *qui iisdem gradibus à ſemet invicem diſtant*, licet non exprimantur, ſub perſonis nominatis intelliguntur. Id equidem à Juris-Conſultis quamplurimis plerumque, & noviſſimè à Cl. *Langio* in *Diſſertationibus* ipſius *de nuptiis prohibitis* negatur, quod rationes eſſe queant, cur, qui in ſimili gradu collocantur, non tamen ſimiliter à matrimonio arceantur. e. g quod non in omnibus reſpectus paternus, aut ſimilia, locum habeant; ſed mentem tamen legislatoris generaliorem fuiſſe, inde evidentiſſimè probari poteſt, quod catalogo perſonarum prohibitarum præmiſerit hoc præceptum generale, ut nemo ad *carnem* ſuæ *carnis*, ſive ad *reſiduum carnis*, accedat, quo ipſo proin qui ſimili ratione, ſive in conſanguinitate, ſive in affinitate, ad alteros ſe habent ut caro carnis. ſive ſit per filiationem, ſive per fraternitatem, ſive denique per matrimonium, ſimul prohibentur.

Digitized by Google

tur. Et, niſi hoc ſtatuatur, *patri* liceret ducere *filiam*, cui tamen neptis expreſſe prohibita eſt, aut *nepoti aviam*, cujus prohibitio totidem verbis non extat, ita ut illa ex identitate graduum colligenda ſit. Hoc tamen certum eſt, quod illæ nuptiæ evidentius ſint prohibitæ, quæ iisdem rationibus non minus atque gradibus improbantur. Eſt enim in reſpectu paterno, & jure parentelæ, evidens fundamentum, juri naturæ innixum, prohibiti inceſtus.

§. XIX.

In gradibus iſtiusmodi, jure divino, & exerto, & per legitimam conſequentiam prohibitis propriè inceſtus eſt, in reliquis gradibus non item. Confer. *Levit.* XVIII, 9. 11. Nec minus crimen eſt, ſi tales ex fornicatione, quam ſi ex legitimo matrimonio fuerint orti. Ita nequidem etiam in ſponſis, defuncto ſponſo, ducendis facilis datur diſpenſatio, ut v. g. *filius patris*, aut *frater fratris ſponſam* ducere queat, quia matrimonium, per deſponſationem, jam ſuum initium accepit, ita ut eapropter, in Verbo DEI, quaſi pro conjugatis habeantur deſponſati. Interim tamen, quia, ex conſummato demùm matrimonio, una caro fiunt, facilior in hiſce, quam in prioribus, diſpenſatio locum habere poſſet. Vid. *Carpzov.* l. c. def. 107. 108.

utpote in quibus omnibus propriè inceſtus eſt

§. XX.

Sunt &, *ſecundò*, alia *matrimonia*, *jure humano*, *prohibita*, quorum catalogum *jura municipalia*, pro locorum varietate, diverſum exhibent, aut *ordinationes* etiam *Eccleſiaſticæ*, quas proin paſtor & habeat neceſſe eſt, & ſtato etiam anni tempore, ſi fieri queat, una cum ſanctione divina de his, Eccleſiæ ſi prælegat, haud inutile foret, ſicuti id quondam in *Haſſia* fieri ſolebat. Licitum enim eſt magiſtratui in hiſce libertatem divinam reſtringere; quod matrimonia cum his illisve perſonis pertineant ad adiaphora; quod id quandoque utile ſit ad cuſtodiam divinarum legum, ut, jure divino, illicita, tantò magis inter illos, qui, ob propinquitatem generis, familiariùs converſantur,

ר) circa conjugia jure humano prohibita

tur; horreantur. *Auguſt. de Civit. DEI* Lib. XV. c. 16; quod quandoque id etiam reipublicæ genius requirat, ut amicitiæ ſpargantur, ne penes unam familiam opes omnes, & cum illis auctoritas maneat. Datur tamen, in hiſce, frequentior, à Conſiſtoriis matrimonialibus, diſpenſatio, absque qua, tales matrimonio jungere, paſtori non licebit.

§. XXI.

m) circa matrimonia legitima, *) tum in initio eorum, a) quoad nimiam religionis conjungendorum diſparitatem.

Legitimum ut ſit conjugium, requiritur etiam ne *nimia*, inter conjungendos, ſit *Religionis diſparitas.* Infelix ejusmodi conjunctio, ſub *tempore promiſſionis*, cauſa fuit *diluvii. Geneſ.* VI, 2: probabiliter etiam *confuſionis linguarum*, quatenus ſcilicet nimia unio *Semitarum, Japetitarum* cum *Chamitis*, huic judicio cauſam dedit. *Geneſ.* XI; hinc tanta *Abrahami* cura, ne filio detur conjux ex Cananæis *Geneſ.* XXIV, 3. Sub *legis œconomia*, matrimonia cum infidelibus graviſſimè prohibebantur. *Exod.* XXXIV, 15. 16. *Deut.* VII, 1-4. ubi ſpeciatim *gentium ſeptem*, ſine dubio hac maximè de cauſa, mentio fit, quod inter gentes illas Iſraëlitæ habitaverint; quod de gentibus illis quædam, imperium aliquandò in Iſraëlitas habituræ eſſent; quod proin etiam ſeductio in his periculoſior fuerit. Ejusmodi matrimonia fomites ſunt variorum malorum. Inde *mali mores. Levit.* XXIV, 10. *Gravia judicia: Numer.* XXV. *peſſima poſteritas*, ſicuti *Abſalon*, ex tali infideli natus, typus fuit Anti-Chriſti, *communio vitioſa quoad ſacra* 1. *Reg.* XI, 4. XIV, 23. 24. XVI, 31-33; qua de cauſa, poſt reditum ex Babylone, non modo *mulieres extraneæ*, ſed etiam *liberi* ex illis nati dimittebantur, ut ſanctitas gentis impolluta conſervetur. Interim probabile ſaltem liberos nonniſi civilibus privilegiis fuiſſe orbatos, & ex familia tantum, non ex regione ejectos, ita ut, ſecus atque proſelyti domicilii, inter eos potuerint manere, ut *Mamſerim, Eunuchi, ſervi, Nethinæi.* Nec major, in *novo Teſtamento*, libertas conceſſa fuit. Licet enim maritus Chriſtianus & uxor gentilis, & viciſſim, unâ potuerint manere 1. *Corinth* VII, 12. 13; quia paries intergerinus nunc ſublatus eſt; non licuit tamen Chriſtianis, nova cum infidelibus inire conjugia. 2. *Corinth.* VI, 14.

VI, 14. ex *Deut.* XXII, 10. & 1. *Corinth.* VII, 39. Nec dubitamus, quin ejusmodi matrimonium cum infidelibus, ſi non tantùm, ſaltem primariò, *Actor.* XV, 20. ſub nomine πορνείας prohibitum fuerit. Fuerint enim *ſcortationes* aliquatenus frequentiores inter gentes, *legibus* tamen, & *Græcorum* & *Romanorum*, fuêre prohibitæ. Nec deſunt nobis rationes: 1) quia tale conjugium huic ipſi controverſiæ, in perſona *Titi*, occaſionem dedit. 2) Quia *Hebr.* XII, 16 *Eſavus* πόρνος vocatur, non quod ſcortator fuerit, ſed quod, contra voluntatem parentum, alienigenas duxerit, ita etiam *Judæis gentilis* זונה *Sonah* dicitur in *Jebammoth* Cap. VI §. 5., & apud *Græcos* Νόθοι *ſpurii* audiebant, qui *patre cive non nati* erant. Vid. *Plutarch.* in *vita Themiſtoclis.* Sic & ſequentes Chriſtiani ſemper etiam abhorrebant ab iſtiusmodi carnis ſanctæ, in carne gentili, inquinamentis. Suntque iſtiusmodi matrimonia etiamnum & vitanda, &, hac de cauſa, diſſuadenda, quia, ubi altera thori pars Religionem alterius pro damnata habet, talis vix unquam deſiſtet vel à tentatione alterius ad apoſtaſiam, vel à continua afflictione & vexatione ejusdem, cumprimis quando odia iſtiusmodi hominibus inſpirantur occaſione liberorum, familiæ, converſationis &c. Vid. *Sanderſon* in *caſibus conſcientiæ.* Diverſitas tamen Religionis matrimonium ipſum nec tollit, nec diſſolvit. *Carpzov.* loc. cit. def. 206.

§. XXII.

b) quoad legitimum conſenſum partium contrahentium &c.

Requiritur porro ad legitimum matrimonium *conſenſus liberrimus*, *plenus* atque *juſtus*, ut *partium contrahentium*, *Geneſ.* XXIV, 8. 58; ita & *parentum*, aut ſaltem *propinquorum*, quibus jus, & auctoritas parentum competit, ita ut *nuptiæ clancularia*, à noſtris maximè, *nulla* habeantur, licet vel partes contrahentes juramento ſibi fidem obſtrinxerint, (quia juramentum non eſt vinculum iniquitatis) aut nuptiæ etiam concubitu confirmatæ ſint. Notanter *Lutherus von Ehe Sachen. Tom.* I. *Altenburg*: Obgleich tauſend Zeugen bey einem heimlichen "
Verlöbnus wären, ſo es doch hinder Wiſſen und Willen "
der Eltern geſchehe, ſollen ſie alle tauſend nur für einen "

 Mund

„ Mund gerechnet ſeyn. „ Vide plura de hiſce ſupra h. c. §. VI. & in *Diſſert.* noſtra ad *Decalogi Præc.* V. §. XI. p. 38. 39.

§. XXIII.

c) Quoad ſolennem benedictionem.

Deſponſatis cohabitatio, ante *ſolennem* matrimonii *benedictionem*, non eſt permittenda. Licet enim *matrimonium non ſit Sacramentum*, (niſi fortè ita dicas *rem ſenſibus ſubjectam, à DEO inſtitutam, ut ſit ſymbolum rei ſacræ, & gratiæ promiſſionem habeat*, ſi legitimè ineatur) quia tamen ludibrio habent *Eccleſiam*, qui, ſicut *Adamus*, ex DEI quaſi manu conjugem acceptare nolunt, & in *republica* neceſſarium ordinem turbant, ſicuti vel *ethnici* à ſolenni benedictione auſpicium matrimonii fecêre, hinc etiam, qui juſtò maturiùs cohabitarunt, cenſuris Eccleſiaſticis ſubjiciendi ſunt, ſed ita tamen, ut, in illis, honori matrimonii conſulatur, & in tali caſu quædam deſponſationis ratio habeatur.

§. XXIV.

d) Quoad nuptiarum conſummationem.

Deſponſati, ut *nuptias* nimis dilatas tandem *conſumment*, & à paſtore moneri, & à magiſtratu compelli, mulctâ, & carcere adigi poſſunt. Et, ſi nulla rationalis, recuſatæ conſummationis, cauſa ſubſit, vel invitis etiam benedictio ſacerdotalis, ſub ſpe rati-habitionis futuræ, concedi poteſt. *Carpzovius* l. c. defin. 132. ſeqq. *Tempus* interim conſummandi matrimonii tale eligendum eſt, quod, per leges publicas, prohibitum non eſt. Ita, licet Reformati nullum cœtera in diebus diſcrimen agnoſcant, (vid. *Calvini Inſtit.* Lib. IV. c. XIX. §. 39.) ob mandatum tamen publicum, à *prima adventus dominici* usque ad *Epiphaniam*, & à *Quadrageſima* initio usque ad *octavam Paſchatis*, his in locis, matrimoniis benedicere, citra ſpecialem magiſtratus diſpenſationem, paſtoribus non licet. Ordinationes etiam noſtræ Eccleſiaſticæ non permittunt, ut per eam hebdomadem, in quam *ſolennis precum dies* (der monathliche Bättag) incidit, nuptiæ celebrentur, idque quod plerumque iſtiusmodi feſtivitas non ſine multiplici luxu peragatur & faſtu, de quibus tamen paſtor ſuos, ut omni, ita maxime tempore triſti, ſerio mone-

monebit. Sic etiam *ſponſalia tempore luctus* contracta equidem ſubſiſtunt, ſed *conſummatio* matrimonii, per nuptias, *ad finitum luctûs tempus* differri debet, ne unus idemque partus duorum parentum eſſe videatur, utque honeſtas in his maximè ſervetur. *Carpzov.* l. c. *defin.* 161. 162.

§. XXV.

c) Quoad ſanctos matrimonii fines.

Quantò *ſanctius* autem *matrimonium* eſt, in quo DEUS ipſe Adamo fœminam, in adjumentum proportionatum adduxit, ut tantò hinc clariùs, eam DEI donum eſſe, agnoſcat, eò magis etiam paſtor laborabit, ut *ſancti* illius *fines*, tum *cognoſcantur*, tum *obſerventur*. Nec enim illud vel in voluptatis ſenſualis ſaturationem, vel in opimæ dotis aucupium, quæ nec dignitatem, nec ſtabilitatem matrimonio conferunt, inſtitutum eſt, quæque potiùs infinitis, & corporis & animi malis, atque defectibus anſam præbent; verùm eò proprie dirigendum, ut ſemen DEI quæratur, & auxilium, in divinis & humanis, ſibi mutuò præſtent conjuges. Hinc ſeriò à paſtore inculcandum, ut nubant in Domino, ut officia ſua ſpecialia probè habeant explorata, ut conjugium eorum typus, vel potius antitypon ſit amóris Chriſti & Eccleſiæ, idque unum intendant, quod illuminata ratio, non brutus affectus, in conjugio ſuadet. Et certè merito dubitandum, an omnes illæ, hominum leviſſimorum, conjunctiones, quæ nonniſi voluptate & avaritia nituntur, matrimonii nomen mereantur, & an de his dici queat: *Quos DEUS conjunxit, homo non ſeparet?* Hac fortè de cauſa *ſervorum*, plerumque peſſimæ notæ, conjugia potiùs *contubernia*, quam matrimonia vocabant, ſuæ etiam levitatis ergò. Unde etiâm, in rebuspublicis benè conſtitutis, hominibus nauci & otioſis vel matrimonium, vel commoratio in regione rectè negatur. Sicuti enim *prodigis* bonorum terrenorum uſus ideo prohibetur, quia conceſſio illis facta ſaltem litibus, ebrietati, luxuriæ fores aperit, ita etiam tutela ſequioris ſexus talibus omnino committi non debet, qui, ſi matrimonium inire illis permittatur, injuriis & miſeriis multis anſam dare videntur. Cumprimis autem miniſtrorum erit vel publicè exponere, quantum moleſtiæ ignava

Digitized by Google

matrimonia comitetur, & qualia officia nobis incumbant. Hinc & ordinationes noſtræ Eccleſiaſticæ hoc cummaximè à miniſtris poſtulant, ut de illorum, quorum matrimonia confirmanda ſunt, maximè juniorum, fide & vita examen inſtituant.

§. XXVI.

**) Tum in progreſſu matrimonii, & ratione pacis, inter conjuges, firmandæ.

Cum vero impoſſibile ſit paſtori malis omnibus, ante matrimonium, occurrere, multi etiam ejus, *in progreſſu* labores ſunt, cumprimis ad firmandam illam pacem, ad quam DEUS conjugatos vocavit. Exortis igitur litibus, paſtor *mulieri* proponet: 1) quod fœmina & poſt virum, & ex eodem, & propter illum condita ſit, & imaginis divinæ equidem, ſed non aliter niſi quatenus viri gloria eſt, particeps facta. 1. *Corinth.* XI, 3-6. 1. *Timoth.* II, 11-14; quod proin 2) viro, vel ex ipſa creatione, inalienabilis auctoritas conceſſa & relinquenda, nec in ſervitutem tetram ſit mutanda: 3) quod, ſi Sabbathum propter hominem factum, in hominis gratiam, violari potuit, etiam fœmina, quæ propter hominem facta eſt, ſi pertinaci malitia illi adverſetur, vel ex intentione DEI dimitti queat: 4) quod in bonum hominis, ne ſolus ſit, & in adjutorium proportionatum condita fuerit, quodque prima hæc, de matrimonio, verba legem utique fundamentalem de conjugiis contineant, atque ſic creationis fœminæ ſcopus principalis ſit, ut commodis viri conſulat, & ſtatus ſolitarii incommoda auferat, unde id meritò ab illa requiratur, quod ad levamen curarum, participationem gaudiorum, opera pietatis, culturam amicitiæ & adjumentum, in laboribus vocationis, pertinet: 5) quod tale adjutorium viro omni tempore præſens, & ipſi congruum DEUS eſſe voluerit, in quo vir כנגדו, tanquam præſentiſſima ſui imagine, ſe ipſum velut expreſſum contemplari queat: 6) quod, ſi omni tempore hic ſcopus neceſſarius ſit, illo cumprimis homo, in ſtatu peccati, indigeat, unde non poſſit non triſtiſſimum eſſe, ſi, quæ in bonum hominis condita fuerit, ſuâ malitiâ, in *malum morte pejus* convertatur, *Eccleſ.* VII, 27; ſi, quæ ſolitudini occurrere deberet, ita tamen agat, ut malit vir *habitare in angulo tecti, & in terra deſerti*, *Proverb.* XXI, 9. 19; ſi ſociam ferre cogatur, quæ

quæ nihil habet ſociale, niſi quomodo infixa hæret lateri lethalis arundo, & quæ, ſtillæ continuæ ad inſtar, animum viri exedit, *Proverb.* XXVII, 15; ſi, quæ adjumentum eſſe deberet, & laboris & quietis impedimentum tantum eſt, ac ſi, per matrimonium, caveæ, cum fera quadam indomita, incluſus ſit. &c. *Utrisque* tamen ſimul ob oculos ponet conjugium ſpirituale Chriſti & Eccleſiæ, noſtram, ex mera gratia, per Chriſtum reconciliationem, quam ille, quovis modo, quæſivit, delicta condonando & emendando, nosque adjuvando omni fide, conatu & ſtudio, quem tanto magè ſequi debeant, cum ἀντὶ τέτε *hac ipſa de cauſa*, ut hoc adumbraret. *Eva* facta fuerit *caro de carne*, & *os de oſſibus Adami*, *Ephеſ.* V, 31. 32; ut ſic adhæreat vir mulieri, mulier viro, ita ut ſint in unam carnem. Tum etiam *parti delinquenti* periculum morum perverſorum, paſſionum animalium, ſcandalorum in Eccleſia, & in republica repræſentabit, & certitudinem judicii divini, vel hinc plerumque conſpicui, quod, qui ſe ſeparat à parte conjugata, ſe ſimul etiam protinus & à *Chriſto*, per odium internecinum, & ab *Eccleſia*, per magnitudinem dati ſcandali, ſeparatum videat; atque ſi, quæ quidem illi præſens rerum ſitus ſuppeditat, conſilia, adhortationes atque minæ fruſtraneæ ſint, vel Conſiſtorio, vel etiam magiſtratui iſtiusmodi pertinax malitia denunciari poterit, ut quisque, pro ſuo jure, ſecundum prudentiæ Chriſtianæ dictamen procedat, ne vel ſcandala augeantur, vel vulnera, nimis leviter & obiter curando, majora fiant.

§. XXVIII.

Quodſi tamen omnia remedia, etiam graviora, vana ſint, poterit, ubi res id poſtulat, ad *divortium* procedi, quale quidem divortium, ut *in caſu adulterii*, *Matth.* V, 27. XIX, 9, quia pars adultera una caro fit cum alio; propter *deſertionem malitioſam* 1. *Corinth.* VII, 15; item ob *impotentiam* partis alterius, quæ cohabitationem impedit, aut ſi *uxor* ab alio *corrupta*, & *gravida* reperiatur, modo ipſe maritus corruptionis fuerit ignarus, licitum eſt; ita etiam *in aliis caſibus* locum habere poſſe videtur, ut vel eapropter, maximè ſi à magiſtratu Chriſtiano, poſt

Et reſpectu divortii.

poſt cauſam legaliter diſcuſſam, illud permiſſum fuerit, etiam alii matrimonio benedicere queat paſtor. v. g. Si *veneno*, vel alia ratione, pars una alterius *vitæ inſidias ſtruxerit*, ſi, ex odio internecino, & irreconciliabili animo, vel *vita*, vel *honor*, vel *æterna ſalus*, vel tota etiam *res familiaris*, omni die, in certum diſcrimen ponatur; in quibus tamen caſibus, à *merito divortii* ad ipſum *divortii actum*, non neceſſaria ſemper conſequentia valet, cum, per tolerantiam & τροποφορίαν, partem alteram quis, modo id ſine propriæ ſalutis detrimento ſit, ferre queat, juſque parti læſæ, ad conjugem fractæ fidei, & præfractæ mentis repudiandam, tribui poteſt, ut tamen, ad hoc faciendum, nullatenus obligetur.

§. XXVIII.

Quod pars læſa, juſtis ex cauſis, petere poteſt.

Poſſe tamen *partem læſam*, ſine conſcientiæ læſione, in *iſtiusmodi caſibus*, non modo *ſeparationem à thoro & menſa*, cujus exemplum nullum in Sacris Literis extat, ſed *divortium petere*, ex ſequentibus rationibus patet: 1) quia, per iſtiusmodi pertinacem malitiam, atque continua vitæ pericula, ſcopus matrimonii primarius, ut ſit in adjutorium, intervertitur, ut enim adulter, ſui conjunctione cum alia, ſolvit quæ pacta ſunt, ita malitioſè pertinax pars, continua ſeparatione ſui ipſius, ſine ſpe remedii, idem pactum diſſolvit: 2) quia propter σκληροκαρδίαν, Deus Iſraelitis divortia permiſit, quæ σκληροκαρδία non eſt durities quædam, omnibus Iſraelitis communis, ſed potiùs illa virorum durities, quam ſequior ſexus, cum diſpendio ſuæ vitæ, ferre cogebatur. Et certè ex *Deut.* XXIV, 1. clarè patet, quod, præter adulterium aliæ etiam fuerint rationes, ob quas divortium permittebatur, nam ערות דבר *inde* equidem indicat, non ex qualicunque leviori cauſa matrimonium ſolvi potuiſſe, (ſic enim ſuffeciſſet dicere: *Si gratiam fœmina non invenit in oculis ejus*) terminus enim ille nuditatis de gravioribus factis & peccatis ſumitur *Levit* XVIII. *hinc* tamen & ad ſolam fornicationem non ſpectat, ſicuti ex *Deut.* XXIII, 15. evidens eſt. Nec hæc tantum per indulgentiam aut conniventiam dicta ſunt, quæ à pœna ſaltem, non autem à culpa factum immune præſtet, ſed

man,

mandati cujusdam rationem habent, quod legi inſeritur, quæ rectum à pravo diſterminat. Quinimo, niſi æquitas quædam huic præcepto, de divortio, ſubfuiſſet, Deus *Jeſai.* L, 1. & *Jerem* III, 1. 6 8. ſimilitudinem ſuarum actionum, à *libello divortii*, vix petiiſſet. Ita etiam, quando *Deut.* XXII, 13 19. de eo, qui virginem compreſſerit, ſtatuitur ut eam ducat, nec fas illi ſit *per totam vitam* ſuam *ipſam dimittere*, indicatur clarè, quod id pœnæ rationem habuerit, & quod, per conſequens, evitatio divortii, ob turpitudinem rei, non fuerit omnibus communis lex. Et ſic *juſtitia divortii* & quidem hujus, de quo modò ſermo eſt, ipſum *Chriſtum aſſertorem* habuit, quando enim *Matth.* V, 32. divortium improbat παρεκτὸς λόγυ πορνείας, ita evidenter exprimit verba Moſis: ערות דבר, nec enim ulla alia, adjectæ vocis λόγυ, ratio dari poteſt, niſi hæc ipſa, quod verba illa non adulterium ſolum, ſed etiam id omne deſignent, quod ad adulterium ducit, & adulterio ſimilem rationem habet. Hac de cauſa etiam *Paulus*, non obſtante hac ſola exceptione, divortium tamen, ob deſertionem malitioſam, licitum dixit 1. *Corinth.* VII, 15. hac addita notabili ratione, quod *in pace nos Deus vocaverit*, quod proin etiam, in ſervando conjugio, pacis cummaximè ratio habenda ſit. Videatur de his ſupra laudatus *Dn. Langius* in *diſſert. de nuptiis prohibitis.* Diſſ. VI.

§. XXIX.

Hæc de officio paſtoris fidelis ſufficiant; unicum ſaltem addimus: Ut *paſtor*, ad miniſterium ſuum non ſine, internæ, & externæ vocationis, certis teſtimoniis accedet; (quod nullos ſibi cæteroquin, in miniſterio ſuo, fructus, niſi de illicito ingreſſu ſeriò reſipuerit, promittere queat) ita nec citra ſimilia, divinæ voluntatis, criteria, *munus Eccleſiaſticum*, vel *in genere*, vel *hujus & illius Eccleſiæ in ſpecie deponet.* Teſtimonia *illius* voluntatis eſſe poſſunt: 1) quando vires corporis, ſine ſpe recuperandæ valetudinis, ita deficiunt, ut munere ſuo ampliùs fungi nequeat, nec in propoſitionibus publicis, nec etiam quoad curam animarum: Vel 2) ſi, per circumſtantias ſingulares, divinæ providentiæ, ita ejiciatur ex Miniſterio, ut ſibi miſſionem

Munus paſtorale, ſine juſſu divino, non eſt deponendum.

à Deo factam eſſe agnoſcat: Si 3) per graviora peccata, tam grave ſcandalum dederit, ut nullam ædificationis ſpem percipere queat. *Hujus* autem indicia eſſe poſſunt: a) Si, à Domino Meſſis, per vocationem, ſecundum data criteria, evidenter divinam alio vocetur, ubi &, majori cum fructu, Deo & Eccleſiæ inſervire queat: b) Si prioris Eccleſiæ ſuæ is ſtatus ſit, ut ipſo carere queat, nec ægrè carere velit: c) Si perſecutio ſpecialis perſonam Miniſtri premat, ſed ita ut ſit particularis non modo perſecutio, ſed & perſecutionis cauſa; aliud enim eſt, ſi particulariter affligatur ob officium, & aliud, ſi id fiat, ob ipſius dona, ex invidia, quæ non tam officium quam perſonam premat. Non item legitimus erit diſceſſus, ſi vocationem illam, vel honoris, vel lucri majoris cauſâ, quæſiverit; *Simonis Magi Socius* ille erit; aut ſi, ex impatientia laborum, quaſi qui ſibi magè, quam Eccleſiæ ſuæ benè eſſe malit, commodiorem occaſionem ambiat. In hocce autem caſu, ut & in toto Miniſterio, pars potior ſuorum laborum occupabitur in exercitio precum, humilitatis, Αὐταρκείας, in accurata, virium ſuarum exploratione, debitoque earundem uſu, ut ſic & ſe ſalvet, & eos qui ipſum audiunt.

INDI-

Digitized by Google

INDICES

I. Capitum. **II.** Vocum Hebraicarum & Græcarum. **III.** Locorum S. Scripturæ. **IV.** Rerum præcipuarum, quæ, in hocce opere, illuſtrantur & exponuntur.

Prior & major Numerus *Caput*, poſterior autem & minor Capitis *Paragraphum* (§) indicat.

Digitized by Google

I.

Index Capitum.

Caput I.

De Neceſſitate S. Miniſterii Ordinarii.

Caput II.

De Difficultatibus S. Miniſterii.

Caput III.

De Poteſtate S. Miniſterii.

Caput IV.

De Vocatione ad S. Miniſterium.

Caput V.

De Officio Paſtoris in genere.

Caput VI.

De Officio catechizandi rudes.

Caput VII.

De Correptione Malorum.

Caput VIII.

De Correctione & Confirmatione Piorum.

Caput IX.

De Cura Ægrotorum, & ad ſupplicium mortis condemnatorum.

Caput X.

De Conſolatione Afflictorum.

Caput XI.

De Functionibus Paſtorum in Actibus Cultus externi, ſpeciatim de Concionibus Sacris.

Caput XII.

De Adminiſtratione S. Baptismi.

Caput XIII.

De Adminiſtratione S. Cœnæ.

Caput XIV.

De Cantienibus & Precibus Eccleſiaſticis.

Caput XV.

De Cura Perſonarum miſerabilium.

Caput XVI.

De Officiis Paſtoris circa Confirmationem Matrimonii.

Index

II.

Index Vocum

Hebraicarum

	Cap.	§
אבובא	XIV.	2.
אמן	XI.	78.
גליונים	XI	80.
חזק	XI.	78.
יזרעאל	XI.	92.
ירא	XI.	105.
למנצח	XIV.	3.
משגבה	XI.	92.
נחילות	XIV.	5.
עיר	XI.	81.
ענה	XIV.	5.
שאר בשר	XVI.	11.
שוט	I.	16.
שלח	XI.	80.
שק	VI.	1.

Græcarum.

	Cap.	§
Ἀγαθὸς	XI.	79.
Ἄλας	XI.	84.
Ἀνεπίληπτος	V.	5.
Δίκαιος	XI.	75.
Ἐθελοθρησκεία	XI.	63.
Ἐκ & Ἐν	XI.	75.
Ἐπερώτημα	VIII.	19.
Ἐπιστάτης	XI.	79.
Θησαυρίζειν	XV.	5.
Καὶ pro eo quod	XI.	68.
Καλὸς	XI.	79.
Κατηχέω	VI.	1.
Κηφᾶς	XI.	111.
Κρίμα	XI.	63.
Λειτουργία	XI.	3.
Ὅτι redundans	XI.	68.
Πάσχειν	XI.	79.
Πέτρα, Πέτρος	XI.	111.
Πλεονεξία	XI.	63.
Πορνεία	XVI.	21.
ὑπόστασις	XI.	90.

III.

Index Locorum S. Scripturæ Veteris Teſtamenti. (*)

(*) Commentarios in S. Scripturam. V. T. vide. Cap. XI. §. 12.

Geneſis.

Cap. Vers.	Cap. §.
III, 15.	XI. 63.
IV, 8.	VII. 8.
XVIII, 19.	VI. 4.
XLIX, 10. 11. 18.	XI. 64 86.

Exodus.

IV, 24.	XII. 2.
VII, 3.	XI. 116.

Leviticus.

XVIII, 1. ſeqq.	XVI. 10-13. ſeqq.
XIX, 20.	VII. 27.
XX, 11. ſeqq.	XVI. 9-11.

Numeri.

XI, 26. 27.	I. 6.
XXXI, 2. 3.	IX. 11.

Deuteronomium.

Cap. Vers.	Cap. §.
VIII, 3.	XI. 81.
XV, 7-11.	XV. 3.
XXIII, 3.	XII. 6.
XXIV, 1.	XVI. 28.
XXXII, 4.	XI. 63.

Joſua.

XI, 18.	IX. 11.

1. *Samuel.*

II, 25.	XI. 134.
XV, 22. 23.	XI. 63. 123.

2. *Regum.*

V, 18. 19.	VII. 35.

2. *Chronic.*

VII, 13. 14.	XI. 39.
XVII, 7.	I. 6.

Liber

Liber *Jobi.*

Cap. Vers.	Cap.	§.
XXIV, 12.	XI.	81.
XXV, 2.	XI.	118.
XXVIII, 28.	XI.	39
55 63 69 100.101.143.146.		
XXXIII, 14. ſeqq.	IX.	8.
- - - 18.	XI.	80.
XXXVIII, 36.	VI.	2.

Pſalmi.

Cap. Vers.	Cap.	§.
I. totus.	VIII.	2.
II, 7.	XI.	104.
V, 2. 4.	XI.	63.
XXVII, 10.	XI.	98.
XXXIII. totus.	XIV.	2.
XXXIV, 5.	XI.	110.
XLII. I.	XI.	54
XLIX. totus	VII.	28.
- - 15.	IX.	14.
LI, 1-19.	XI.	55-57.
LXXIII, 25. 26.	IX.	12.
LXXVII, 1. ſeqq.	IX.	8.
XCI. totus.	XI.	64.
CXIX, 75.	XI.	100.109.

Proverbia

Cap. Vers.	Cap.	§.
XIX, 21.	XI.	115.
XXIII, 26.	I.	2.
XXIV, 12.	XI.	14.

Eccleſiaſtes.

Cap. Vers.	Cap.	§.
I. II. ſeqq. ſumma.	XI.	49.
IX, 1.	XI.	26.
XII, 10. 11. (12. 13.)	XI.	16.

Prophetæ.

Cap. Vers.	Cap.	§.
Jeſa. XL, 1. 2.	X.	1.
XLIX, 23.	VI.	3.
LIV, 14 ſeqq.	X.	8.
LVII, 17. 18.	X.	14.
LXVI, 21.	IV.	21.
Jerem. XV, 19.	XIII.	5.
Daniel. XII, 4.	I.	10.
Hoſ. I, 4.	XI.	92.
II, 14. 15.	X.	8.
XIV, 5.	XI.	92.
Joel. II, 28. 29.	I.	11.
Amos. V, 13.	VII.	3.
Micha. V, 2.	XI.	81.
Nahum. I, 1. 2.	XI.	65.
Habac. II, 4.	XI.	64.
Haggai. II, 6.	XI.	92.
Zachar. I, 5. 6.	XI.	64.
Malach. II, 12.	XIV.	5.

Digitized by Google

Index Locorum S. Scripturæ Novi Teſtamenti. (*)

(*) Commentarios in S. Scripturam N. T. vide Cap. XI. §. 13. 14.

Evang. *Matthæi.*

Cap. Vers.	Cap.	§.
I, 19.	XI.	75.
- 25.	XI.	92.
II, 6.	XI.	81.
V, 13. 14.	XI.	84.
- 32.	XVI.	28.
VI, 8-13.	XIV.	6.
VII, 6.	VII.	3.
	XI. 4. & XIII.	5.
IX, 13.	I.	4.
XII, 20. 21.	VIII. 13. X.	12.
XIII, 24.	I.	4.
XVI, 19.	III.	16.

Lucæ.

Cap. Vers.	Cap.	§.
II, 14.	XI. 64	92.
V, 5.	XI.	79.
VI, 35.	XV.	5.
VIII, 12.	XI.	154.
- 15.	XI.	79.
X, 30. ſeqq.	XI.	39.
XI, 2-4.	XIV.	6.
XXIII, 39-43.	VII.	20.

Johannis.

Cap. Vers.	Cap.	§.
I, 29. 36. 43.	XI. 102. 111.	117.
III, 8.	I.	5.
- 34.	XI.	117.
IV, 24.	I. 2. VII. 34. VIII.	20.
	XI. 122. 123. XIV.	8.

Acta Apoſt.

Cap. Vers.	Cap.	§.
II, 16-18.	I.	11.
IV, 19. 20.	III.	8.
VII, 51.	VIII.	10.
XV, 20. 29.	VII 27. XVI.	21.
XX 34. 35.	I. 19. XV.	4.
XXII. 12.	XI.	28.

Epiſt. ad Romanos.

Cap. Vers.	Cap.	§.
I, 17.	VII.	37.
- 28.	VII.	5.
III. 10-18.	XI.	25.
X, 14. 15.	I. 15. IV.	2.
- 18. 19.	XI.	64.
XI, 33. 34.	XI. 63.	64.
XII, 1.	XI.	68.
- 6. 7.	I. 14 XI.	64.
XIV, 23.	XI.	99.

I. *ad Corinthios.*

Cap. Vers.	Cap.	§.
I, 14-17.	XII.	1.
V, 6. 9. 11.	I.	4.
VII, 20.	IV.	24.
VIII, 1. 2. 3.	XI.	64.
XI, 5.	XIV.	4.
XII, 4-6.	I.	13.
XIII, 4. 5.	XI.	64.
XIV, 19.	VI.	6.
- 40.	XIV.	6.
XV, 39.	XI.	78.

2. *ad*

Digitized by Google

2. ad Corinthios.

Cap. Vers.	Cap. §.
III, 6.	VI. 13.
- 18.	XI. 6.
VI, 14.17.	I.4.II.9 IV.4.5.
X, 4.5.	XI. 23.
XII, 14.	XV. 5.

ad Galatas.

II, 16.	XI. 54.127. 130-131.
III, 3.	XI. 79.
V, 9.	I. 4.
- 22.	XI. 92.102.

ad Epheſios.

I. II. ſeqq. ſumma.	XIV. 6.
I, 22.23.	I. 7.
IV, 11.12.16.	I. 7.
- 19.	XI. 63.
- 30.31.	VIII. 10.

ad Coloſſenſes.

II, 11.12.13.	XII. 4.
- 19.	I. 7.
- 23.	I.2. XI. 63.
III, 16.	XIV. 2.

1. ad Theſſalon.

II, 11.	III. 14.
V, 23.	VIII. 16.

2. ad Theſſalon.

III, 6.8.9.	I.4 19.

1. ad Timotheum.

Cap. Vers.	Cap. §.
I, 4.5.	XI. 17.
III, 2.3.	V. 5.6.
IV, 8.	VII. 7.

2. ad Timotheum.

I, 13.	XI. 64.
IV, 2.	III. 10.

ad Titum.

I, 7.8.	V. 5.6.
II, 11.	XI. 103.

ad Hebraeos.

I, 3.	XI. 90.
V, 4.5.	IV. 2.
- 13 14.	VI. 8.
X, 24 25.	I. 4.
XI, 7.	XI. 90.

Jacobi.

II, 24.	XI. 127.
III, 15 18.	V. 3.

1. Petri.

III, 21.	XII. 9.
IV, 11.	XI. 17.

2. Petri.

I, 19.	XI. 30.

1. Johannis.

II, 16.	VII.4. VIII. 12.
III, 9.	VIII. 9.
- 19.	XI. 68.
- 19.20.	VIII. 13.
V, 3.	XI. 39.

IV.

Index Rerum præcipuarum.

A.

Abſolvendi à peccatis poteſtas penes paſtores eſt. Cap. III. §. 16.
Abſtemii vini quomodo ad S. Cœnæ uſum admittendi. XIII. 8.
Abſtractum nomen pro concreto. XI. 92.
Admittendi ad S. Cœnam quinam ſint. XIII. 5.
Admonendi poteſtas paſtorum eſt. III. 10.
Adulterorum correctio. VII. §. 26. 27.
Ægrorum cura IX. 1-19.
& Communio S. Cœnæ. XIII. 4.
Ærarium pauperum. XV. 3. ſeqq.
Ætatis humanæ diſtinctio. VI. 4.
Affectuum infirmitas. VIII. 8.
Afflictorum conſolatio. X. toto.
Alloquium auditorum, in concione, per verba: *electi & in Chriſto dilecti*. Cap. XI. § 36.
Ambubajarum collegia. XIV. 2.
Analogia fidei quid ſit. XI. 124.
Angores nimii in uſu S. Cœnæ. XIII. 17.
Angulus oblivionis in agro. XV. 3.
Antiphonæ chororum muſicorum. XIV. 5.
Antiquitatum Judaicarum & Græcarum notitia. XI. 10.
Anthropophagia. VII. 9.
Apoſtaſia. Vid. *Defectio.*
Apparatus ad conciones. XI. 9. ſeqq.
Applicatio textus. XI. 135-148.
Aquæ uſus in S. Baptiſmo. XII. 10.
Argumentum textûs. XI. 56-59.

Armo-

Digitized by Google

Armorum uſus non licet paſtoribus Cap. V. §. 6.
Articulus vocis emphaticus. XI. 92.
Aſcenſio Chriſti in cœlum quomodo in applicatione concionis conſideranda. XI. 146.
Aſperſionis ritus in S. Baptismo. XII. 10.
Atheorum correptio. VII, 5.
Avarorum correptio. VII. 28. 29.

B.

BAptismalis fœderis memoria. VI. 13. 16.
Baptismi S. adminiſtratio, ſubjecta, elementum, ritus, formula, reiteratio XII. toto.
Beneficentiæ neceſſitas &c. XV. 4. ſeqq.
Beza (Theodorus) XIV. 3.
Bibliotheca exegetica. XI. 10-14.
Bigamia prohibita eſt XVI. 4.
Bona in uſum pauperum collata, in eundem unicè ſunt impendenda. XV. 11. injuſtè parta non ſunt diſpenſanda. XV. 10. Eccleſiaſtica in quatuor partes diviſa. XV. 3.
Burg (eine veſte) iſt unſer GOtt. XIV. 3.

C.

CAlamitates fidelium externæ. Cap. X. §. 4. 15.
Canonum Eccleſiaſticorum origo, vis & uſus. III. 26.
Canticorum ſacrorum origo, progreſſus & uſus. XIV. 2-5.
Caput Eccleſiæ ſummum & unicum Chriſtus eſt. I. 7.
Carmina ſacra. XIV. 2-5.
Carnis reſurrectio VII. 9.
Catechetica inſtitutio VI. toto.
Catechumenorum officia, & confirmatio. VI. 14-16.
Ceremoniæ. Quænam, circa illas, paſtorum, Eccleſiæ & magiſtratus ſit poteſtas. III. 25. ſeqq.
Chori muſici. XIV. 5.
Chronologia de longævitate Patriarcharum ridetur. VII. 11. n)
Circumciſionis & Baptismi par & diſpar ratio. XII 2. 4.
Claves regni cœlorum. III. 16 fin.
Cœnæ S. frequens uſus, adminiſtratio quoad eſſentalia, ritus & accidentalia, tempus, dies, hora &c. Vid *Synopſis* Cap. XIII. in admiſſione catechumenorum ad eam non eſt maturandum. VI. 9.

Digitized by Google

Cœtus externi mixti ſunt bonis & malis. Cap. VII. §. 1.
Cogitationum malarum tentatio. X. 11.
Cognitio ſufficiens, accurata & erudita. VI. 10.
Cognitionis infirmitas. VIII. 7.
Cohærentia textuum. XI. 50-55.
Comœdiis adeſſe an liceat paſtoribus. V. 5.
Commentarii varii in S. Scripturam V. & N. T. XI. 10-14.
Communio cum peccatoribus quomodo evitanda. I. 4.
S. Cœnæ frequens & privata. XIII. 1-4.
Concionum ſacrarum neceſſitas, uſus, origo, methodus &c. XI. toto.
Concretum nomen pro abſtracto. XI. 92.
Confeſſiones privatas ſuſcipere, commendare, ſilentio tegere debet paſtor. III. 15.
Confeſſio baptismalis. XII. 9.
Confeſſionis fidei ſubſcriptio. IV. 22.
Confirmatio catechumenorum. VI. 15. 16.
Conjugationes verborum emphaticæ quandoque ſunt. XI. 92.
Conjugium. Vid. *Matrimonium.*
Connexio textuum. XI. 50-55.
Conſcientiæ ſcrutinium. Cap. VIII. §. 18.
Conſenſus quomodo faciat matrimonium. XVI. 8. parentum, cognatorum &c. ad ineundum matrimonium. XVI. 6. 22.
Conſolatorius uſus in concionibus ſacris. XI. 148.
Contagionis periculum non liberat paſtorem à cura ægrorum. IX. 2.
Contemtorum Dei & Religionis publicorum correptio. VII. 2-4.
Contentioſorum correptio. VII. 30.
Contritionis praxis. VIII. 18.
Converſatio privata cum peccatoribus pertinacibus vitanda. VII. 3.
Converſi (convertiten) qua curâ in numerum fidelium ſint admittendi. VI. 9.
Converſio. Vid. *Reſipiſcentia.*
Convitia inter & reprehenſionem differentia. III. 10.
Convivia baptismalia. XII. 12.
Copulæ ſententiarum in textu obſervandæ. XI. 120. ſeqq.
Cordi quomodo veritates ſint commendandæ in catechiſatione. VI. 13.

Cor-

Corporis deformitas an excludat à miniſterio S. IV. 6. Corporis humani conditio cauſa eſſe poteſt afflictionum mentis. X. 7. 8. Corporis humiliatio in precibus. Cap. XIV. §. 9.
Corpus Chriſti in S. Cœna. XI. 82. 124.
Correptio (confer. *Reprehenſio*) malorum hominum. VII. toto.
Crimen enorme ſi commiſerit Candidatus miniſterii, aut paſtor, quid agendum. IV. 6.
Crines ſuppoſititii. V. 5.
Cultus Dei in Spiritu & veritate. I. 2. externus & publicus. I. 3. 4. ordinatus eſſe debet. I. 5. Ejus partes & actus. XI. 1. 2. 3.

D.

DAthenus (Petrus) XIV. 9. Davidis exemplum non favet adulteris. VII. 27.
Defectio. Quomodo contra illam vigilandum ſit paſtori. III. 13.
Defectorum correptio. VII. 32. ſeq.
Deformitas corporis an excludat à miniſterio S. Cap. IV. §. 6.
Delatores eſſe non debent paſtores. III. 15.
Deprecatio in diſciplina Eccleſiaſtica. III. 22.
Deſponſata quo ſenſu dicatur *uxor*, & quare ejus congreſſus cum alio ut adulterium puniatur. XVI. 8.
Diaconorum cura circa eleemoſynas XV. 9.
Diluvium univerſale ſugillatur. VII 11. 7)
Dimiſſoriales literæ matrimonio jungendorum. XVI. 5.
Diſciplina Eccleſiaſtica. III. 16. ſeqq.
Diviſionis textus neceſſitas, requiſita, leges, ordo & denominatio XI. 60 ſeqq.
Divortium. XVI. 27.
Docendi poteſtas paſtoris. III. 8. 9.
Dogmatici textus. XI. 22.
Dominica oratio. XIV. 6. 7.
Dominium non competit paſtoribus. III. 5.
Dona naturæ & gratiæ, in vocatione ad Miniſterium S. neceſſariæ. IV. 5. 6.
Dramata non ſunt prohibita. V. 5.

E.

EBrioſorum correptio. Cap. VII. §. 23. 24.
Eccleſiaſticorum bonorum quatuor partes. XV. 3.
Eccleſiæ ordo, caput, membra, miniſtri &c. I. 5. ſeqq. poteſtas vocandi miniſtros. IV. 13. Deſiderium retinendi paſtorem an obſtet translationi ejusdem. IV. 24. Cura circa eleemoſynas. XV. 9.
Electorum allocutio in Exordio concionum. XI. 36.
Eleemoſyna quo ſenſu dicatur *juſtitia.* XV. 8.
Eleemoſynarum privatarum & publicarum cura, neceſſitas, principium, objectum, menſura, proportio, modus, ſpecies & fructus. XV. 4. ſeqq.
Elenchtici textus. XI. 23.
Elenchus. Vid. *Error & redarguere.*
Emphaſes vocum variæ. XI. 92.
Epicuræorum correptio VII. 6.
Errores refutandi poteſtas penes paſtorem eſt. III. 13.
Eſus prohibitus Adami ridetur. VII. 11. ג)
Evæ formatio in adjutorium viri ſugillatur. VII. 11. ב)
Evangeliorum dominicalium pericopæ. Cap. XI. §. 19.
Exacerbatio Spiritus S. VIII. 10.
Examen Candidatorum Miniſterii S IV. 19. 20.
Excludendi quinam ſint à S. Cœnæ uſu. XIII. 5. Prudentia & poteſtas paſtoris circa eos. XIII. 6.
Excommunicationis norma & leges. III. 19. 20. 21. Excommunicatus, citra notitiam Eccleſiæ, à paſtore privatim recipi nequit. *III.* 22. licet vel punitus ſit à Magiſtratu, *ibid.* Excommunicatio ſic dicta *major. III.* 23.
Exordia concionum. XI. 33-49.
Explicatio textus verbalis. XI. 67-92. Realis. XI. 93-134.
Expoſititiorum infantum Baptismus. XII. 7.

F.

FAmiliæ ſuæ ſuſtentatio. XV. 5.
Fatalis neceſſitas ad peccandum an detur VII. 15.
Fidei confeſſio ſubſcribenda à paſtore. IV. 22.

Fidei

Fidei praxis. Cap. VIII. §. 18.
Fidejuſſores in adminiſtratione Baptismi. XII. 13.
Foord (Simon.) XIV. 3.
Formulæ baptismalis uſus. XII. 11.
Formulæ precum ſtatæ. XIV. 6-10.
Fratrum cum ſororibus, & viciſſim, conjugia illicita ſunt. XVI. 13. Fratris cum uxore fratris nuptiæ interdictæ. XVI. 15.

G.

GEnus, in perſonarum deſcriptione, emphaſin habet. XI. 92.
Gondimel (Claudius) XIV. 3.
Gratiæ divinæ influxus eſſentialis & arbitrarius. X. 6. Ejusdem ſenſus abſens. X. 14.

H.

HErmeneuticæ regulæ. XI. 10.
Hiſtoriæ Eccleſ. notitia. XI. 10.
Hiſtorici textus. XI. 32.
Hopkins (Joh.) XIV. 3.
Hoſpitalitas paſtorum. V. 6.
Humiliatio externa in precibus. Cap. XIV. §. 8. 9.
Hymni ſacri. XIV. 2-4.
Hypocritarum correptio. VII. 38-48.

I.

IMmerſionis ritus in S. Baptismo. XII. 10.
Impatientia ægrorum. IX. 6-9.
Imperfectiones regenitorum. VIII. 11. ſeqq. & X. 13.
Implacabilium correptio. VII. 30.
Impoſſibilia an requirantur. VII. 13.
Impurorum correptio. VII. 25. 26.
Inceſtus prohibitio. XVI. 9 11.
Indifferentismus quoad Religionem. VII. 12. 36.
Indignitas legalis & Evangelica. XIII. 2 17.
Ineptitudo ad Miniſterium. II. 6. 15.
Infantum Baptismus. XII. 4. ſeqq.
Infirmitas hominis naturalis. VII. 16 20.
Infirmitatis peccatum. VIII. 9. X. 12.
Infirmitates regenitorum. VIII. 4-10.

Inopia,

Inopia, inanis prætextus Apoſtaſiæ. Cap VII. §. 33.
Inſpirationes temporis noſtri. I. 9-13.
Inſtitutorius uſus in applicatione textus. XI. 146.
Intemperantium correptio. VII. 23. 24.
Intentio ſancta in præconio verbi divini. XI. 16.
Interpretes varii Scripturæ S. XI. 10-14.
Judicium mentis quomodo acuendum in catechiſatione. VI. 12.
Jus Patronatus. IV. 15.

L.

LAborandum eſt unicuique. XV. 2.
Laicis, qua talibus, non licet adminiſtrare Baptiſmum. XII. 2.
Latronis cum Chriſto cruci affixi, & in Paradiſum admisſi exemplum, non favet ſeræ pœnitentiæ. VII. 20.
Leges ferendi poteſtas non eſt paſtoribus. III. 5.
Legum Moſaicarum ſugillatio. VII. 11. ח)
Liberalitatis requiſita. Cap. XV. §. 6.
Libertas non debet eſſe prætextus malitiæ. VII. 24.
Linguarum S. S. notitia. XI. 10.
Litera quæ occidit. VI. 13.
Literæ dimiſſoriales matrimonio jungendorum. XVI. 5.
Litibus impliciti an admittendi ad S. Cœnam. XIII. 5. 7.
Liturgiæ. XI. 13.
Lobwaſſer (Ambroſius) XIV. 3.
Longævitatis Patriarcharum Chronologia examinatur. VII. 11 ח)
Lucis emblema, XI. 45. 46.
Ludimagiſtri. Vid. *Præceptores.*
Luſorum correptio. VII. 31.

M.

MAgiſtratus poteſtatem non habet præconium verbi divini impediendi. *III.* 8.
Magiſtratus poteſtas circa præconium verbi divini. III. 9.

Eum

Eum traducere non licet paſtori. Cap. III. §. 11.
Ejus poteſtas circa diſciplinam Eccleſiaſticam. III. 21. ſeqq.
Magiſtratus ſupremi perſona exemta eſt à cenſura Eccleſiaſtica. III. 23. ſeqq.
Architectonica ejus poteſtas circa ritus & Ceremonias. III. 27. 28.
Ejus poteſtas circa vocationem Miniſtrorum Evangelii. IV. 14. 15.
Ejus cura circa inſtitutiones catecheticas. VI. 3.
Ejus cura quoad pauperes. XV. 9.
Ejus occupatio in cauſis matrimonialibus. XVI. 1.
Maleficus. Vid. *Supplicium.*
Mali quomodo vitandi. I. 4. eorum commixtio cum bonis non impedit cultum Dei publicum. *ibid.* Reſp. ad objectionem: Quod malis ſæpè benè ſit. VII. 7.
Marot (Clemens) XIV. 3.
Matri cum filio conjugium inire non licet. XVI. 12.
Matrimonii definitio. Cap. XVI. §. 3. Occupatio fori civilis & Miniſterii Eccleſiaſtici in cauſis matrimonialibus. XVI. 1. 2. Matrimonia illegitima, legitima, inceſtuoſa, prohibita legibus divinis & humanis. &c. XVI. 4. ſeqq.
Matrimonii benedictio ſolennis. XVI. 23. Ejus conſummatio & fines. XVI. 24. 25.
Medicorum corporis & animæ uſus in tentationibus. X. 8.
Meditatio quid ſit. V. 3.
Meditationum ſacrarum ſtudium. VIII. 20.
Membra Eccleſiæ quotuplicia. I. 7. 8.
Memoriæ quomodo ſerviendum. VI. 11.
Memoriæ mandanda quæ pro concione dicenda ſunt. XI. 149.
Mendici nulli in populo Dei eſſe debent XV. 3.
Methodus in concionibus neceſſaria XI. 16.

Digitized by Google

Metus Mortis. Vid. *Mors.*

Miniſterii S. Extraordinarii continuatio an detur ſub N. T. C. I. §. 9. 10. 11. 12. Ordinarii dona, functiones, neceſſitas. I. 13-19. Ejus variæ difficultates. II. toto. Miniſterium. S. non eſt abſolutè refugiendum. II. 14. removentur varii ſcrupuli. II. 15-20.

Miniſterium ſpeciale an deſiderare poſſit, qui generalis vocationis criteria habet. IV. 7.

Miniſtri Eccleſiæ (conf. *Paſtor*) extraordinarii, ordinarii I. 8. 13.

Miraculorum deriſio VII. 11. [)

Moralis Theologiæ Notitia. XI. 10.

Morbus. Vid. *Æger.*

Mortis metui nimio quænam opponenda IX. 10-12. Cura illorum, qui ſupplicio mortis afficiuntur. IX. 20-29.

Munus politicum exercere an liceat paſtori V. 6.

Muſicæ vocalis & inſtrumentalis, in templo & in cultu publico uſus XIV. 2-5.

Muti an ad S. Cœnam ſint admittendi Cap. XIII. §. 9.

Mutuo-datione pauperibus ſuccurrendum. XV. 3.

N.

NÆvi quomodo tractandi. III. 17. VII. 49. 50. 51.

Nahamanis incurvatio coram idolo Rimmon examinatur. VII. 35.

Neceſſitas fatalis ad peccandum an detur. VII. 15.

Neptem ducere in matrimonium *non licet avo.* XVI. 12.

Nexus textuum. XI. 50-55.

Nihil creationem mundi ex nihilo rident athei. VII. 11.

Nomen concretum & abſtractum emphaſin habet. XI. 92.

Novercam in matrimonium ducere non licet privigno. XVI. 12.

Numerus ſingularis & pluralis aliquando emphaticus. XI. 92.

Nuptiæ. Vid. *Matrimonium.*

Offici-

O.

OFficium paſtoris in genere. V. toto & in ſpecie Cap. VI. VII. ſeqq.

Omnibus omnia tractare non licet in Eccleſia. C. I. §. 6.

Opificium exercere an liceat paſtori. V. 6.

Oratio dominica. XIV. 6. 7.

Oratoria Eccleſiaſtica. XI. 8.

Ordinatio paſtoris. IV. 21.

Ordo in cultu divino. I. 5. 6.

Organorum uſus. XIV. 5.

P.

POedo-Baptismus. Vid. *Baptismus.*

Pane *ſuo* quisque veſci debet. XV. 2.

Panis Eucharisticus. XIII. 15. 16.

Parentum officium circa catechiſandos liberos. VI. 4.

Parentum conſenſus ad ineundum matrimonium. XVI. 6.

Parochiæ alienæ membrum an liceat admittere ad S. Cœnam. XIII. 17.

Particulæ quandoque emphaticæ ſunt. Cap. XI. §. 92.

Paſtorum Eccleſiæ functiones differunt ab officio communi Chriſtianorum I. 6. Poteſtas eorum non univerſalis, non principalis aut dominans, non pœnalis aut coactiva, ſed miniſterialis eſt. III. 5. 6. docendi, monendi &c. III. 7. 8. ſeqq. Eorum conſenſus in vocatione ad miniſterium ſpeciale. IV. 18. Eorum officium in genere. V. toto, in ſpecie. VI. VII. ſeqq. Illorum poteſtas circa excluſionem à S. Cœnæ uſu. XIII. 6 inter communicantes frequenter eſſe debent. XIII. 11. Pauperibus dare debent de ſuo. XV. 3. Illis non licet munus deponere absque juſſu divino. XVI. 29.

Patientia ægris commendanda. XI. 6 9.

Patronatus jus. IV. 15.

Pauperum cura. XV. toto.

Pax credentium in Chriſto quandoque variè turbatur,

Digitized by Google

Cap. X. §. 2-4. Hujus turbationis cauſæ, effectus & remedia in illis. X. 5. ſeqq.
Peccatorum fontes & fomites. VII. 13. 14.
Peccata retinendi & ab illis abſolvendi poteſtas. III. 16.
Peccati angores X. 9. 10.
Peccata infirmitatis & malitiæ. VIII. 9. X. 10.
Peregrini quomodo admittendi ad S. Cœnam. XIII. 12.
Perfectio hominis in hac vita. VII. 22.
Perfectio regenitorum qualis. VIII. 15.
Pietatis ſigna. VIII. 1. 2.
Piorum infirmitates. VIII. 3. ſeqq.
Plebis poteſtas circa vocationem miniſtrorum Evangel. IV. 17.
Pluralis numerus emphaticus. XI. 92.
Poculum Euchariſticum. XIII. 15. 16.
Pœnalis poteſtas non competit paſtori. III. 5.
Pœnitentia. Vid. *Reſipiſcentia.*
Politicum munus. Vid. *Munus.*
Polygamia prohibita eſt. Cap. XVI. §. 4.
Populi poteſtas circa vocationem miniſtrorum Evang. IV. 17.
Poteſtas paſtorum, Eccleſiæ & magiſtratus circa ſacra. III. toto. Eccleſiaſtica quomodo differat à civili. III. 1. Summa penes Chriſtum eſt. III. 2. aliqualis ſingulorum fidelium. III. 3. Poteſtas circa vocationem Miniſtrorum Evangel. IV. 13. *ſeqq.*
Practici textus. XI. 24 29.
Præceptorum officium catechiſandi rudes. VI. 5.
Præconium verbi divini. Vid. *Verbum.*
Prædicata de Deo, Chriſto, Angelis, & hominibus quomodo accipienda. XI. 115-119.
Prædicatum textûs quomodo tractandum. XI. 106-119.
Præparatio ad uſum S. Cœnæ. XIII. 14.
Precum ſtudium. VIII. 20. Publicarum neceſſitas, utilitas, recta

recta conditio, uſus item extemporanearum & ſtatarum. Cap. XIV. §. 6 - 10. Preces paſtoribus maximè neceſſariæ ſunt. XI. 15.
Principes. Vid. *Magiſtratus.*
Proclamatio deſponſatorum. XVI. 5.
Propenſionis ad Miniſterium defectus an ſit ſignum abſentis vocationis internæ. IV. 6.
Prophetare quo ſenſu mulieres dicantur. XIV. 4.
Prophetici textus. XI. 30. 31.
Propoſiti ſinceri ad bonum renovatio. VIII. 19.
Providentiæ divinæ deriſores quomodo corripiendi. VII. 6.
Prudentia Eccleſiaſtica circa adminiſtrationem S. Cœnæ. XIII. 4. ſeqq.
Pſalmi Davidis an omnes ſint Prophetici. XI. 98. iidem ſunt cantica ſacra Eccleſiæ. XIV. 3.
Pueri in Chriſto quinam. VI. 8.

R.

REdarguendi poteſtas penes paſtores eſt. III. 10.
Regenerationis criteria. Cap. VIII. §. 13.
Religionem mutantes qua cura ad numerum fidelium ſint admittendi. VI. 9. circa Religionem indifferentia. VII. 36. Ejus nimia diſparitas fomes eſt multorum malorum apud conjuges. XVI. 21.
Reprehenſiones inter & convitia differentia. III. 10. Poteſtas paſtoris, cœtûs & magiſtratûs circa illas. III. 11. 12. in illis prudenter agendum eſt paſtori. *ibid.*
Reprehenſorius uſus in concionibus. XI. 147.
Reſipiſcentiæ ſeræ examen. VII. 19. 20. veræ natura. VIII. 18. ſera difficilis equidem eſt, attamen ſalutaris & ſeria eſſe poteſt, atque ſingularis eſſe debet. IX. 14. 15.
Ritus in adminiſtratione S Cœnæ. XIII. 16. Paſtorum, Eccleſiæ & Magiſtratus circa ritus poteſtas. III. 25 - 28.

Digitized by Google

S.

Salutis ſpes à peccatoribus in minoribus ponitur quam par eſt. Cap. VII. §. 18.
Sanctitatis incrementa, & conſummatæ idea. VIII. 15. ſeqq.
Scandala auferendi poteſtas. III. 17.
Scortatorum correptio. VII. 25-27.
Scripturæ S divinitas, veritas &c. vindicatur ab objectionibus. VII. 10. 11. ejus lectio cum modulatione. XIV. 2. Methodus eam legendi. VIII. 19. ejus varii interpretes. XI. 10-14.
Securitas carnalis. X. 3.
Securitas, ex obtentu imperfectionis humanæ arrepta, quomodo tractanda. VIII. 14. ſeqq.
Senſualis nimis vita. X. 7.
Senſus gratiæ divinæ abſentia. X. 14.
Silentio tegendæ ſunt Confeſſiones privatæ paſtori factæ. III. 15.
Simoniæ vitium. IV. 7.
Singularis numerus aliquando emphaticus eſt. Cap. XI. §. 92.
Sororum cum fratribus conjugia illicita. XVI. 13. Conjugia cum ſororibus duabus ſucceſſiva. XVI. 16.
Spicilegium pauperibus relinquendum. XV. 3.
Spiritus S. exacerbatio. VIII. 10.
Sponſalia de futuro & de præſenti. XVI. 6. 7. eorum publica promulgatio. XVI. 5. diſſolutio. XVI. 8.
Sponſores in adminiſtratione S. Baptiſmi. XII. 13.
Spuriorum *Baptiſmus*. XII. 6.
Status hominis triplex. IX. 13. 19.
Sternhold (Thomaſ.) XIV. 3.
Subdiviſiones textuum. XI. 66.
Subjectum textus quomodo tractandum. XI. 98-105.
Subſcriptio Confeſſionis fidei à paſtoribus præſtanda. IV. 22.
Surdi an admittendi ad S. Cœnam. XIII. 9.
Suſceptores baptizandorum. XII. 13.

Talen-

Digitized by Google

T.

TAlentum non defodiendum. Cap. I. §. 6.
Tentationes fidelium variæ. X. 7. ſeqq.
Textus concionum varii. XI. 17-32.
Textus connexionis leges. XI. 50-55.
Thematum ſimplicium tractatio. XI. 95. 96.
Timoris Dei criteria. XI. 105.
Translationis paſtorum importunæ flagitationes, & juſtæ cauſæ. IV. 23. 24.
Tributi inſtar non ſunt imponendæ eleemoſynæ. XV. 9.
Triſtitia nimia fidelium, ob eorum infirmitates. &c. VIII. 13.
Typici textus. XI. 32.

V.

VErba & conjugationes Verborum emphaſin aliquando habent. XI. 92.
Verba ſine rebus nihil valent. XI. 8.
Verbi divini præconium ubi prohibetur, quid agendum. Cap. III. §. 8.
Veritate (in) Deus colendus. I. 2.
Verſiones Pſalmorum rythmicæ. XIV. 3.
Vigilantia piorum. VIII. 17.
Vinum Euchariſticum. XIII. 15.
Viſitationes paſtorum domeſticæ. III. 14.
Vita nimis ſenſualis. X. 7.
Vocatio ad Miniſterium ſacrum. IV. toto.
Vocationis genere illicito qui utuntur excludendi ſunt abuſu S. Cœnæ. XIII. 5.
Uſuras capere non licet. V. 6. XV. 2.
Uxoris unius vir quo ſenſu Paſtor. V. 5.

Z.

ZEli paſtoralis leges. III. 11.
Zwinglii exemplum non probat uſum armorum licitum eſſe paſtoribus. V. 6.

)o(

Digitized by Google

EMENDANDA.

pag.	*lin.*	*loco*	*lege*
9	6	perpendan-tur	perpenda-tur
11	18	quondem	quondam
	22	גיים	גוים
13	22	πειδεσθε	πειθεσθε
13	25	quod	quoad
16	13	prophetis	prophete-tis
	22	πρωτειῶαν	πρωτειών
17	25	tum &	tum ex
19	28	notames	notamus
24	12	ὁμυφωνίαν	ὁμοφωνίαν
26	8	conſervabit	conſervavit
	20	opus non eſſet	non opus eſſet
27	21	inſtituta	inſtitutæ
30	16	in inſtitu-endæ	inſtituen-dæ
31	1	ſi	ſit
	31	neſeiunt	neſciunt
33	19	id eſt	id eſto.
35	12	allegaba-tur	ablegaba tur
36	21	ſupremus	ſuperemus
38	12	univerſales	univerſalis.
40	6	ipſumque	ipſosque.
41	24	ulterius	alterius.
42	20	partim	
43	22	uti ſic	ut ſic.
	32	Corinth. XII.	1. Corinth. XII.
44	26	nullam in	nullam ha-bent pote-ſtatem do-minantem nullam in &c.
45	20	ſive	
	32	Chriſti	Chriſti eſ-ſet.
47	23	Reformata-rum	Reforma-torum
54	28	quæratur	queratur.
62	26	pro-ëmio	præmio
64	21	primi	
66	4	aut quis	ut quis.
79	5	ordinaria generalis	ordinariæ generalis
80	25	1) Rom. X.	7) Rom. X.
94	28	conſiſtori-um.	conſiſtorio-rum.
98	27	molindus.	molinæus.
107	10	defectos.	defectus.
	14	probet.	præbet.
	31	operæ	opera.
109	12	Liheros	Liberos.
125	8	ſo. genan-ten	ſogenan-ten.
	28	Catecheſis.	Catechetis
133	4	ſit	fit
143	15	quærela	querela
149	30	cibus	cibis.

 pag.

Digitized by Google

pag.	lin.	loco	lege
158	29	videantur	videatur.
	30	Tillotſonii	conſ. Tillotſonii
167	12	conveniant	conveniat.
183	ult.	incalcandum	inculcandum
185	30	clarè	clari
189	2	actionem	actionum.
	5	felix	Felix.
	14	frui	
190	24	altero	alteri
195	1	earumque	eorumque
	27	juge.	jugem.
201	21	cœtum	cœlum
202	8	negotis	negotiis.
214	15	alterius	ulterius
226	15	conſultat	conſulat.
240	18	alia 2. Cor.	alia ſiſtitur 2. Cor.
243	25	illi ſeſe.	illique ſeſe.
264	33	vero malum	vero impius malum.
266	13	fractum	fractam.
287	2	videatur	vide.
288	24	textuol.	textual.
303	ult.	juramento Joſephus.	juramento videatur Joſephus
320	14	poſterius membrum	prius membrum.
321	17	eum arctè	cum arctè
332	7	atque ulterius	utque ulterius
344	7	nullus etiam	nullas etiam.
348	10	גלח	גלת
369	ult.	aliis	ab aliis.
380	9	tribuendum	tribuenda
385	4	ergo	erga.
394	16	§. 124.	§. 135.
400	17	fieri	fiat.
411	33	repreſententent	repreſentet
455	16	hortes	hoſtes.
457	25	κατὰ	κακὰ
460	29	fit	fint.
467	12	condictos	conductos.
469	16	& pedes	ad pedes
	24	relinquantur	relinquatur.
470	25	tenenter	tenentur.
481	18	fraudalis	fraudabis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google